9
2 H M
27

2712

215

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM
DE REGNO ITALIÆ
Quinque reliqui Libri.

AD ILLVSTR.VM ATQVE EXCELL.VM
D. IACOBVM BONCOMPAGNVM
Ducem Soræ, Marchionem Vineolæ &c.

Qui libri nunc primum editi, quindecim de eodem Regno antea vulgatos ſequuntur, & narrationem ab anno 1200 vſque ad 1286 perficiunt, quo iura ipſius Regni ſublata ſunt, & libertas Italiae redempta.

Index rerum, & verborum copioſiſsimus adiectus.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



VENETIIS, Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem. 1591.

9. 2. H. 27

EXCELLENTISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, IACOBO BONCOMPAGNO DVCI SORAE. MARCHIONI VINEOLAE ETC.

Alexander Caprara Societatis Ieſu. S. D.

Optandum ſanè magnoperè fuit, Excellentiſſime, & Illuſtriſſime Princeps, ut Carolus Sigonius, qui ſummorum ſcriptorum huius ætatis gloriam adæquauit, hunc etiam poſtremum laborum, & uigiliarum ſuarum ferret fructum, vt hi libri, quos ille ad perficiendam Italici Regni narrationem contexuerat, eodem uiuo in lucem, conſpectumq́; hominum exirent, atque ab eo tibi inſcripti, & dicati ex tuo clariſſimo nomine nuncuparentur. Quandoquidem, & ille iucundiſſimum eum uoluptatis ſenſum percepiſſet, quo præſtantiſſimi artifices perfrui ſolent, cùm præclarum aliquod, egregiumque opus ab ſe feliciter confectum, hominibus conſpiciendum proponunt; & libri ipſi extrema ſui auctoris manu perpoliti, ſapientum Virorum iudicium non extimeſcerent; ac ſimul illuſtres tuæ, eximiæq́; laudes, huius nobiliſſimi ſcriptoris teſtimonio, ſæpè antea cælebratæ, nunc rurſus eiuſdem præclaro præconio, ad diuturnam poſterorum memoriam prædicarentur. Verum quando ille morte ſubtractus, in beatiores (ut ſperandum eſt) ſedes demigrauit, nos quidem horum commodorum ſpes omnis fruſtrata eſt; at ille in poſterum longè proſpiciens, ut huic incommodo iam ante mederetur, cùm multos haberet ſua doctrinæ alumnos excellenti ingenio, ac uirtute, me tamen, qui nulla ratione eram cum eis comparandus, teſtamento delegit, cui ſcri-

ptorum ſuorum cuſtodiam mandaret; quod cuius fidem, & beneuolentiam erga ſe proximis annis perſpicuè cognorat, eidem, credo poſtremam uoluntatem ſuam cordi futuram exiſtimaret. Hanc autem reliquam obſeruantiæ meæ erga ſe partem requirere uiſus eſt, ut ſi quando hæ memoriæ, nominiſq; ſui quaſi reliquiæ in publicum efferrentur, à me ſolemni propè carmine, conſilij, inſtitutique ſui in iјs libris ratio redderetur. quod munus, cum ſaluo officio declinare non poſſe uiderer, haud inuitus recepi. Amiciſſimi ergo uiri recordationem libenter uſurpo, atq; optimi præceptoris monumentis iucunde mihi uideor fermè iuſta perſoluere; cuius uniuerſa in me promerita nunc non conteſtabor, ne tenuitate mea tanti uiri gloriam diminuam; & in anguſto nimis campo eius laudes concludantur, cuius labores, & ſtudia commune ſtudioſorum hominum adiumentum complexa ſunt. Is enim cum primum ætate florere cœpit, ad Græcarum, Latinarumq; litterarum ſtudium ita ſe contulit, ut ad eas propagandas, & illuſtrandas dies, noctesq; incubuerit; egregiumque ſuum de omnibus benè merendi animum apertè teſtatus eſt, non ſolùm in erudienda publicè, ad deuexam uſque ætatem ſuam, iuuentute, quæ, dum is eſſet Bononiæ, Patauij, Venetijs, Mutinæ, undique ad illum confluebat; uerum etiam in poſteritate iuuanda, cui plurimos, atque uberrimos libros reliquit, quibus Magiſtratuum Romanorum nomen, ordinem, tempuſque explicuit; Ciuium Romanorum iura deſcripſit, quæuè leges in Italia, & quæ inſtituta in Prouincijs regendis, Iudicijſque exercendis ſeruarentur; quale ius Hieroſolymis, & Athenis; ac ſimul Lacædemonijs, quæ tempora fuiſſent edocuit. in quarum rerum tractatione dum uerſatur, innumera Græcorum, Latinorumq; ſcriptorum loca attingens, mirum quantum luminis, ac ſplendoris eis attulerit; iamque in quietis portum glorioſè inuehi poſſe uidebatur, cum rurſus è littore ſoluens, & uela dans uentis, Occidentalis Imperij, Regnique Italici, memorabiles res geſtas perpetuo hiſtoriæ contextu enarrare orſus eſt; ſucceſſuſque adeò proſperos habuit, ut ex eius lucubrationibus incredibiles fructus ad uniuerſum noſtræ ætatis hominum genus promanarint. Etenim ſi tanta eſt, ut fertur, hiſtoriæ utilitas, quæ contineat facta, dictaq; hominum illorum priſcorum, qui ante Chriſtum natum uiguerunt; ut eam grauiſſimi uiri Magiſtram uitæ dicant, lucemque ueritatis; cum tamen idem tunc non eſſet rerum humanarum ſtatus, qui nunc eſt, multaque in eis ſint, & ab horum temporum uſu, & a moribus noſtris abhorrentia; quanti faciendus eſt Caroli Sigonij clariſſimi uiri labor in colligendis iis, memoriæque mandandis, quæ Chriſtiana religione coruſcante, ſuiſque facibus omnia colluſtrante geſta ſunt? In his enim tanquam in theatro Chriſtianorum ſeculorum pulcherrimo conſpicitur, Pontificis Romani ampliſſima maieſtas, quaſi in excelſo ſolio conſidens ceteris omnibus quantum ſemper præluxerit, proximeque uniuerſorum Epiſcoporum conſeſſus auctoritate quanta ualuerint, deinde religioſorum uirorum multis doctrina innocentiſque uitæ ſplendor qui fuerit, præterea Imperatores, Regeſq; Romani, quam amplo, latoq; imperio potiti ſint, quibus uictorijs, & moribus regnarint; Ducum, Marchionum,

ſin-

ſingularumque ciuitatum vires quantæ extiterint; hic licet intueri eorum memorabiles exitus, qui Dei Eccleſiam oppugnarint, vel propugnarint; hæreſes innumeræ, ſchiſmataque exorta quomodo euanuerint, diuina verò religio, vt ſtabilis ſemper aduerſus omnes impietatis fluctus procellasq́; permanſerit. hæc autem quanto ad vſum noſtrum accommodatiora ſunt, nobiſque quam antiqua illa ad uitæ inſtitutionem aptiora? nunc enim iidem ſunt ſacrorum Antiſtites, iidem humani imperij Principes, eadem hominum conſilia & acta, vt inde qui euentus expectari poſſint, non ſit difficile iudicare. In tam uberem igitur, gloriaq́; fœcundam ſegetem ille ingreſſus, nihil quod ſummi ſtudij, & contentionis eſſet, in ea demetenda a ſe deſiderari eſt paſſus. nam ueritatem, quæ hiſtoriæ tanquam animus eſt, adeò enixa diligentia inueſtigauit, vt vllum ſcriptorum genus, quod ad ea ſecula pertineret, vix eum præterierit. diſtinguendis uerò temporibus, locorum deſcriptionibus, exprimendis denique ſingularum tempeſtatum moribus, quæ actionum videntur eſſe lumina quædam, ita ſtuduit, vt nemo antea magis. Has autem res, quanta orationis magnificentia, & ſplendore adornarit, non eſt neceſſe dicere: iam dudum enim ſtudioſi viri, incredibili cum iucunditate, & admiratione eius ſcripta ſuſpiciunt. Ceterum quoniam Italici Regni deſcriptionem iam ante inchoarat, vnum reſtare videbatur, vt id opus ad exitum perduceret. opportunam igitur claudendæ hiſtoriæ rationem adinuenit. cum enim poſt pernicioſum, & Eccleſiæ Romanæ infeſtum Friderici Secundi principatum; per viginti circiter annos, Imperium interregno laboraſſet, ita Regni Italiæ poteſtas debilitata eſt, vt ſequentes Imperatores eius poſſeſſionem aut omiſiſſe, aut amiſiſſe uiſi fuerint; vix certè eius Regni nomen in Italia adhuc extat. ad hoc igitur uſque tempus, hiſtoriam perduci placuit, ad quod vnius quaſi auſpicijs in Italia dominante Imperatore omnia gerebantur; nam quæ deinceps ſingulæ ciuitates proprijs ipſæ conſilijs & armis egerint, vno opere concludere, immenſæ molis res uidebatur eſſe, & magnis implicita difficultatibus, in qua vel gratiæ, uel offenſionum loci plurimi neceſſario futuri erant. huc vſque igitur ſibi perueniendum eſſe duxit, ſicque laudis, & gloriæ totum quaſi curriculum permenſus, è ſpacio honeſtiſſimè deceſſit. Hic uerò mihi lux ſapientiæ tuæ exoritur, Excellentiſſime, & Illuſtriſſime Princeps, cuius neſcio an ſingularem beneficentiam erga præſtantem hunc uirum magis commendem, an ardens ſtudium erga optimas artes extollam. cum enim eum honorificentiſſimis donis, cum viueret, decoraſſes, etiam poſtquam occidit, eorundem ſtudiorum ſitis tibi non eſt extincta; ſed cuius viui ingenium & litteras adamaras, eiuſdem mortui libros, & Bibliothecam in complexu, ſinuq́; tuo eſſe voluiſti. Non vereor autem, quæ tua eſt facilitas, quin hoc, quod dicam, à me optimo animo dici exiſtimes. cum ille pro veteribus ſuis in me officijs, onus tuendi, edendiq́; in vulgus quæ reliqua erant ingenij ſui monumenta, impoſitum mihi eſſe vellet; dedit tamen tibi Deus eam mentem, vt me alijs rebus occupatum hoc onere alleuares, teq́; non adiutorem modo huius glorioſi laboris, ſed ducem, auctorem, ac principem mihi præberes.

beres. ex quo tempore igitur Sigonij ſcripta tuæ optimæ fidei credita fuere, ex eo nemini credo venit in mentem dubitare, quin ab eo Principe, à quo tam multa in Sigonium beneuolentiæ documenta profecta erant, benè conſultum, prouiſumq; Sigonij nomini, famæ, & ſcriptis foret. Verum iam tua promiſſa exſoluis, tuam noſtramq; fidem exoneras, libri qui Regno Italiæ deerant, in doctorum hominum vtilitatem euulgantur. quod ergo præceptoris optimi nomen, & litteras in tenebris conſeneſcere non permittis, vt multis alijs nominibus te colere debeam, hoc tamen maxime nomine me tibi deuinctum in perpetuum fore profiteor. Ceteras tuas laudes alij prædicent; ego verò, mecum præclare ſane actum arbitrarer, ſi hoc tuum excellens benefici animi in Sigonio colendo, egregiæq; voluntatis ſtudium in bonis litteris ornandis, dicendo æquare poſſem. ſic enim te in eo clariſſimorum uirorum numero poſuiſti, qui eximios hiſtoricos apud ſe eſſe voluerunt, ingentibuſq; præmijs & honoribus donarunt. quanquam tu aliquantò plus, quàm illi mihi commendandus videris, quòd illi rerum ſuarum ſcriptores ditarunt, tu uerò etiam alienarum, vt non magis tuam gloriam, quàm vtilitatem publicam ſpectaſſe videare. Atque de Carolo Sigonio hæc dicta uelim. de me autem ita ſentio, non modo ipſius Sigonij cauſſa, quem vnicè dilexi, officia omnia, quæ a religioſo viro expectari queunt à me tibi deberi, ſed multò maxime; quod Dei Opt. Maximi beneficio in ea ſum Societate, in qua Gregorij Decimitertij gratiſſima memoria viget; cuius de laudibus, & ingentibus in nos promeritis, nec noſtra, nec eorum, qui poſt nos futuri ſunt, ullo vnquam tempore conticeſcet ætas. Vale.

fol.	Errata	Correcta
3	accio	accito
13	Monticuilos	Monticulos
16	ſuburbarus	ſuburbanis
20	praeliturum	praebiturum
25	diffidentibus	diffidentibus
48	vti Fridericus	vt Fridericus
52	conſeruatorum	conſeruaturum
73	lacryme	lacrymae
77	friniatos	Friniates
81	condixijmus	condiximus
82	ſueuum in Marcia	ſueuum in Marchia
99	Confilium	Concilium
103	omnium maximam	omnium maximum
104	belbum	bellum
105	Gulielmu	Gulielmum
113	Intercludos	interclusos
114	proditorum	perditorum
116	dictans	diſtans
127	S.Laxari	S.Lazari
128	ludiora	ludicra
132	in fore	in foro
134	& ſic lis	& filis
135	immenſium	immenſum
141	praeſenta	praetenta
144	pariturus	pariturος
144	cxuit	exuit
145	permiſſum	permiſſum
159	conſeruendi	conſeruandi
161	Romanae	Romaniae
171	S.Zenonius	S.Zenonis
174	ratlone	ratione
179	ſubſtituit	ſubſtitit
182	inclyrus	inclytus
183	pontificc	pontifice
185	paſsiuum	paſſuum
188	altereans	altercans
189	mandauit	mandarit
189	magni	magna
191	animum	animorum
192	nixam	rixam
209	quinquenti	quingenti
215	factas	fractas

Annorum numeri in margine adſcribendi, aut corrigendi.

35.	lin.	13.	adde	1219.
83.		5.		1237.
114.		31.		1247.
144.		32.		1254.
146.		14.		1255.
148.		8.		1256.
162.		26.		1257.
164.		37.		1258.
187.		28.		1266.
194.		27.		1269.
222.		37.		1281.

INDEX
QVI OMNIVM
RERVM, ET VERBORVM
MEMORABILIVM

QVANDAM QVASI EPITOMEN SVBIICIT.
Iuxta prioris Indicis ordinem, & formam.

ARGVMENTVM.

DEDVCITVR iam ad exitum de Regno Italiæ narratio, quod quidem in Germanos demum traductum fuerat: In primis autem ſinguli exponuntur Reges, atque Imperatores Germanorum, & res eorum: nam Imperatorum Conſtantinopolitanorum eatenus aliquam fieri mentionem contingit, quatenus ad res quaſdam Italię eorum commemorationem viſum eſt opportunum adhibuiſſe. Deſcribuntur etiam ſinguli pontifices Romani, & res eorum, tum Hęreſes, concilia &c. Sequuntur etiam Archiepiſcopi, Patriarchę, & res eorum: Duces pręterea quidam. Neque ſolum vniuerſę Italię, ſed ſingularum etiam ciuitatum ſtatus exponitur, nempe bella, ſeditiones, victorię, clades, publica ędificia: item calamitates cęleſtes, vt peſtilentię, fames, diluuia, Incendia, tempeſtates, eo quidem ordine, vt quid quoque anno euenerit, demonſtretur, & nihil memorabile, quod comperiri potuerit, pręter mittatur.

CAPITA INDICIS.

IMPERATORES Orientis, Italiæ domini, & Exarchi Italiæ ab eis impoſiti, & res eorum.
Mores ad Imperium Orientale pertinentes.
Dignitates in Imperio Orientali.
Reges Italiæ, qui ſucceſſere Imperatoribus Orientalibus, & res, ac mores eorum.
Dignitates in Regno Italiæ, vbi de feudis, & feudatarijs agitur.
De titulo Imperij Occidentalis iuncto cum regno Italiæ.
De regno Germaniæ iuncto cum regno Italiæ, & Imperio.
Pontifices Romani, qui in partem ditionis ſucceſſerunt, quam Imperatores Orientis habuerunt, & res eorum.
Hæreſes, Concilia, dignitates, ritus, bonaq; Eccleſiæ Romanæ.
Duces Foroiulienſes, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.
Duces Spoletani, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.
Duces, & Marchiones, qui ditionem in Etruria habuerunt, & res eorum.
Duces Beneuentani, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.
Principes Capuani, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.
Abbates Caſſinates, qui ditionem in Italia habuerunt, & res eorum.
Comites, & Duces Apuliæ, ac Calabriæ, qui in partem ditionis ſucceſſerunt, quam Imperatores Orientis habuerunt, & res eorum.
Archiepiſcopi Mediolanenſes, & res, ac ritus eorum.
Archiepiſcopi Rauennates, & res eorum.
Patriarchæ Aquileienſes, & res eorum.
Patriarchæ Gradenſes, Duces Venetorum, & res eorum.
Italia, & prouinciæ eius.
Vrbes, Caſtra, & flumina Italiæ ordine litterarum.
Exteræ nationes, quæ Italiam inuaſere.
Vrbes Italiæ inſigniter obſeſſæ, aut expugnatæ.
Vrbes, eccleſiæ, & monaſteria condita.
Homines in numerum Sanctorum relati, aut ſpiritu vaticinij præditi.
Familiæ antiquæ Italiæ.
Catalogus uerborum, rerum, ac perſonarum aliarum memorabilium ordine litterarum.
Nomina ſcripturarum, vnde eſt excerpta hiſtoria.

IMPE-

IMPERATORES ORIENTIS ETC.

Numeri annorum, non paginarum notati ſunt.

Anno Chriſti. 1216.

Petrus Antiſiodorenſis Imperator Conſtantinopolis deſignatus, ab Honorio III. Romæ in Baſilica S. Laurentij extra muros Auguſtalibus inſignibus exornatur. 1216.

Balduinus Imperator Conſtantinop. Romæ apud pontificem. 1244. *Intereſt conuentui quē habet Fridericus Veronæ.* 1245. *Adeſt Imperator Conſtantinopolitanus concilio Lugdunenſi.* 1273.

MORES AD IMPERIVM ORIENTALE PERTINENTES.

In his libris nihil.

DIGNITATES IN IMPERIO ORIENTALI.

Nihil.

REGES ITALIAE,

Qui ſucceſſere Imperatoribus orientalibus, &c.

REGES *Longobardi in Italia.*

Nihil in his.

REGES *Franci in Italia.*

Nihil.

ITALICI *Reges in Italia.*

Nihil.

GERMANI *Reges in Italia.*

1200.

Philippus (is frater Henrici V. Imper. fuerat, & ſibi contra Othonem Saxoniæ Ducem Imperium uſurpabat) aduerſus eundem Alſatiam uaſtat. 1200. *Argentoratum quoque obſidet.* 1201. *Etruriam uerò contra Pontificem communit.* 1202. *Otho autem a Pontifice Rex Germaniæ confirmatus aduerſus Philippum bellum decernit.* 1202. *Qui dum Turingiam populatur, Otho a pontificio legato coronatur:* 1203. *Philippus quoque ab Adulfo Colonienſi Archiepiſcopo coronatur* 1204. *& Coloniam deinde grauiter obſidet.* 1205. *Othonē Prælio fugat* 1206: *Pacem cum Othone init.* 1207. *In cubiculo occiditur.* 1208.

1208.

Otho rurſus Rex Germaniæ deſignatur. 1208. *mittit in Italiam Volcherum patriarcham Aquileienſem ut ad obſequia antiqua præſtanda populos pelliciat.* 1209. *in Italiam amice a ſingulis ciuitatibus acceptus ad ſua iura cognoſcenda deſcendit.* 1209. *Mediolani ferream coronam accipit.* 1209. *Romæ a Pontifice auguſtalibus inſignibus & nomine Imperatoris donatur.* 1209. *inuadēs autem*

urbes aliquas contra pontificis volunta-
tem, eius indignationem ſubit. 1209. Re-
dit in Lombardiam ad ſuę fidei magis ci-
uitates applicãdas. 1210. Bellum infert
apertiſſimum Friderici regis Siciliæ di-
tioni. 1210. Piorum cõmunione a Pon-
tifice ſummouetur. 1210. ob id a princi-
pibus Germaniæ relinquitur: qui Frideri-
cum Sicilię regem ex auctoritate pontifi
cis Regem Germaniæ deſignarunt. 1210.
Otho Fridericum multis Apulię urbibus
ſpoliat. 1211. exuitur itaque a pontifice
titulo Imperatoris. 1211. Redit in Ger-
maniam ad principes in obſequio retinen
dos. 1211. Arma ſumit contra eos qui
defecerant. 1212. Fridericus autem ho-
norifice per Italię urbes tranſiens, oblato
Baſilicę Cremonę pallio auro texto, in
Germaniam tendit. 1212. cui nequiens
occurrere Otho in Saxoniam ſe retulit.
1212. Tunc Fridericus Germanię Corò-
nam accipit. 1212. Expeditioni in Ter-
ram ſanctam ſe deſtinat. 1213. Otho ſu-
peratur acie a Philippo Francorum rege.
1214. Vita cedit ualde Eccleſiaſticę in-
iuriæ pœnitens. 1218.
Fridericus Legatum cum mandatis liberis
in Italiam ad omnes ciuitates mittit.
1220. Reycitur ueniens à Mediolanen-
ſibus. 1220. Tranſienſque per ciuitates
diuerſas priuilegia concedit & ſacramen
ta accipit. 1220. Romę ab Honorio Au-
guſtalia ſuſcipit inſignia, & ſacramenta
ſolita exhibet; quin iuramento ſe ad Hie-
roſolyma recuperãda profecturum aſtrin
git. 1220. comites Celani rebelles ſuis eij
cit oppidis: Et Saracenis deuictis Luce-
riam colendam attribuit: in Germaniam
abit. 1221. ira aduerſus Bononienſes cõ-
citatur, quòd armis Imolenſens expugna
rint. 1222. Regem Germaniæ filium ſuũ
Henricum coronari facit: reuerſus in Ita
liam iterum in Orientalem expeditionem
iturum ſe iurat: poſt Saracenis infeſtan-
dis ex Apulia et Sicilia incumbit. 1222.
Ducit uxorem Iolantam filiam Ioannis
Brenni quondam Hieruſalem regis, ita-
que adepto titulo regni Hieruſalem iura-
mento ſe ad expeditionem ſacram aſtrin-
git. 1223. copulatur Iolantæ, ac trien-
nium ad trayciendum in Syriam poſcit.
1225. ſolenniter & publice redintegrat
idem ſacramentum de tranſitu in Syriã.
& literas ad ſingulas ciuitates Italiæ de-
ſtinat. 1225. conuẽtum Cremonæ habet,
ſed infrequentem: a Mediolanenſibus re-
pudiatur: itaque banno imparatorio uni-
uerſas contra ſe fœderatas ciuitates pro-
ſcribit. 1226. pontifici querelas ſuas de
Lombardis per literas exponit. 1226.
Mandat caſtrum Pontiſducis refici Mu-
tinenſibus: & omnes iniurias condonat
ciuitatibus aduerſus ſe fœderatis, ut ea-
rum ad ſe ſtudia alliciat. 1227. ſenten-
tiam execrationis a pontifice latam ſu-
bit, quòd ad ſæpius iuratam expeditionẽ
non traiecit. hinc prima Friderico exti-
tit cum pontificibus contentio. 1227.
Nam cæpit inſidias pontifici parare, &
bellum eius ditioni mouere. 1228. in Sy-
riam contendit. 1228. Recipit Hieroſoly
morum urbem, & ſe corona eius regni
ornat, in Italiamque redit 1229. in Ro-
maniolam mox in Apuliam reuerſus op-
pida ſua recuperat: tum à Pontifice pacẽ
obtinet. 1230. in Lombardiam aulico
tantum comitatu accedit genera bellua-
rum orientalium uaria ſecum addu-
cens. 1231. Iratus Lombardis Aquile-
iam procedit, ubi conuentum cum Henri-
co filio peragit: quam rem ad amicos ſcri
bit. 1232. contra eum Henricus filius cõ
iurat: propterea in Germaniam properat.
1234. quẽ deuicit. Iſabellam Hẽrici An
glię regis filiam uxorem ducit. Conradum
filium Germaniæ regem deſignari curat.
1235. petit per literas a pontifice opem
ad Lombardos obſequentes reddendos.
1236. populatur Mantuanum & Bri-
xianum agrum. 1236. Vicetiam diripit:
Taruiſium obſidet: in Germaniam pro-
perat ad cohibendam ſeditionem Ducis
Auſtriæ. 1236. ad deditionẽ cogit Man-
tuanos. 1237. Vaſtationem lõge lateq;
agro infert Brixiano. 1237. Profligat
Mediolanẽſes & Bononiẽſes ſubſidio Bri
xianis profectos. 1237. plurimo conatu,
et ſæuitia Brixiam obſidet. 1238. Regem
Sardiniæ Hencium filiũ conſtituit inuito
Pontifice. 1239. a quo eycitur commu-
nione piorum. 1239. Ob id ab utriſque
acerbæ inuicem literæ mittuntur. 1239.
Agrum Taruiſinum peruaſtat. 1239.
Bononienſem quoque. 1239. Tum Medio

lanenſem.1239. Terretur audaci aggreſſu Mediolanenſis exercitus: & progreſſus contra pontificias urbes oppida non nulla in ſuam ditionem adducit. 1239. Prelium cum pontificijs legionibus committit. 1239. in Romaniolam uerſis armis recipit Aſculum & Rauennam. 1240. concilium impedit. 1240. Quinque magnos exercitus diuerſis in locis habet. 1240. Nummos coriaceos expēdit. & Fauentinos miſeranda obſidione afflictatos in gratiam recipit. 1241. in Marchia Anconitana plures ſubigit urbes, & ſe in Romanos fines infert. 1241. Eccleſia ciuitates inuadit. 1243. Nouo pontifici iratus Viterbium amittit & finitimas ciuitates, & male audit in vulgo. 1243. Annuit & renuit pontifici, hinc inter eos diſſidium. 1244. ſententia excōmunicationis in concilio Lugdunenſi lata contra ſe admodum iraſcitur. 12;5. Henricus itaque Landgrauius Thuringię rex deſignatur Germaniæ. 1245. Fridericus autem bellum infert Mediolanenſibus. 1245. Hēricus uero rex deſignatus, Cōradum Friderici filium acie ſuperat ad Francfordiam. 1246. contra ille ſuperatur a Conrado, & interit. 1246. Gulielmus comes Holandiæ rex Germaniæ lectus. 1246. a capto Lugdunū itinere Fridericus aduenit ad obſidendam Parmam. 1246. condit urbem Victoriam in agro Parmenſi. 1246. Fundit acie Parmenſes 1248. A quis accipit coronam regni Gulielmus Holandiæ comes. 1248. Qui acie uincitur a Conrado. 1249. Fridericus ueneno petitus in Petrum Vineam ſauit, quem tamen deflet. 1249. capto a Bononienſibuss filio Henrico litteras minaces ad eos ſcribit. 1249. Dum ingens aduerſus Bononienſes bellum molitur, moritur ueneno ſublatus. 1250.

1251.

Inter regnum XXIII. annorum.

Conradus Friderici filius rex Germaniæ & Sicilię in Italiam ad obtinenda regna paterna traycit: conuentumque ſociarum ciuitatum in agro Mātuano agit. 1251. in campaniam progreſſus capuam adducit in poteſtatem, ac pontificios ſane inſectatur. quare Anathemate a pontifice illigatur. 1252. cui nihilominus Neapolim quoque eripit. 1253. Inita miſer execratione moritur Conradino puero hęrede instituto. 1254.

Gulielmus autem cęſar ille, qui fuit Holandię comes domeſtico bello implicitus in Italiam deſcendere nequit. 1254. cum Friſijs bello inteſtino dum pugnat, uictor ſagittę ictu interit. 1256.

1256.

Ricardus cornubiæ comes regis Anglie frater cęſar eligitur, Et ſimul Alphonſus caſtellę rex iiſdem ſed diuiſis ſuffragijs. 1256.

Ricardus comes cornubię in Germaniam profectus inſigni regio decoratur. 1257. Alphōſus autem bellum Ricardo denunciat, niſi regno abſtineat. 1257. dum in Italiam contenderet ad coronam accipiēdam audito Saracenos cordubam inuaſiſſe, ad ſua tutanda redit. 1258.

Ricardus ille cęſar in Anglia obit. 1271.

1273.

Rodulfus comes Habſpurgi, diu diſſidētibus principibus, rex demum eligitur. 1273. Generalem Vicarium ſibi Napum Mediolani conſtituit. 1274. Vocatus a Pontifice in Italiam, quòd Boemico bello implicaretur, uenire non potuit. 1276. Rodulfum Vicarium Imperij in Etruriam mittit, qui ſacramenta ab amicis ciuitatibus poſceret, ac iura quæ relinquebātur, Regni ſiue Imperij retineret. 1276. cedit pōtifici Romaniolæ comitatum, a quo uiciſſim Etrurię uicariatū accipit. 1278. Odonem cancellarium in Etruriam mittit, ut ſacramenta exigeret: quibus detrectatis belloque fruſtra ſuſcepto redit in Germaniam. 1281. ſubſidium Mediolanum ad Othonem Vicecomitem mittit. 1284. Princiuallem Fliſcum Gennēſem vicarium Imperij Generalem in Italiam deſtinat, ut ad priſtinum ciuitates obſequium redigat: quod minime cum effici potuiſſet, Rodulfus ipſe, eo deſperato Regno, uetus huic obſequium remittit, atque integram Italię libertatem concedit ſingulis certam pecunię quantitatem ſoluentibus ciuitatibus. 1286. ſic quod armis non potuerat, pecunia Italiæ regnum ſolutum eſt.

INDEX.

MORES AD REGNVM ITALIAE PERTINENTES.

Nihil.

DIGNITATES IN REGNO ITALIAE.

Nihil.

LEGES IN REGNO ITALIAE.

Nihil.

DE TITVLO OCCIDENTALIS IMPERII IVNCTO CVM REGNO ITALIAE.

Nihil.

MORES AD IMPERIVM OCCIDENTALE PERTINENTES.

Nihil.

DE REGNO GERMRNIAE IVNCTO CVM REGNO ITALIAE ETC.

Nihil in his.

PONTIFICIS ROMANI, QVI in partem ditionis ſucceſſerunt, quam Imperatores Orientis habuerunt, & res eorum.

1201.

Innocentius III. Romæ extruit Hoſpitale S. Spiritus, ordinemque eius inſtituit. 1021. *Othonem rite Germaniæ regem creatum pronunciat: & legatum Coloniam cum mandatis aduerſus Philippum exequendis mittit.* 1202. *is legatus Regē Germaniæ coronat Othonem, quem pontifex ad ſuam cauſam tuēdam litteris accendit.* 1203. *Legatus idem coloniēſi Archiepiſcopatu Adulfum, quòd Philippum coronaſſet, abdicat, eique Brunonem ſubrogat.* 1205. *Leges pontifex S. Franciſco approbat.* 1206. *Philippo cōciliat per legatos Othonem.* 1207. *quem in Italiam ad Imperij coronam accipiendam hortatur.* 1208. *Viterbij amplexatur.* 1209. *Romæ nomine decorat Imperatoris, & auguſtalibus inſignibus.* 1209. *minatur excommunicationem eidem contra data ſacramenta patranti.* 1209. *ac in peius ruenti ſolemnem deteſtationem obijcit.* 1210. *Expeditionem in Terram ſanctam edicit: & Epiſcopos conuocat ad hęreſes & abuſus religionis tollendos.* 1213. *Habet illud Epiſcoporum concilium: in quo diem locumque conſtituit conueniendi crucesignatis. Mediolanenſibus præcipit ut Othonem deſerant.* 1215. *Marchiam Anconitanam affirmat Aldobrādino Ateſtino.* 1216. *Per legatum fulmina eccleſiaſtica Mediolanenſibus inijcit, quòd Othonem relinquere noluiſſent.* 1216. *Peruſię obit.* 1216.

1216.

Honorius III pontifex, qui fuerat Centius ſabellus presb. Cardinalis, Petrum Antiſiodorenſem Imp. Conſtantinopolis coronat: Ioannem columnium Card. ſacræ expeditionis legatum declarat: ſic Saracenos, & Othonianos curat euertere. 1216. *Approbat ſuam S. Dominico Regulam, & ſedes conceſſit.* 1216. *Pacem efficit inter Mediolanenſes, & Parmenſes.* 1218. *Auguſtalibus ornamentis Fridericū Romæ donat, & ſolita ſacramenta exigit.* 1220. *Habet cum eodem colloquium de adeunda terra ſancta.* 1222. *Auctor eſt ut Fridericus Iolantam Regis Hieruſalem filiam ducat, pro dote Hieroſolymitani regni titulo accepto: & ad terram ſanctam recuperandam hortatur.* 1223. *conciliat Friderico Mediolanēſes.* 1225. *Eundem Fridericum publico & ualido iuramento adigit redintegrare promiſſa de tranſitu in Syriam.* 1225. *interit.* 1227.

1227.

Gregorius nonus inſtat ut Fridericus ſe tandem expeditioni ſacræ accingat. 1227. *in quem execrationes profert, & ſententiam, quòd nō traiecit in Syriam.* 1227. *Ideo Friderici inſidijs Roma exigitur: & ab eodem eccleſiaſtica ditio armis belloque oppugnatur.* 1228. *contra Friderici ciuitates armis inuadi mandat.* 1228. *Redigit in diuorum numerum S. Franciſcum.* 1228. *Bononienſes, & Mutinen-*

INDEX.

ſes ad conciliationem, & indutias adigit. 1229. ipſe vero Friderico conciliatur. 1231. deſtinat in Lombardiam legatos ut ad Friderici ſtudium populos trahant. 1231. contumaces Bononienſes, & aduerſus Epiſcopum impie agentes a piorum cœtu pellit. Ac B. Antonium in ſanctorum numerum refert. 1232. Summo ſtudio ciuitatum italicarum pacem concordiamque procurat. 1233. idem agit; & cum reduſſet in gratiam cum Romanis ab iiſdem Roma exigitur, & deinde armis decertant. 1234. Rurſus indicendę crucis decretum redintegrat. 1235. Arbitrum ſe pollicetur inter Fridericum & Lombardos. 1236. ita uehementer ſollicitus eſt de fœderatorum populorum ſalute, ut eo iraſcatur Fridericus. 1237. Quem communione piorum expellit, quòd iura eccleſiaſtica diriperet. 1239. Et aduerſus eum populos incendit, & bellum parat. 1239. cruceſignatorum inſtituit legiones, quas in Fridericum immittit. 1239. conuocat ad concilium uniuerſos Epiſcopos Romam. 1240. idem ſtudet uehementer. 1240. dolore confectus naturę concedit. 1241.

Cęleſtinus IIII. 1241.

1243.

Innocentius. IV. Genuenſis e Fliſca familia. 1243. dum Friderico denunciat, ut ſe criminibus, quibus damnatus erat, purgaret, illius in ſe odium concitat. 1243. quem concordię gratia conuenit, ſed eo inſidias parante tacitam fugam capit. & primum Genuam, deinde Franciam petit. 1244. ſententiam excommunicationis in Fridericum profert in Lugdunenſi concilio. 1245. Henricum quoque filium anathemate ligat. 1246. Redit in Italiam, cuius rebus componendis operam dat. 1251. Ob id Mediolanum adit, ubi conciones frequentes habet. 1251. Laudenſes ſacris interdicit, quòd cęſarianis partibus pertinaciſſime adhęrerent, ac bello premi ab omnibus licere, pronũciat. 1251. Aedes duas recens conſtructas unam fratrum Prędicatorum, alteram fratrum Minorum Bononię conſecrat. 1251. conuentum Brixię haberi iuſſit pro Eccleſiaſtica & Italica libertate. 1252. in Conradum Friderici filium anathema, quòd eccleſias inuaderet, contorquet. 1252. Neapolim recipit, ibique uita decedit. 1254.

1254.

Alexander IIII. Pontifex Neapoli declaratus. 1254. Ordinem Fratrum Eremitarum cinctu habituque atro donat & regula S. Auguſtini obſtringit: Claram quoque Virginem beatarum Virginum numero addit. 1255. Manfredum, quòd Neapolis rex factus eſſet, piorum abigit communione. 1255. Vt Patauium Icilini manibus eripiatur, cruceſignatos indicit, ac legatum huic negocio cum ſumma auctoritate præpoſuit. 1256. Qui plurimis coactis copijs a Bononienſibus Ferrarienſibus atque Venetis totis uiribus Patauium expugnauit, & Icilino ademit. 1256. Vrbem eandem munit & tuetur contra Icilini impetum. 1256. Dum Brixianis auxilio contra Cremonenſes accedit, cum Icilino congreſſus ſuo diſſipato exercitu captiuus fit cum plurimo nobilium numero. 1258. Henricum itaque archiepiſcopum Ebredunenſem ad exercitum Pontifex mittit. 1258. Qui cedit Roma territus popularis factionis tumultu. 1258. Bononienſibus, quòd nolunt obſides reddere Romanis, ſacra gymnaſiumque interdicit. 1260. mortem obit. 1261.

1261.

Vrbanus IV. Trecenſis. 1261. qui ordinẽ militum S. Marię approbat. 1261. ſocij reſque partis Eccleſiaſticæ in dies deteriores infirmioreſque Manfredo rege ſuperante. 1261. & crucem contra ipſum Manfredum indicit, & Carolum fratrem regis Francorum regno ei Sicilię et Apulię promiſſo aduocat. 1263. Linteum ex hoſtia ſanguine profuſo imbutum in Eccleſia Vrbeuetana repouit, diemque celebrandam inſtituit. 1264. obit Peruſiæ. 1264.

1265.

Clemens. IV. Narbonenſis abſens ſubſtituitur. 1265. Carolum ac populos Chriſtianos iiſdem, quibus Vrbanus promiſſis ad arma contra Manfredum transferenda ſolicitat. 1265. Legatos Romam ad Carolum ipſum mittit, qui Pontificis pro

miſſa

miſſa eum eodẽ in tabulas redigunt, quas Pontifex confirmat. 1265. Legatum Ginfredum Bononiam mittit, qui indicta ex Pontificis auctoritate cruce ingentem plurium populorum multitudinem aduerſus Manfredum contrahit. 1265. Cremonam ad Eccleſiaſticas partes traducit. 1267. Mediolanenſibus orantibus non vult Pontifex ſacra reſtituere, niſi Othonem archiepiſcopum recipiant. 1267. Viterbij uita excedit. 1268.

1271.

Gregorius. I X. Placentinus archidiaconus Leodienſis Pontifex electus, cum voti cauſa in Syria ageret. 1221. in Italiam redit, & conſecratur: Othoni Vicecomiti archiepiſcopo auxilium ſpōdet. 1272. concilium Lugdunum indicit. Florentiæ habet orationem, vt cives ad paecem conciliet, quibus offenſus, interdicto ſubijcit ciuitatẽ. 1273. per urbes Lōbardiæ Lugdunũ procedit. 1273. Vbi concilio inſtituto quaſtiones de fide explicata: et decreta in Terrā ſanctam expeditio: modus quoque comitijs pōtificijs conſtitutus. 1274. Alfonſo regi querenti demonſtrata cauſæ illius infirmitate ſuadet ſe regni titulo abdicare, & Rodulfo cedere. 1275. cum Rodulfo congreſſus iuramentum accipit ab eo ſuper tuendis Eccleſiæ bonis, & cruce aſſumpta ſacrum aduerſus Saracenos bellum ineundi. 1275. Moritur. 1276.

1276.

Innocentius V. Ordinis Prædicatorum Florentinos interdicto Gregoriano exoluit, cui poſt quinque menſes extincto Hadrianus V. Genuenſis ſufficitur.

1276.

Hadrianus V. Rodulfum Cæſarem in Italiam uenire ad Caroli regis opes imminuẽdas præcipit, & uitam amittit. 1276.

1276.

Ioannes X X I. Vlyſſiponenſis: 1276. Viterbij in cubiculo dormiens repentina cameræ ruina oppreſſus interit. 1276.

1276.

Nicolaus III. Vrſinus ſexto menſe creatur, quia Carolus rex, ut Gallus aliquis ad pontificatum eueheretur, omni ſtudio contendebat. 1276. Carolum regem ſenatoria dignitate exuit: ſtatuitque ut nullus rex, aut regij ſanguinis, aut dignitatis excelſioris poſt hac in Senatorem urbis aſſumi, neque urbs a quoquam quocunque nomine regi vltra annuum ſpacium poſſit: Rodulſum item cæſarem reprehendit quòd nec in Italiam adhuc venerit, nec ad Hieroſolyma recuperanda ſe comparaſſet, & cum eo Vicariatum Etruriæ cum Romaniolæ comitatu permutat: cuius comitẽ declarat Bertoldum Vrſinum fratrem, de quo uide in catalogo perſonarum. 1278. Vita cedit 1280.

1281.

Martinus I V. Turonenſis. 1281. Ioannem Eppam nepotem ſuum loco Bertoldi comitem Romaniolæ declarat, ac neceſſarijs rebus copijſque inſtructum, bellum aduerſus imperium Eccleſiæ abnuentes gerere imperat. de quo cętera uide in catalogo perſonarum. 1281. Naturę concedit. 1285.

1285.

Honorius IIII. Sabellus Vidonem Monteſeltrium ueniam petentem recipit in gratiam: & ita totam Romaniolam ad obſequium antiquum redigit. 1285.

¶HAERESES IN ECCLESIA NATAE.

Albigenſium 1202.
Variæ hæreſes ex Gallia in Lombardiam tranſlatæ. 1229.
Catharorum. 1279.

¶CONCILIA AD REFORMANDAM ECCLESIAM.

Concilium Innocentij III. Romæ ad hęreſes & abuſus tollendos: in quo dies certa ad conueniendum cōſtituta eſt omnibus, qui contra Saracenos arma ferre uelint. 1215.
Concilium Innocentij IV. Lugduni ad remedia laboranti Reip. opportuna excogitanda: & Pontifex in Fridericum Anathematis ſententiam tulit. 1245.
Concilium Gregorij I X. Lugduni, in quo de Spiritu ſancto quæſtio contra Gręcos definita: comitijſque Pontificijs ordo moduſque adhibitus, & conclaue inſtitutum. 1274.

INDEX.

DIGNITATES ECCLESIAE ROMANAE.

Nihil.

RITVS AD PONTIFICEM PERTINENTES.

Comitia pontificia, quę in lõgum trahi propter diuturnas patrum diſſenſiones cępta erant, legibus nouis formata, & conclaue inſtitutum in Lugdunenſi concilio; ut eis anguſtijs Cardinales aſtricti pontificiam electionem maturius expedirent. 1274.

DITIONEES ET BONA ECCLESIAE ROMANAE.

Rodulfus Cæſar Romaniolæ comitatum qui ad ius Eccleſiæ ab antiquo pertinebat, Nicolao III. Pontifici reſtituit. 1278.

DVCES FOROLIVIENSES, QVI DITIONEM ETC.

Nihil.

DVCES SPOLETANI, QVI DITIONEM ETC.

Bertoldum Otho Cæſar familiarem ſuum Ducem Spoleti inſtituit. 1209.

Rinaldus Ducis Spoleti filius a Friderico Vicarius ad affligendas eccleſias relinquitur. 1228.

DVCES AC MARCHIONES TVSCIAE ETC.

Tuſcię tres illę ditiones cum ad pontificiam ſedem Romanam iure & legitime perueniſſent, eæ uexari ſolitæ ſunt a regibus pontificiæ ſedis inimicis, ut ab Othone 1209. *a Friderico quoque* 1239. *a Manfredo, item Friderici filio.* 1258. *quibus in locis & alibi trium illarum ditionum elicitur pontificia poſſeſſio. In eaſdem ſe pontifices, cum ſe tueri aduerſus inimicos uellent, referebant, ut uideri poteſt in nocibus aliquibus earum urbium, & in pontificibus ipſis. Extat autem prętεrea.* 1278. *mentio Vicariatus Etrurię, quem cum poſſideret Carolus Sicilię rex poſcente Pontifice Rodulfo Cæſari ceſſit: nec ibi patet ad cuius ſpectaret iura.*

DVCES BENEVENTANI, QVI DITIONEM ETC.

Nihil.

PRINCIPES CAPVANI, QVI DITIONEM ETC.

Nihil.

ABBATES CASSINATES, QVI DITIONEM ETC

Nihil.

COMITES ET DVCES APVLIAE ETC.

Fridericum in Apulia commorantem regem deſignant Germanię Principes ex authoritate Pontificis. 1210.

Manfredus filius ei mortuo ſucceſſit. 1250. 1254. 1255. *crucem aduerſus eum Pontifex edicit; quòd acriter eccleſię res urgeret: &, ut illum eijceret, Carolum comitem Andegauenſem oſtendit regem Sicilię atque Apulię ſe inſtituturũ.* 1263. *Huic igitur legati Põtificij regnum Apulię atque Sicilię deferunt: idemque confirmat Pontifex.* 1265. *Duo itaque illi ipſi reges ſummo pręlio in Apulia decertant, quo non ſolum funditur exercitus Manfredi, ſed & ipſe interimitur.* 1266.

Carolus armis contra Conradinum, Friderici nepotem accurrit & copias eius delet. 1267. *Exercitum autem Caroli profligat Cõradinus per ſuos pręfectos.* 1268. *Carolus uero diſſipato deinde exercitu Conradini captum ipſum ultimo afficit ſupplicio.* 1268. *Carolo ducitur filia Ducis Burgundię illi deſponſa.* 1268. *Mittit Brixianis auxiliares copias.* 1271. *Pacem inter factiones Florentinas pœnis conſtitutis firmat.* 1273. *Rem Bononienſium mirifice militum pręſidio miſſo adiuuat.* 1275. *Tum poſcenti ita Pontifici*

ſenatoriam dignitatem exuit, Rodulfo uero Etruriæ Vicariatum cedit. 1278. Siculi deficiunt Gallis omnibus hora ueſperarum trucidatis, & ſe Petro regi Arragoniæ tradunt. 1282. Vitam amittit, & Carolo filio Apuliæ regnum reliquit.

ARCHIEPISCOPI MEDIOLAnenſes, & res eorum.

Mediolanenſes cum Brixianis obſidentes Soncinum aduerſus Cremonenſes ſæpe decertant. 1200. Soli autem in Papienſes cõuerſi multa oppida euertunt. 1200. Rurſus Brixianis iuncti caſtra nonnulla Cremonenſibus ac Bergomatibus erepta disijciunt. 1200. Concedunt Laudenſibus patem. 1200. Viglebanum occupãt profligatis certamine Papiẽſibus. 1201. Res ciuitatis ad unum arbitrum delata: & carrocium aduerſus Bergomates educunt. 1202. irrumpentes in fines Cremonenſium uaſtant Soncini agrum, & mox pace conciliantur. 1203. Nobilitas reconciliatur cum credentia. 1205. Hubertus Pirouanus Archiepiſcopus Lampugnano extincto ſufficitur. 1206. Ponteuicum Brixianis recuperant. 1208. Othonem regem inuitãt in Italiam. 1208. eius legato ſacramentum fidelitatis dicunt. 1209. Excipiunt ipſum Othonem iucundo ſpectaculo, & corona ferrea ornant. 1209. Gerardum Seſſium Pontificis legatum accipiunt Archiepiſcopum Mediolani, quo paulo poſt mortuo Henricus ſeptara locum eundem tenet. 1211. Friderico regi tranſitum impedire conantur, Othonis partibus inhærentes. 1212. Bello ob id populationibuſque Montemferratum, & Papienſem agrum diuexãt. 1212. Brixianos quoque aggrediuntur. 1212. Acri bello quidem Cremonenſes urgent, ſed ab eis ſuperantur. 1213. Laumellinam inuadunt. 1213. Cremonenſes maiori illata clade vlciſcuntur. 1214. In Laumelli. irrumpentes caſtella multa adimunt. 1214. Poſt caſtra item multa ſternunt diripiuntque Papienſium: etiam in Montemferratum irrumpunt, & in Cremonenſes. 1215. Communione piorũ abiguntur a Pontifice, quod nolunt Othonẽ relinquere. 1216. ſæuiunt armis in fines Papienſium. 1216. Cremonenſes prælio franguut, & carrocium abducunt. Tum agrum Parmenſem peruaſtant. 1217. Iterum caſtra plura Parmenſium & Regienſium excindunt, prælioque eos uincũt ſed poſtea pax celebratur, ſic Mediolanenſes eccleſiaſtico interdicto leuãtur. 1218. renuunt obedire Friderico regi. 1220. Agitantur ciuili diſcordia. 1221. ſæuiũt inter ſe armis. 1222. Friderico reconciliantur. 1225. eundem tamen de eo male ſuſpicantes repudiant. 1226.

Ad ſua facienda imperata bello cogunt Marchionem Montisferrati: prælio quoq; cum Sabaudiæ comite confligunt. 123?. Gulielmus Rozulus archiepiſcopus ſufficitur. 1230. iterum mouent in Montemferratum. 1231. confligunt cũ Cremonenſibus. 1234. quorũ fines prędãtur. 1234. Fundũtur fugãturq; a Friderico. 1237. a cuius amicitia reiecti ſuæ libertati magis incumbunt. 1247. cogũt ad ſuũ Imperiũ accipiendũ Papienſes. 1237. ad Ferrariẽſem obſidionem coeunt. 1240. ulciſcũtur defectionem Comenſium. 1240. in hæreticos ultimo ſupplicio uindicãt. 1240. auxilio Parmẽſium adueniunt. 1241. iterũ Comenſium defectionẽ ulciſcuntur. 1242. Muniunt Melegnanum. 1243. Arouam Friderico eripiunt. 1249. Aduerſus Laudenſes cum carrocio exeunt, caſtella excidunt, & agros uaſtant. 1250. Per benigne excipiunt Pontificẽ. 1251. Gerardo Rangono duce confligunt, & arcem Laudenſem recipiunt. 1251. Sæuiunt inter ſe nouæ ob hæreſes ſeditione, cum Fr. Petrus Veronenſis Martyrij morte affectus eſt 1252. Exercitum contra Papiẽſes in fines Viglebanenſium ducunt, & caſtra oppugnant. 1253. Leo archiepiſcopus ac ciues curant, ut Pontifex in numerum SS. Martyrum Fr. Petrum Veronenſem referat. 1253. Leone archiepiſcopo auctore popularis Reſpub. inſtituitur duobus conſtitutis præfectis ſiue Antianis, vno qui nobiles, altero qui populares duceret. 1256. Has inter partes diſſidium oritur, & nobiles ui expelluntur urbe, Leo autem uita emigrat. 1257. Pax inde cõponitur legato pontificio ſuadente. 1258. ſed erũpit rurſus ſeditionis tumultus ita ferus, ut ad proditionem patriæ tendat.

INDEX.

1259. *Icilinus quòd occupare vrbem nequiuerit, agrum igne ferroque inuadit.* 1259. *Mediolanenſes duce Martiuo Turriano, cum Azone Ateſtino, & Cremonenſibus inſequuntur Icilinum, & prçlio commiſſo uiuum capiunt.* 1259. *Huberto Palauicino militare Imperium certo ſtipendio deferunt ad Nobilitatem coercendam.* 1259. *Nobiles adiuncti Bergomatibus irrumpunt in Mediolanenſem agrum: ſed a Martino Turriano, diſſipantur.* 1261. *Qui Nobiles illos qui finibus agri Mediolanenſis occluſi tenebantur, in diuerſas Lombardiæ ciuitates dimittit.* 1262. *Noua inter Turrianos & Vicecomites ſeditio oritur, quæ occaſionem clariſſimo Vicecomitum Imperio detulit, quòd Pontifex Othonem Vicecomitem Archiepiſcopum Turriano reprobato elegerit.* 1263. *Aronam atque Augleriam Turriani excidunt.* 1263. *ſibi quoque Martinus Nouariæ Imperium uendicat, eo ſeditionem mouentibus ciuibus accitus: & moritur.* 1263. *Philippus Turrianus dominatu in urbe conſtituto bellum Huberto qui Nobilibus fauebat, & Boſoni infert.* 1264. *Accitus Brixiam Huberto eiecto moritur.* 1265. *conuentus omnium fœderatarum ciuitatum habetur Mediolani, & fœdus ad libertatem tuendam uetus inſtauratur.* 1267. *Nuncios ad Pontificem, ut interdicto liberentur, mittunt: & carrocium aduerſus Papienſes trahunt.* 1267. *in urbem honorifice admodum & lçte adducunt filiam Ducis Burgundiæ Carolo deſponſatam.* 1268. *in Laudenſem agrum exercitum ducunt: contra in ſuum Hiſpanus alter exercitus irrumpit.* 1269. *Laudenſe Turriani continuant bellum, & in urbem facta pace Napus receptus eam præſidio munit.* 1270. *Nouariam, quæ defecerat, armis ad officium redigit.* 1271. *Turriani bella facere inſiſtunt: & Nouariæ arcem, quo ciues coerceantur, ędificant.* 1272. *Exules cum Hiſpanis iuncti aduerſus Turrianos è ponte Ticini præſidium exigunt.* 1275. *Pontifex, dum eſſet Mediolani, Turrianis benigne habitis, Othonem Bugellę ſe in exilio continere mandat.* 1275. *qui captis aliquot oppidis, excurſionibuſque factis, confligit cum Turrianis, & victus fugatur.* 1276. *rurſus renouato bello uincit, & uincitur, ſed opportunis acquiſitis terra aqua quę auxilijs conatus alios facit, ſed Turrianorum terrore, in fugam rurſus uertitur.* 1277. *Rurſus maioribus collectis uiribus tam fortiter cum iiſdem dimicauit vt magna cæde facta Napum etiã ipſum cũ multis proceribus ceperit.* 1277. *Qua re reliquis eiectis Turrianis ciuitas ipſa per benigne Othonẽ recipit ut Eccleſiæ Antiſtitẽ.* 1277. *Res ille ciuitatis ita cõſtituit, ut tanquã parens cultus ſit.* 1277. *Emergunt deintegro aliunde Turriani, & captis oppidis aliquot, ita ferociter ad ſuburbia proceſſerunt, ut magnus in urbe tumultus concitus ſit.* 1278. *contra Othoniani Marchione Montisferrati Duce delecto vi inſidijſque reſiſtunt.* 1279. *Hic quoque Marchio Hiſpanis aſſociatis Turrianos disijcit: rurſus perempto Caſſono Turriano exercitum omnem profligat: & ſic Mediolanum Vicecomitibus relictum eſt.* 1281. *Marchio autem Vicecomites prodere ſtudet ſibi Mediolani Imperium vindicare conatus.* 1282. *Qua re animaduerſa Otho Marchionis Vicarium urbe deijcit, ipſumque Mediolanenſem agrum ingredi uetat.* 1283. *Vido Turrianus, qui captiuus erat, euadit.* 1283. *magnis præſidijs Otho etiam a Rodulfo Cęſare accitis loca recipit amiſſa: Matthęum Vicecomitem ſolum Vicarium retinet, quod ipſius initium dominationis fuit: Marchio uero bellum parat.* 1284. *Qui quidem Turrianis etiam adiuuantibus maximum exercitum aduerſus Othonem adducit.* 1285.

RITVS ECCLESIAE Mediolanenſis.

Nihil.

ARCHIEPISCOPI RAVENnates, & res eorum.

Rauennatibus eripitur a Foroliuiẽſibus Argẽta, captiuiq; aliquot adducũtur 1200. *ſequũtur arma Azonis Ateſtini.* 1211.

INDEX.

Vbaldus Archiepiſcopus ad Syriacam expeditionem ſumma diligentia Bononienſes hortatur. 1214. Rauennates iurare adigit Legatus Friderici hoſtes ſe futuros Bononienſibus & Fauentinis, ſi parere Friderico recuſent. 1220. Rauenna in Friderici ditionem adducitur. 1240. Philippus Fōtana archiepiſcopus efficit, ut inter Rauennates, & Bononienſes amicitiæ fœdus ſcribatur. 1253. idem Legatus Pontificis iuſſu crucem aduerſus Icilinum indicit, atque ita ingentem exercitum Patauinum adducit, & magnis uirium periculis capit & liberat. 1256. Captiuus fit prælio ab Icilino ſuperatus. 1258. Bonifacius Gallus in poſſeſſione Eccleſiæ Rauennatis loco Philippi Fontanæ demortui conſtituitur. 1275. Nouum ſeditionis certamen oboritur, quo & Hieremęi Bononienſes partem, quæ urbem ipſam occupauerat, fouerunt. 1277. Rauennates obſequio ſe pontificio committunt. 1278. Bononienſibus adſunt: partes a Bertoldo Vicario Pontificis, Bonifacio quoque Archiepiſcopo adiuuante inter ſe reconciliantur. 1279. Bononiēſibus adſunt Rauennates. 1281.

PATRIARCHAE AQVILEIENSES, ET RES EORVM.

Volcherus Patriarcha Legatus pro Germanis ad Innocentium Pontiſ. 1207. Pro Othone rege in Italiam uenit ad Imperij iura cognoſcenda. 1209.

Bertoldus homo Germanus ex Archiepiſcopo colonienſi Patriarcha fit Aquileienſis. 1219. Intereſt Funeri S. Dominici. 1221.

Aquileiæ Fridericus peragit cum principibus Germaniæ conuentum. 1232.

Raimundum Turrianum eccleſia Pontifex Aquileienſi ornat. 1273. is afflictatis in Lombardia Turrianis cum firmiſſima militum aduolat manu. 1278. cui cum Othone Mediolani Archiepiſcopo pax conuenit, ſed a Marchione Montisferrati turbatur. 1279. inſigni admodum accepta clade ab armis diſcedit. 1281.

PATRIARCHAE GRADENſes Duces Venetorum, & res eorum.

Veneti in Ludicro Taruiſij ſpectaculo Patauinis offenſi eorum agrum incurſionibus diuexant, & utrinque in arma itur. 1215. bello Mediolanenſi aduerſus Fridericum ſuſcepto Ducis Venetiarum filius Petrus Theupolus Mediolani prętor captiuus a Friderico fit. 1237. Gerunt ipſi acriter in Apulia aduerſus Fridericum bellum. 1239. cum Pontifice fœdus percutit Dux Venetiarum, qui ſumma Friderici vlciſcendi cupiditate flagrabat, quòd Petrum filium ſupplicio ultimo affeciſſet. 1239. Eodem itaque Iacobo Theupolo Duce alijs iuncti fœderatis obſident aduerſus Salinguerram Ferrariã, quæ vi Eccleſiaſticæ ſubijcitur ditioni. 1240. Ceruienſibus incaſſum aduerſus Bononienſes auxiliantur. 1254. Naualem apparatum & militares copias ad Patauij oppugnationem aduerſus Icilinum adducunt Pontificis hortatu. 1256. Oratione pontificij legati, & crudeli ſpectaculo matronarum Taruiſinarum uiſo accenduntur ad armis ulciſcendum illud Alberici de Romano facinus. 1259. Noua imponunt vectigalia mercibus Pado uehendis; & commeatus mari deuehi ſolitos deferri mandant Venetias, Laurentio Theupolo duce, quòd a uicinis ciuitatibus in magna rei frumentariæ inopia ſibi commeatus non præberetur. 1268. eam rem ferre nolentes Bononienſes, nec ulla per legatos compoſitione intercedēte, ad arma prorumpunt. 1270. quibus improuiſo adorientibus Veneti fugantur, ſua tamen deinde recuperant, & acrius inſtant. 1271. Pax autem utraque in armis ſubſiſtente parte, pactis conditionibus, efficitur. 1273.

ITALIA.

Ordinationes Italiæ quæ in priori Indice extant, nulla eſt cauſa cur uel immutentur, vel hic etiam repetantur. Ergo quæ ad populorum ipſius communionem, & conſociationem pertinent, hic opportunum tantum eſt aducere.

Italici in primiſque Lombardi fœdus antiquum renouant aduerſus omnes qui libertatem ſolicitare ſuam vellent. 1226. Qui populi Friderico faueant 1226. iniu

rix

INDEX.

riæ omnes à Friderico condonantur ciuitatibus aduerſus illum fœderatis. 1227. in duas partes diſtracta alijs imperij, alijs Eccleſiæ auctoritatem ſequentibus. 1228. Habent conuentum Veronæ contra aduerſarios populos 1229. Mediolani renouant iuramento fœdus. 1229. Aduerſus Fridericum nouo iureiurando fœdus ſanciunt 1231. Henricum Friderici filium, & alios principes deſcendere ad Alpium anguſtias prohibent. 1232. Pacantur omnes inter ſe monitis, & opera fratrum prædicatorum, & Minorum. 1233. rurſus diſſentiunt inter ſe. 1234. iuſſu Pontificis conuentum Brixiæ habent ad ſuam, & Eccleſiæ libertatem tuendam. 1252. Plerique Mantuam conueniunt, & fœdus cum rege Carolo aduerſus Gibellinos percutiunt. 1265. Mediolanum legati ueniunt fœderatarum ciuitatum, ubi contra Conradinum Friderici nepotem fœdus inſtaurant ad ſuam ciuitatum libertatē, pariter & Eccleſiaſticā defendendam. 1267. Cum ſuperioribus temporibus ſemper in armis contra reges externos pro libertate ſtetiſſent, nec adhuc animos neque arma vellent ad illorum obſequium deponere, deuenit ad hāc conditionem Rodulfus cæſar, ut certam pro libertate accipienda pecuniam penderent; qua ſoluta, illi præcipua etiam libertatis redemptæ priuilegia obtinent. 1286.

VRBES ET CASTRA Italiæ quæ in hac Hiſtoria præcipue nominantur.

Abiatum caſtrum in Mediolanenſi agro. 1245.

Albanum in Ducatu Romano Saraceni ſic expilarunt, ut ne naſa quidem ſacra reliquerint. 1243.

Alexandria ui capitur a Friderico. 1237. deſciſcunt ab eodem. 1243. Fauent Marchioni Montisferrati contra Mediolanēſes occulte ſe armanti. 1282.

Altedenſis ager a prætore Bononienſi aſſignatur quibuſdam familijs Lombardorum domo expulſis. 1231.

Altinas porta Patauinæ urbis. 1256.

Anagnia in Ducatu Romano. Fridericus pedes Anagniæ conuenit Pontificem, & ab eo execrationibus abſoluitur, conuiuioq; excipitur. 1230. Cardinales Anagniæ cōueniunt, ubi deſignant conſecrantque Innocentium IIII. Pontificem. 1243. Alexander IIII. Pontifex Anagniæ Claram Virginem in numerum beatarum Virginum aggregat. 1255. A Romano populo Anagnia oppugnatur, Manfredo Siciliæ rege aduerſus Pontificem ſubſidia miniſtrante. 1258.

Anconitanæ Marchiæ partem Gualterus Comes Celani obtinet: qui cum ab Aldobrandino Ateſtino prælio interfectus eſſet, ipſam integram Marchiam Aldobrandino relinquit. 1215. Et Innocentius Pōtifex Marchiā ipſam ab Aeſi ad Leaſtrum amnem Aldobrādino affirmat. 1216. armis Friderici aduerſus Pontificem oppugnatur. 1228. & 1239.

Angleria in agro Mediolanenſi exciditur. 1263. occupatur a Vicecomitibus. 1276. 1276.

Aqua pendens in Tuſcia aditur a Friderico. 1245.

S. Archangeli caſtrum Ariminenſium capitur. 1216.

Argellata Bononienſium caſtrum. 1200. 1249. 1249.

Argenta Rauennatium capitur. 1200.

Ariminum. Ariminenſes prælio Ceſenatum exercitum profligant: ſed cum ijs accurriſſent auxilio Bononienſes, & ipſi prælio uiciſſim clade maiori profligantur: quare pax efficitur. 1216. metuentes autem Bertoldum Imperio Pontificis cum exercitu aduenientem ſe vltro Pontifici ſubijciunt. 1278.

Arola in finibus Regienſium. 1249.

Arona ad fines Mediolanenſes. 1216. 1249. & exciditur. 1263. occupatur a Vicecomitibus. 1276. 1276.

Arretium in Etruria. Caroli Siciliæ regis profligatur exercitus ad Arretium a Conradino. 1268. Arretio conſecratur Innocentius V. Pontifex. 1276. Priuciuallis Fliſcus Vicarius Imperij generalis Arretium profectus Etruriæ populos contumaces pronunciat, & ſolemni edicto proſcribit. 1286.

Arquatum, Placentinorum caſtrum. 1200.

Arx cottarum in agro Mediolanenſi. 1245.

INDEX.

Aſculum recipitur a Friderico. 1240.

Aſſiſiũ a Friderici duce debellatur. 1246. *eo ſe Pontifex tuitionis ſui cauſa refert.* 1258.

Ateſte oppidum Ateſtinorum Marchionum à Patauinis oppugnatur. 1213. *ab Icilino.* 1249.

B

B*adianum oppidum Mutinenſis ditionis obſidetur* 1211. *ubi ſitum, & iterum obſidetur.* 1228. 1234. *incenditur.* 1246. *in pactionibus cum Bononienſibus initis apponitur.* 1249.

Bagnaria caſtrum Imolenſium. 1222.

Balugola caſtrum in Mutinenſium finibus. 1239.

Baradellum Comi arx. 1277. 1283. & 1285.

Bardonicium caſtrum in agro Papienſi. 1215.

Barlaſſina inter Comum & Mediolanum. 1252.

Barzanora oppidũ in Mediolanenſi. 1222.

Baſilica Petri pagus in Mediolanẽſi. 1239.

Baſſianum ad fines Patauinos oppidum Icilini Monachi. 1213. 1228.

Baſſianum oppidum ad Abduam. 1245.

Bergatum in Laudenſi agro. 1278.

Bergomum. armis adſunt Bergomates Cremonenſibus cōtra Mediolanenſes. 1200 *qui propterea in Bergomates arma uertunt, caſtraque adimunt.* 1200. *Fœdere cum Mediolanenſibus exulibus inito, armis vnà in Mediolanenſem agrum irrumpunt: ſed egreſſi exercitus terrore concuſſi ex compoſito recedunt.* 1261. *per Legatos Mediolanum miſſos inſtaurationi ueteris fœderis Lombardorum conſentiunt.* 1267. *ſe Turrianis ad Laudenſe bellum aggregant.* 1270.

Bellicadorum. 1275.

Bellunum in Venetia. Agri Epiſcopi diripiuntur ab Icilino 1229. *Qui Bellunum oppugnat.* 1248. *& capit.* 1249.

Bonaſcum caſtrum Papienſium. 1215.

Bondenum Ferrarienſium caſtrum. 1224.

B O N O N I A.

Bononienſes Medicinam & Argellatam recipiunt, deinde Imolenſium agrum Cæſareum armis ſubigunt. 1200. *& caſtrũ S. Petri ędificant.* 1200. *Auxilio ſunt Regienſibus aduerſus Mutinẽſes.* 1201. *Fauentinis etiam contra Foroliuienſes.* 1201. *Iterum Regienſibus contra Mutinenſes.* 1202. *cum Ferrarienſibus non armis, ſed ex iure de finibus tranſigunt: arma uero bellumque ſtudioſe parant in Mutinenſes, etiam fœdere cum Regienſibus conſcripto.* 1203. *ſed rem cum Mutinenſibus per compromiſſum ad concordiam redigunt.* 1204. *Arma conuertere in Piſtorienſes, cum decreuiſſent, ob id paciſcuntur cum Florentinis & Fauentinis.* 1204. *in auxilium Regienſium liberant Suzariam obſidione.* 1208. *pacẽ cum Piſtorienſibus faciunt.* 1208. *ſolemne dant ſacramentum Othonis legato, ceduntque eidem quę cæſarei iuris occuparant.* 1209. *Ab Othone Imperatore veteris priuilegij confirmationem referunt.* 1210. *Imperatori adhęrentes partes eius aduerſus Ferrarienſes tuentur.* 1211. *Arma aduerſus Piſtorienſes moliuntur.* 1211. *Quòd Abbatem S. Stephani mulctarunt, ipſis ſacra Pontifex interdicit.* 1211. *Ludicrum equeſtri concurſu exhibent Othoni.* 1211. *Piſtorienſium fines exercitu inuadunt.* 1212. *Fauent Aldobrandino Ateſtino contra Salinguerram.* 1212. *Et Mutinenſibus.* 1213. *Fœdus redintegrant cum Fauentinis & Regienſibus.* 1214. *Liberaliter opem pollicentur expeditioni ſyriacæ.* 1214. *Tam magnum ſubſidium Ceſenatibus conferunt, ut & victoriam illis inſignem pariant, & ſibi auctoritatem.* 1216. *Diſceptationem Foroliuienſium & Fauentinorum ad ſuum arbitrium aduocant.* 1218. *ſocietatem cum Regienſibus inſtaurant: & Fauentinis ſocia arma præſtant.* 1219. *Nomine Friderici poſtulatur, ut Imolenſem agrum reſtituant.* 1219. *Rem tamen inter Imolenſes & Fauentinos componunt.* 1219. *ſuam quoque controuerſiam cum Piſtorienſibus ad arbitrium deferunt.* 1219. *Honeſte conſulunt Sambucanis.* 1219. *Quibus uerbis in publicis negocijs rebuſque inſtituendis utebantur.* 1219. *Sacramento alacriter dato recipiuntur in gra-*

tiam

INDEX.

ſiam Friderici regis. 1220. qui honorifico
eos indulto et Epiſcopum decorat. 1220.
Eundem Epiſcopū alio amplo priuilegio
ornat legatus Friderici. 1221. ad eundem
Pontifex decretum diuulgandum mittit.
1221. Rectores Caſtri Imolæ iura Impe-
rij cuſtodire, iubent. 1221. Vrbs multis
magnificiſque operibus publicis ornatur.
1221. Fœdere percuſſo cum Fauentinis
agrum Imolcaſem populantur et vaſtāt.
1222. In deditionem tandem conditioni-
bus aliquot accipiunt. 1222. Quæ res pri
ma Bononiēſes ab amicitia Friderici alie
nauit. 1222. Honeſtiſſimas incolis adue-
nis exhibent conditiones. 1222. D. Petri
Baſilica & ædificia alia terrę mota pro-
cumbunt. 1222. ſe parant inſtruuntque
ad minas bellumque ſuſtineadum Fride-
rici. 1223. peſtilentia uexantur: & tar-
rim Baſacomatrę decutiunt. 1225: ius
eis gymnaſij abirato Friderico adimitur.
1226. Aduerſus Mutinenſes duo caſtra
in finibus condunt. 1226. Orta ſeditione
inter populum ae Nobilitatem reip. ſta-
tus in nouam formam redigitur. 1228.
Aduerſus Matinenſes obſideat Badia-
num, & prçlio decertant. 1228. Magna
vi iterum petunt Mutinenſes, & uarie
pagnant, iaducijs inde ſolemniter pactis
qaieſcunt. 1229. Nonnullas Lombardo-
rum familias in urbem accipiunt. 1231.
Seditioae aduerſas Epiſcopam laborant.
1231. Ob quam a Pontifice piorum cętu
amoueatur. 1232. ia qaem reſtituuntur,
amice ea ſeditione pacata. ac magnopere
ad concordiam pietatemque cōfirmantar
fratris Prędicatoris opera. 1233. ſeditio
ne concitaatur: & ignē ferrumq; in Mu
tinenſem agrū inferunt. 1234. Arma Fo
roliaiēſibus intentant, & Solarolum eri
piunt Fauentinis opē ferentes. 1235. Ex
curſionibus et populationibas in Mutinē
ſes agunt. 1235. Fagātur cū Mediolanē
ſibus a Friderico. 1237. Diripiant pagos
eaertuntque caſtrum Leonem Mutinea-
ſium. 1237. In Friniates, & Mutinen-
ſes armis iaeunt. 1237. Gibelliaos arma-
tos fortiter ad Fauentiam ſaperant: &
conatum etiam omnem in Mutiaēſes aer-
tant. 1239. Mutinam turmis eqaeſtri-
bus aocta prouolant. 1239. retro pedem
ferre magno detrimento accepto a Muti-
nenſibus compelluntur. 1239. Magno
animo & conatu aduerſus Fridericum
tenduat. 1239. Leges duas ferunt, ne fœ-
derati immiſceantur inuicem aduerſarijs
ciuitatibus. 1239. Ferrarienſi obſidioni
adſiſtunt. 1240. paciſcantor cum Ferra-
rienſibus. 1240. Pacantur ciuiles ſimul-
tates. 1244. ad Luzariam cū ſocijs con-
ſidunt. 1246. Tum in Mutinenſes irrum-
peates caſtra capiunt & agrum uaſtant.
tum in Romaniolam ducunt. 1248. ſe-
data per ipſos Imolę ſeditone ſibi eam
obnoxiam reddunt. de tribatis Medici-
nę & Argellatæ publiciſque functioni-
bus decernunt. 1249. prçlio magno ſa-
perant, & capiunt Hencium Friderici fi-
lium. 1249. iterum de Medicinatibus &
Argellatenſibas decernunt. 1249. Vim
magni belli inferūt Mutinenſibus. 1249.
itaque eos obſidione fatigant, ut ad dedi-
tionem impulerint. 1249. Magno com-
meatu egregie ſubleuant Parmenſium
iaopiam. 1250. Innocentium. IV. Pon-
tif. ingenti ſtadio excipiāt. 1251. is duas
ędes vnam fratrum prædicatorum, alte-
ram fr. Minorum conſecrat. 1251. Cer-
uiam armis iuris ſui faciunt: ob quam rē
ſanciunt ut feſto die S. Petri baſilicam
eias inuiſant ad eamque cereos 20. geſteat
1254. compromiſſo facto de poſſeſione
Friatani, id tamen agunt, ut ſao potias
quam alieno beneficio illud recuperare
Mutiaenſes uelint: ſed fruſtra. 1255.
Faueatinos, Balneocaballenſes, Foroli-
uienſes, & Foropopilienſes in ditionem
ſolenni conſenſa accipiaat, cum domeſti-
cis ſeditionibus agitati ultro ſe ſuæ ſalu-
tis gratia Boaonienſibus dederent. 1256.
Ob harum rerum proſperitatem multa
erga Deam ſuæ bonæ uoluntatis argumē
ta exhibent, & lętitiæ cauſa binos eqao-
rum annuos curſus inſtituunt: quin etiam
homiaes, qui ſeruitutem ſeruiebant, po-
pulus perſoluto dominis precio liberat.
1256. Legati pontificij ſuaſa ad ſex mil-
lia hominum, cruce ſumpta aduerſus Ici-
linum, ad Patauij oppugnationem decer-
nunt. 1256. Pontem, opus Romanæ ma-
gnificentię, lateritium ſuper Rhenum am
nem in uia æmilia perficiunt: in Roma-
niola curium occupant: & Imolenſes ad
obſequia redire cogaat. 1257. ſeditionis

morbus, quem ciuitas iampridem occulte contraxerat, palam erumpit, in duas factiones ſecreta ciuitate, quarum una Eccleſiæ, altera Imperij partes ſequebatur. 1258. ſacra illis interdicta & gymnaſiũ a Pontifice quòd obſides Romanis reddere nolint: & inter factiones noua concertatio initur, quæ tamen ſedatur. 1260. Gibellinos Foroliuienſiũ quòd quieſcere nollent, prælio ſubigunt, nouiſque conditionibus ſibi obnoxios reddunt. 1260. ſacra gymnaſiumque eis Pontificis legatus reſtituit. 1261. cum ſiccitate maxima laborarent Deuotorum ſocietas quæ paulo ante inceperat ſub uexillis Mutinam religionis cauſa proceſſit: qua ſupplicatione audita pluuia eſt impetrata. 1262. Bononiam ſe ſalutis ſuæ cauſa recipiunt Guelſi Florentini. 1263. Imolenſes & Fauentinos, qui factionibus tumultuantibus defecerant, exercitu adducto ſubigunt, hiſque arcem diruunt, illis nouam imponunt conditionem. 1263. cauentes urbis quieti ſummum componendarum ſeditionũ arbitrium tradunt tribus præſtantibus uiris. 1265. Pontificio legato cruceſignatos inſtituente aduerſus Manfredum regem ad decem millia hominum in eam expeditionem mittunt. 1265. Populus nouis priuatarum offenſionum procellis agitatur. 1266. centum equites cum trinis equis ſingulos auxilio Cremonenſibus mittunt: rixis in urbe nihilominus tumultuatur. 1267. Ducis Burgundiæ filiam magnifico excipiunt apparatu, quæ deſponſata erat Carolo Siciliæ regi: Heucium autem in fuga deprehenſum arctiori cuſtodia damnant. 1268. Oratores duos Venetias deſtinant, ne maris nauigatio turbetur, neque impediatur 1268. ad arma adhuc & ſeditionem concurrunt. 1269. Venetis liberam nauigationem ad exportandos mari ex Romaniola commeatus impedientibus, Bononienſes hoc offenſi Venetias oratores deſtinant. 1268. Nouis adhuc ſeditionum tumultibus concitantur. 1269. Ad oſtiũ Padi conſtruunt Primarium caſtrum, ut ſic ea poſſint liberè uti nauigatione, rem tamen per legatos amice non ualentes cõficere, ad uim armaque deueniunt. 1270. pugnant cum Venetis, quos improuiſos adorti in fugam conijciunt, prædaque non parua potiuntur: bellum tamen continuatur. 1271. in Mutinenſes exercitũ, & in Foroliuienſes alterum immittunt. 1271. illis autem tribus bellis ſuſtinẽdis res anguſta tenuiſque facta cum eſſet, duo ad eam rem admouent remedia. 1271. Philippus rex Frãciæ reuertens ex Africa Bononiam adit. 1271. inſtant cum Venetis decertare. 1271. inſtant & in Mutinenſes exercitum iterum educere, ſed propoſitum omittunt diſſidio uolũtatum, Mortuumque Hencium honorifice ſepulturæ mandant. 1272. cum Venetis pax inita per religioſos uiros tractata, deſcribitur. 1273. Animis armiſque in Foroliuienſes adhuc ſæuiunt. 1273. inter ipſoſmet grauiſſima ſeditio ſæuit: mox clã Imolam armis recipiunt: inde ad Fauentiam exercitu contendunt, quo ceſſerat altera factio Lambertaciorum, eamque in caſſum obſident. 1274. ad eandem reuocant exercitum, ſed adeo fœdis cladib. afflictatantur, ut in Bononienſem agrũ Fauentini cum Lambertacijs uictores irrumpant. 1275. ſic alienata uniuerſa Romaniola, ingenti mœſtitia ciuitas occupata præſidio a Carolo Siciliæ rege impetrato confirmatur. 1275. caſtrum Petræ colore precio receptum magis quàm armis diruunt: ad deditionem autem cogunt Lollianum, eiuſque præfectus multa pecunia donatur. cæteris item caſtris potiti erectiores animo fiunt. 1276 Hieremæi ipſi Bononienſes ſubſidium quidem & pecuniam grandem Rauennam mittunt, ſed a Gibellinis interimuntur. 1276. Pontifici Eccleſiæque Bononienſes illius bene cognito iure ſolemniter fidẽ iurant, cuius rei extant adhuc Tabulæ ſcriptæ. 1278. Factiones inter ſe inducias pãgũt. 1279. Dñ Bertoldus Vrſinus Comes Romaniolæ præturã Bononiæ gerit factiones Hieremæorũ & Lãbertaciorũ ad pacẽ impellit, & publica oratione ad concordiam ſeruãdam hortatur: paucis autem poſt diebus denuo gibellinis quieſcere neſcientibus, ad arma certaminaque concurrunt: quare Bertoldus gibellinos exilio relegatione que mulctat. 1280. Obſides idem reddit Hieremæis grandem pecuniam ſoluentibus. 1281. auxilia ad Forumliuium

INDEX

recipiendum adijciunt, Comiti Romaniolæ pontificis nepoti. 1281. quibus auxilijs cum ille potitus Fauentia eſſet, magna lætitiæ ſigna Bononiæ edunt: & decretum eſt, vt quotannis porcus aſſatus plebi comedendus exhiberetur in eius rei memoriam. 1281.

Baulenta agri Patauini caſtrum. 1256.

Balneocaballum. Comes Balneocaballi ad Fauentiæ oppugnationem cum alijs Gibellinis accedit. 1239. Balneocaballum in ditionem adigitur Eccleſiaſticorum, 1248. ſe in auctoritate ditioneque Bononienſium ſalutis ſuæ cauſa conſtituunt. 1256.

Bremidum Papienſium caſtellum. 1214.

Breſate in finibus Mediolanenſibus. 1239.

Brixiani, & Mediolanenſes bello vexant Cremonenſes. 1200. a quibus deinde vicisſim impetuntur. 1200. Mediolanenſibus iterum ſociati caſtra aliquot Cremonenſium & Bergomatium euertunt. 1200. Orta inter ciues acri ſeditione confligunt. 1201. Eiectis opem quidam è ciuibus dum afferre tentant, cum Veronenſibus magno prælio certant. 1203. In vrbe tumultuatum inter ciues, & pugnatum. 1204. Eijciuntque Albertum Caſalaltum ſeditioſum; armiſque perſequuntur. 1205. Extorres Pontenucum occupant, quod & Cremonenſibus aſſignant. 1208. Armis Mediolanenſium vexantur. 1212. Amplius duo hominum millia ipſis parietinis ex terremotu ingenti attrita ſunt. 1222. Cornionum a Cremonenſibus eripitur. 1234. ſe adiungunt Mediolanenſibus. 1234. Prædantur cum Mantuanis Veronenſem agrum. 1234. latam agri vaſtationem a Friderico patiuntur. 1237. a quo vrbs ſæne obſidetur. 1237. cum alijs fœderatis ad Luzariam conſidunt. 1246. Eccleſiaſticorum conuentus Brixiæ pro libertate Eccleſiæ et Italiæ habetur. 1252 in fines eorum fit impetus hoſtilis a Cremonenſibus Huberto Palauicino atque Boſone Douaria ducibus. 1258. Quibus & Icilino ſe ſaluis rebus ſuis dedunt. 1258. Icilini autem ſæuitia vrbs ciuibus ac opibus exhauritur. 1258. Hubertus Palauicinus vrbis dominatum inuadit. 1261. Tyrannice in ipſa contra ciues agit. 1263. Eius præſidio exacto Philippum Turrianum Mediolanenſem adſciſcunt 1265. Mediolani adſunt ad fœdus vetus ſacrarum ciuitatum inſtaurandum 1267. Emergunt rurſus diſcordiæ & ſeditiones. 1268. quas ut tollat, operam dat Carolus Siciliæ rex. 1269. in ipſo pacis articulo ad arma rurſus & prælia prorumpunt. 1270. Manerbium funditus & Pompeianum euertunt, inde ui eiectis extorribus. 1271. Aquinenſis Archiepiſcopi auctoritate inter ſe reconciliantur, cum Turrianis etiam pacem faciunt certa quātitate pecuniæ pro mercede præturæ ſoluta; caſtra quæ defecerant adæquari ſunt iuſſa. 1273. ad libertatem Cremonenſibus ſeruandam arma conferunt. 1282.

Brixillum oppidum ad Padum ab Hencio capitur. 1246. iterum Parmenſibus adimitur. 1251.

Brugnanum ultra Bergomum. 1278.

Brunduſium conueniunt cruceſignati vt in Syriam traijciant. 1227.

Buffalora caſtrum in agro Mediolanenſi. 1245.

Bugella in agro Mediolanenſi. 1275. 1276. 1276.

Bulgarum caſtrum Bergomat. euertitur. 1200.

Burgum oppidum in agro Parmenſi. 1254. exciditur. 1268.

Burgum S. Domnini armis a Placentinis recipiunt Parmenſes. 1201. Eo cum Legato pontificis accedit Fridericus. 1226. exules eo ſe receperant. 1250. 1253. & fortaſſe idem eſt cum ſuperiore.

Buxetum caſtrum Parmenſium. 1218.

Byſſanum caſtrum Bononienſium. 1276.

C

Cæſena Cæſenates prælio profligantur ab Ariminenſibus. 1216. ideo opem a Bononienſibus impetrant. 1216. quorum ſubſidio amplo ita Ariminenſes concuſſerunt, vt ad honeſtiſſimam pacem impulerint. 1216. imperium Comitis Romandiolæ detrectant. 1278. ſed eius armis territi ſe tandem eccleſiæ tradunt. 1283. Foſſæ explentur, iuſſu Gibellini relegantur, Legati Pontificij iuſſu. 1283.

INDEX.

Calaonis caſtrum Marchionum Ateſtinorum. 1213. 1256. 1257.
Calcinatum caſtrum Bergomatium. 1200.
Calcixatum oppidulum Brixianum. 1203.
Caldarum caſtrum in Veronenſi agro. 1233.
Camerini terræ tremore duæ tectorum partes procubuere, ac multos utriuſque ſexus homines ruinarum magnitudine contriuerunt. Tres montes, inter quos duo lacus & caſtrum erant ſiti, pœnitus conſederunt, lacus autem & caſtrum ipſum uoragine terræ abſorptum. 1279.
Camini Domini Ciues patauini damnis multis ab Icilino afficiuntur. 1234.
Campaniola in finibus Regienſium. 1250.
Campretum in agro Taruiſino. 1246.
Canobium oppidum. 1276.
Candiani pagus in Friniati agro. 1204.
Canſriola pagus in Patauino. 1259.
Capreolum in agro Brixiano. 1265.
Caprianum caſtrum Brixianum excinditur. 1201.
Capua cum Comite Caſerto ad Friderici imperium ſe cōuertit. 1245. poſt cuius mortem ad Eccleſiæ partes redit. 1251. Eam tamē deinde Conradus Friderici filius recipit. 1252.
Capuacij caſtrum in Campania. 1246.
Caranagium caſtrum. 1278.
Carpaniæ Comes. 1216.
Carpi in agro Mutinenſi oppidum. 1256.
Carrugum opidum in Mediolanenſi agro. 1222.
Carturum agri Patauini oppidum. 1256.
Caſale S. Euaſii a Mediolanenſibus excinditur. 1215.
Caſale maius in Lombardia ad padum. ſua Priuilegia Caſalenſibus Fridericus affirmat. 1220. 1245.
Caſarote in finibus Mediolanenſium. 1239.
Caſſianum caſtrum ad Abduam in Mediolanenſi. 1259. Fatale Icilino dictum. 1259.
Caſſinę Stanaſiæ in finibus Mediolanenſiū. 2239.
Caſula caſtrum in Imolenſi. 1222.
Caſtaneolum oppidum Foroliuienſium incendio a Fauentinis deletum. 1201.
Caſtellana ciuitas. 1244.
Caſtellarium caſtri Imolæ quod olim Sancaſſiani fuerat. 1222.
Caſtenum caſtrum in Mediolanenſi agro. 1245.
Caſtrum Sancti Alberti in Padi ripa. 1270.
Caſtrum Epiſcopi in Bononienſi agro. 1231.
Caſtrum francum in finibus Bononienſium. 1226. 1230.
Caſtrum francum in agro Taruiſino. 1239. 1246. 1257.
Caſtrum Leonis in Cremonenſi. 1213.
Caſtrum Leonis in agro Mutinēſi diruitur. 1237.
Caſtrum Leonis, in Bononienſi agro. 1276.
Caſtrum pauonis in Brixiano. 1237.
Caſtrum vetus Mutinenſium. 1228.
Caſtrum S. Petri a Bononiēſibus conditur. 1290.
Caſtrum fontis in agro Patauino. 1228.
Caſtrum nouum ad os Abduæ inflammatur. 1200. obſidetur. 1215.
Caſtrum S. Zenonis in agro Taruiſino, quo ſe recepit Albericus frater Icilini. 1259. euertitur. 1260.
Centum in Bononienſi agro caſtrum. 1233.
Cenum caſtrum. 1218.
Cerrum caſtrum Ateſtinorum Marchionū. 1213. 1256. 1257.
Ceruia a Foroliuienſibus capitur. 1200. Vltro ſe imminētibus Eccleſiaſticis dedunt. 1248. Bello a Bononiēſibus adacti ad deditionem eis ſubijciuntur. 1254. a quibus deficientes ad Foroliuienſes ſe conferunt. 1275. Eccleſiæ ſubijcitur a Comite Romandiolæ per proditionem recepta. 1283. Legatus Pontificius foſſas expleri mandat, & Gibellinos relegat. 1283.
Ceſtula caſtrum in Imolenſi. 1222.
Cilianum in agro Mutinenſi. 1235.
Ciuitas uetus in ora Etruriæ. 1244.
Ciuitatella in agro Patauino. 1256.
Clinaſium in Monteferrato. 1231.
Clinate ad Lacum Comenſem ab Othone Vicecomite capitur. 1277. 1284.
Clodia in æſtuario Veneto. 1215.
Cluſiū 1210. occupatur a Friderico. 1241. Eccleſiaſticis deditur. 1243.
Collonium caſtrum Bergomi ſubuertitur. 1200.

Celonia

INDEX.

Colonia oppidum ad fines Veronenſium. 1234.1261.

Colurnum oppidũ Parmenſium ad Padum. 1246.1254.

Comum. Comenſes, qui Mediolanum cuſtodiebant, cum Papienſibus confligunt. 1202. in prælio deſtituunt medіolanenſes. 1239. Ob quod vltores ſentiunt in ſuis agris eoſdem 1240. 1242. Laborãt partium ſeditione. 1258. Se fœderi Lombardico Mediolani ſubſcribunt. 1267. Vicarium Nepi Turriani in carcerem abdunt. 1271. excludunt Turrianorum terrore Othonem Vicecomitem. 1276. Factionum diſcordiæ & certamina ſuſcitantur. 1276. ſequuntur & ipſi Othonianas, aduerſus Turrianos, partes. 1277.

Conſilua agri Patauini oppidum. 1256.

Concaldalberum in agro Patauino. 1256.

Cornionum in agro Brixiano Caſtrũ. 1234.

Correziola caſtrum agri Patauini. 1256.

Coſma Caſtrum a Fauentinis conditum. 1200.

Crema igne pene tota conſumpta. 1205. fruſtra ſe Cremenſes exercitui Mediolanenſi oppununt. 1213. Turriani Mediolanẽſes Cremam ſubigunt. 1271. ijdem incendunt. 1278.

Cremona. Cremonenſes bello petuntur a Mediolanenſibus & Brixianis. 1200. Placentinos prælio fugant: & cum Brixianis confligunt. 1200. Parmenſibus auxilia mittunt: & Cremona Placentinos expellunt plurimis captis. 1200. Adempto oſcãſale mox pacẽ cum Mediolanenſibus faciunt. 1200. Auxilio adſunt factioni Brixianæ vrbe expulſæ. 1201. Rurſus a Mediolanenſibus armis uexati pacem tamen conſequuntur 1203. Mantuanos adiuuãt. 1203. item Albertum Caſalaltũ contra Brixianos. 1205. Rurſus Mantuanos. 1208. Ab Othone ſuorum iuriũ confirmationem habent. 1210. Exercentur domeſtica ſeditione. 1211. Baſilica Fridericus Rex honorifice Cremonæ acceptus pallium auro textum obtulit. 1212. Accurrunt Cremonenſes auxilio Brixianis. 1212. Exercitum Mediolanẽſium diuina ope diſſipant, & Carrocium abducunt. 1213. irrumpunt in Placentinum agrum 1214. Grauiore clade afficiuntur prœliando a Mediolanenſibus propterea eorum agrum Placentini populantur. 1214. Obſident Mediolanenſes caſtrum nouum 1215. funduntur acie ab iiſdem, multique ſummæ nobilitatis fiũt captiui. 1217. Auxiliantur Parmenſibus contra Mediolandeſes. 1218. Et Regienſibus. 1220. Friderici conuentum excipiunt. 1226. Adſunt & Mutinenſibus contra Bononienſes. 1228. & 1229. cũ Mediolanenſibus prælium faciunt & fines inuadunt Brixianos 1234. iungũtur Parmenſibus. 1234. Brixianos & Mediolanenſes prælio aggrediuntur. 1235. in pugna ſtant pro laudenſibus aduerſus Mediolanenſes. 1250. 1251. in gratiam cum Guelfis ciuibus ſuis redeunt, & in vrbem recipiunt. 1253. Boſo Douaria & Hubertus Palauicinus, qui Cremonæ dominabantur, in Brixianorum fines irrumpunt. 1258. Perſequuntur Huberto & Boſone ducibus iuncti Mediolanenſibus & Azoni Ateſt. Icilinum, & in conflictu viuum capiunt. 1259. Legati pontificij auctoritate partes ſuſcipiunt Eccleſiaſticas. 1267. Boſonis caſtrum oppugnant. 1267. Sed inde recedunt metu Cõradini. 1267. demum euertunt. 1269. Turrianos aduerſus Laudẽſes ſequuntur 1270. Brixianis opem aduerſus extorres ferunt. 1271, Caſtrum diruunt Malgratum. 1271. exules tandem ſuos in gratiam recipiunt. 1272. Albertus uini portator mirabilia poſt mortem ſigna edit Sanctitatis. 1280, aqua omnino ſe pace cum Parmenſibus conciliãt. 1280. Aliarum ciuitatum ſubſidijs ſuam aduerſus Boſonem libertatem tuentur. 1282.

Crepacorium in Bononienſiũ finibus. 1226. 1230. 1239.

Curium in Romaniola oppidum. 1257.

Curtis noua locus in finibus Brixianis. 1237.

D

D*Elma caſtrũ in agro Cremonẽſi. 1234*

Dertbõa Gulielmo Mõtisferrati Marchione adducto exercitu in ditionẽ adducitur. qui urbem ingreſſus ciues alios necat alios in carceres tradit: fœde quoque Epiſcopus a militibus trucidatur: hic ſedem ille ſibi conſtituit. 1284.

Doliolum Caſtrum Bononienſium 1211. 1231. & ripaticum Dolioli. 1231.

Ducia in imolenſi agro. 1248.

F

Fanum diripitur a Friderico. 1241. Faneſtrates ſunt auxilio Ariminenſibus. 1216.

Fauentia. Fauentini cum abſoluiſſent caſtrum Coſmam, exercitum in Foroliuienſes ducunt 1200. prælio commiſſo ope Bononienſium in fugam vertunt Foroliuienſes. 1201. Fœdus cum Bononienſibus inſtaurant 1204. ſimiliter redintegrant 1214. propterea eos in armis ſequuntur. 1216. conflictati armis Foroliuienſium ad Bononienſes confugiunt 1218. in fines Imolenſium inuadunt. 1219. Quod tamen diſſidium a Bononienſibus amice tollitur. 1219. fœdus cum Bononienſibus aduerſus Imolenſes faciunt. 1222. Quibus adiuncti agrum Imolenſem peruaſtant, & ipſos in deditionem compellunt. 1222. Liberantur a Bononienſibus armis Foroliuienſium. 1235. Agitantur ciuium ſuorũ factionibus. 1237. conſtanter autẽ Friderici perferunt obſidionem 1240. cuius diuturnitate afflictati ægre miſericordiam apud Fridericum conſequuntur 1241. Bononienſibus & Eccleſiaſticis ſe dedunt. 1248. Manfredi autem vrbem recipiunt. 1249. Tandem ſeditionibus agitati, vt pacatum conſequerentur ſtatum, vltro ſibi gubernationem & ditionem Bononienſium aſciſcunt. 1256. ſeditione tumultuantes a Bononienſibus deficiunt. 1263. Sed armis rurſus ſubiguntur 1263. A quibus rurſus ager vaſtatur, & vrbs obſidione fruſtra cingitur. 1274. Sed Lambertaciorum viribus nixi iterum ducentes exercitum Bononienſem Hieremeos profligant, & in agrum Bononienſem populabundi excurrunt; 1275. repugnant parere Comiti Romandiolæ. 2278. pax inter factiones tranſigitur 1279. demum Comiti ſubiguntur dolo proditioneque victi. 1281.

Felina caſtrum Regienſium. 1246.

Feltria in Foroiulienſi ducatu. Epiſcopi agri ab Icilino diripiuntur. 1229. cui ſe dedunt Feltrienſes. 1248.

Ferraria. Ferrarienſes duce Salinguerra Argẽtam eripiunt Rauennatibus 1200. Opem Mutinenſibus ferunt. 1202. Et Mantuanis. 1208. Inter Azonem Ateſtinum & Salinguerram Otho imperator pacem ponit, Hugonemque Guarinoſium Ferrariæ præficit. 1210. quem ſimul & Salinguerram vrbe deiicit Azo, qui propterea ad eam exercitus ducunt 1211. Ferrarienſes deinde etiam Mutinenſibus 1213. Damna remittunt Mutinenſibus accepta bello ad Pontem ducis geſto. 1214. Adſunt Bononienſibus 1216. Ferrarienſes caſtrum Bondeni cum Veronienſibus circumſedunt. 1224. factionum certaminibus agitantur. 1224. ſequuntur arma Mutinenſium 1239. Cingitur vrbs ipſa valida obſidione a fœderatis Eccleſiæ, & deditur: Salinguerra autem Venetiis ablegatur. 1240. cum aliis fœderatis ad Luzariam conſidunt. 1246. ingentem multitudinem ſuaſu pontificii legati ad patauinam oppugnationem Azone duce aduerſus Icilinum mittunt. 1256. adſunt contra Boſonem Cremonenſibus. 1282.

Fidentiola in agro Parmenſi. 1241.

Finale Mutinenſium caſtrum. 1211.

Flagnanum caſtrum in Imolenſi. 1248.

Florentia: Publicum regimen prætori peregrino, conſulibus abrogatis, florentini tradunt 1202. iungunt cum Bononienſibus aduerſus Piſtorienſes ſocietatem. 1204. Vrbs ſeditione Gibellinorum & Guelforum concuſſa Friderico ſubiicitur. 1246. partes rurſus eccleſiæ ſuſcipiunt. 1251. cum Senenſibus tam male guelfi florentini confligunt, ut occidione occidantur. 1260. Qui vltro cedentes Florentia Lucam ſe recipiunt. 1261. hinc Bononiam demum cum uxoribus liberiſq; emigrant. 1263. Gibellinis autem vrbe exeuntibus patriæ guelfi reſtituuntur. 1266. concordes non valente eos pontifice reddere, Carolus ad pacem redigit. 1273. Lucenſibus contra Piſanos aggregantur. 1274. partes conciliantur, & Gibellini in vrbem reducuntur; mulieres velo non reticulis caput in publico obnubere iubentur. 1278. quia ſacramenta ab imperatoris Vicario nolunt ſuſcipere, ab eo armis in-

ſeſtantur. 1281. Contumaces imperij proſcribuntur. 1286. verum ſex millia nummum ſoluentes libertatem aſſequuntur. 1286.

Fontana citra Padum. 1218.

Formigenis caſtrum Mutinenſium. 1201.

Forumliuij. Ceruiam armis Foroliuienſes occupant. 1200. a Fauentinis acie certando fugantur. 1201. Affligant bello Fauentinos: res deinde Bononienſium iudicio permittitur. 1218. Exagitant armis Fauentinos 1235. Vi coguntur ad ſe pontificijs dedendum. 1248. Vltro ſe Bononienſibus, ut ab ijs pacate regantur, dedunt. 2256. Gibellini Foroliuienſes quòd quietem turbarent, prælio a Bononienſibus ſuperantur. 1260. a quibus grauiß. damna in agris accipiunt. 1271. adhuc ab yſdem uaſtatur ager, & certaminibus vrbs ipſa tentatur. 1273. magnam quidem praſtant Fauentinis opem aduerſus Bononienſes. 1275. Dedere nequaquam ſe comiti Romandiolæ volunt. 1278. Igitur is agmine infeſto agrum longe lateque peruaſtat. 1281. Adoritur adhuc Forumliuium, ſed commiſſo prælio cum Foroliuienſibus eius exercitus profligatur. 1282. Tandem Eccleſię ſe fidei tradunt ex compromiſſo. 1283. Foſſæ æquantur, & gibellini amandantur pontificij legati imperio. 1283.

Forum popilij in deditionem ab Eccleſiaſticis recipitur. 1248. Ditioni ſe Bononienſium ſponte ſua Foropopilienſes ſubyciunt, cum ſeditione vexarentur. 1256.

Foſſatum caſtrum Piſtorienſium. 1212.

Fracta in Marchia Veronenſi ab Azone capta. 1224.

Friniates qui fuerint. 1204. infeſtantur a Mutinenſium armis. 1204. quibus ſe dedunt. 1205. ab yſdem autem deficiunt. 1213. ideo iterum bello petuntur. 1235. a Bononienſibus autem direptionem patiuntur. 1238. Lis de Friniatum poſſeſſione compromittitur. 1249.

Fulcheria inſula quæ nunc glarea Abduana dicitur in Lombardia. 1278.

G

GAleria in Ferrarienſi. 1211.

Gambara Brixianum oppidum. 1237. 1258.

Gambolatum in Viglebanenſi agro Papienſium oppidum. 1253.

Garda caſtrum in Veronenſi agro. 1207.

Gargalaſcum caſtrum in Laumellina. 1215.

Gauardum Brixianum oppidum. 1201.

Gazaltum caſtrum. 1246.

Genua. Fridericum Roma Genuenſes deuehunt Genuam. 1212. bellum adhuc cum Piſanis acre continuant 1216. Prætor & conſules Genuæ iure tabellionum inſtituendorũ a Friderico donantur. 1220. dum legatos pontificios & alios ſacros proceres romam deuehunt; ab Henecio Frid. filio commiſſo nauali prælio capiuntur. 1241. Honorifice ſuſcipiunt pontificem inſidias Friderici fugientem. 1244.

Gloſſanum in Mediolanenſi oppidum. 1222.

Goitum agri Mantuani caſtrum. 1237. ubi conuentum habet Conradus Frid. filius. 1251.

Golferontium Caſtrum Papienſ. 1216.

Gonzaga oppidum in finibus Mantuanorum. 1220. 1220.

Gorzonum in agro Mutinenſi ab ipſis euertitur. 1264.

Gottelongum caſtrum in Brixiano. 1237.

Grola locus ad Parmam. 1246. 1250.

Gurzola oppidum in Mediolanenſi. 1245.

H

HAſta in Lombardia. Decorat priuilegio Haſtenſes Fridericus. 1219. qui et hoſtes a rectoribus Lombardiæ proſcribuntur. 1228. deſciſcunt a Friderici amicitia: 1253. Accipiunt Verberantiũ religionẽ. 1260. Vido monteſeltrius iur acer a pontifice Haſtam amandatur. 1285.

Herberia in agro Regienſi. 1200.

Herbuſcum oppidum Brixianorum. 1212.

Hoſtilia oppidum ad Padum. 1243.

I

IMola. Imolenſes agro, qui Cæſarei iuris eſt, a Bononiẽſibus ſpoliantur. 1200. Caſtrum Imolæ à legato Cæſareo Bononienſibus ac Fauentinis cuſtodiendum attribuitur.

buitur. 1209. Ipſis poſtea ſub fide conce ditur a Bononienſibus. 1211. cum caſtrimolenſibus rixantur, & conuentionibus componuntur. 1713. Fauentinis copijs premuntur. 1219. Quæ res ad arbitrium Bononienſium adijcitur. 1219. Imolenſes armis Imolæ caſtrum occupant, & euertunt. 1221. ob quod Friderici legatus eos in conſilio Bononiæ proſcribit. 1222. Atque ita graui preſſi obſidione à Bononienſibus & Fauentinis ad deditionem coguntur. 1222. A Fauentinis & Bononienſibus decernitur agrum eorum iniri. 1229. Se Bononienſibus dedunt. 1248. Seditione cum agitarentur a Bononienſibus ſedantur: ab hinc ijſdem imo la obnoxia fuit. 1249. cum tamen defeciſſet, armis ad obſequia Bononienſibus præſtanda ſubiguntur. 1257. Præualente altera ex factionibus Imola Bononienſium obſequio adimitur. 1263. Rurſus armis coguntur parere, & noua imponitur conditio. 1263. Imperio Comitis Romādiolæ pro pontifice agentis ſubijcitur. 1278.

L

LAndrianum caſtrum in Mediolanenſi agro. 1239.

Laumellinum ſeu Laumellina inter Mediolanum & Papiam uario bello à Mediolanēſibus quatitur. 1200. 1201. 1213. 1214. 1216.

Laumellum caſtrum Papienſium. 1213.

Laus. Laudenſes pacem a Mediolanenſibus impetrant. 1200. Remittunt Melegnanum 1200. Bello a Mediolanenſibus quatiuntur. 1250. Amiſſa arce pacem cum illis eccleſiaſticiſque componunt. 1251. Conuentui Mediolani ad renouandum fœdus Lombardicum adſunt. 1267. in Laudenſem agrum exercitus Mediolanenſis duce Napo Turriano inuadit. 1269. rurſus eundem populatur agrum, & petentibus Napus pacem dat, & vrbis præturam iuit. 1270. contra Otho aduerſarius Laudenſibus bellum mouet. 1278. Vrbem expugnat dux Othonis Marchio Montis Ferrati. 1281. tandem ope Turrianorum deſtituti pacem Othoni iurant. 1282.

Lauſanna. 1275.

Lenum oppidum Brixianum. 1205.

Leucum ad Comenſem lacum capitur ab Othone Vicecomite. 1277. 1284.

Licurtum Mediolanenſium oppidum. 1261.

Ligniacum oppidum in finibus Veronēſium. 1230. 1261.

Linarium caſtrum in Imolenſi. 1222.

Lollianum in Bononienſi agro. 1276.

Longaretum in agro Vicetino caſtrum. 1256.

Luca. multi nobiles Lucenſes Fridericum adeunt, & equeſtri dignitate donat ex eis aliquot. 1226. cedunt florentia, & Lucam concedunt guelfi florentini uicti. 1261. inde a gibellinis coguntur abire. 1263. Lucenſes fœdus cum guelfis ceteris Etruriæ ad Piſanis bellum inferendum faciunt. 1274. Lucenſibus autem infert bellum cancellarius Imperij: ipſique Piſciam recuperatam comburunt. 1281. cōtumaces imperij pronuntiantur. 1286. Sed duodecim millibus auri datis libertate donantur. 1286.

Luceria in Apulia Saracenis attributa colenda. 1221.

Lucinum in agro comenſi. 1240. 1242.

Luzaria obſidetur. 1246.

M

MAlgratum in finibus Cremonenſium, diruitur. 1271.

Manerbium in agro Brixiano. 1268. euertitur. 1271.

Mauciollinum caſtrum Romaniolæ. 1228.

Mantua. Mantuani & Mutinenſes mutuo iuramento ſe obligant ad ſibi inuicem opem ferendam. 1202. Aduerſus Veronenſes pugnant 1203. quibus ſunt auxilio. 1208. Magnis auxilijs Suzariam Regienſium oppidum oppugnant. 1208. ſunt auxilio Mutinenſibus aduerſus Salinguerram. 1213. ſociantur Parmenſium armis aduerſus Mediolanenſes. 1218. Tuentur Gonzagam oppidum contra Regienſes inde occupant Bondenum Ferrarienſium caſtrum. 1220. Ad pacis compoſitionem cum Regienſibus ſuper Gonzaga oppido a Legato Friderici adducuntur. 1220. cum Brixianis

INDEX.

pradam ingentem de agro Veronenſi referunt. 1234. Mantuanus ager populationibus a Friderico percurritur. 1236. At deinde recipiunt Marcariam. 1236. ſe tradunt fidei Friderici obſidentis, qui tamē eorum priuilegia confirmat. 1237. in Cremonenſem agrum procurrunt. 1246. In Pado pugna commiſſa nauali ſuperantur a Friderici partibus. 1246. iterum centum naues amittunt. 1248. Suburbia ab Icilino, qui bellum inferebat, incenduntur. 1256. Mantuā copias omnes cogit crucesignatorum aduerſus Manfredum pontificius legatus, 1265. Conuentui adſunt Mediolani ad fœdus vetus renouandum 1267. adſunt Brixianis contra exules. 1271. Feruent inter ſe, ex diſſidijs partium, odijs & armis. 1273.

Maranum caſtrum in Mutinenſi. 1235. 1239.

Marcaria oppidum in finibus Mantuanorum. 1236. 1236.

Marzalia caſtrum Mutinenſium. 1200. ad amnem Siclam. 1201.

Maxumaticum Epiſcopi Bononiæ caſtrum. 1231.

Meda in agro Mediolanenſi. 1252.

Medicina Bononienſium caſtrum. 1200. 1226. 1249. 1249. 1251.

Meldula in agro Fauentino oppidum. 1282. 1285.

Melagnanum Mediolanenſium caſtrum. 1200 1239. 1243. 1278.

Meſtrium in Taruiſino agro. 1245.

Minerbianus ager quibus datus. 1231.

Modœtia oppidum non longe a Mediolano. 1259.

Mombaruccium caſtrum in Monteferrato. 1230.

Moncionum caſtrum in finibus Friniatum. 1235.

Monzonis caſtrum Friniatium. 1214.

Monferratus regio in Lombardia Mediolanenſium armis vexatur. 1212. 1215. 1230. 1267. Legatos Mediolanum ad ſe fœderi Lombardico adiungendum mittunt. 1267. Marchionem Montisferrati vide in Marchionibus alibi.

Montis Budelli Caſtrum crematur in finibus Bononienſium. 1228.

Mons catinus in Imolenſi agro. 1257.

Mons clarus oppidum in agro Brixiano. 1237. 1265.

Mons caluus caſtrum Papienſ. 1216.

Mons longus in agro Mutinenſi caſtrum. 1246.

Montis Feretri Comes. 1216.

Mons malus prope Romam. 1220.

Montorphanum caſtrum. 1278.

Mons rotondus caſtrum Brixianum ſubuertitur. 1201.

Mons ſilicis in agro Patauino oppidum. 1237. 1249. 1256. 1257.

Mons ſalſus in Parmenſi agro. 1217.

Mons Grecus ibidem.

Mons Turturis in Friniatibus, 1239.

Montagnana oppidum in agro Patauino. 1237. 1256.

Monticellum caſtrum in agro Piſtorienſi. 1212.

Montem flaſconem pontifici armis eripit Otho Cæſar. 1209.

Mons vallarius in agro Mutinenſi. 1266.

Mons vmbrarius Mutinenſium caſtrum. 1271.

Mortaria oppidum Papienſium in Viglebanēſi agro diruitur. 1200. diripitur. 1213 capitur. 1253.

Moſium agri Mantuani oppidum quò legati & procuratores ſingularum ciuitatum Lombardiæ ex compoſito conuenere, ac tabulas fœderis ſcripſere. 1226. 1235. 1236.

Mugellum in florentino agro. 1273.

Murmundum oppidum in finibus Mediolanenſium. 1245.

Muſcacla in montibus finium Piſtorienſiū, 1219.

Muſolentum in agro Taruiſino. 1246.

Mutilianæ Comes. 1239.

Mutina. Mutinenſes copias Ferrarienſibus in expeditionem ſummittunt. 1200. Marzaliam caſtrum condunt. 1200 in fugam a Regienſibus aguntur. 1201. Dum oppugnant Herberiam, per arbitros ſe cum Regienſibus de Siclæ vſu componūt. 1202. Se Mantuanis mutuo iuramento obligāt ad mutuum ſibi inuicem preſtandum auxilium. 1202. Dum parant bellum Bononienſium ſuſtinere, Nonantulanos in amicitiam alliciunt. 1203. Per compromiſſum denique pacem componunt cum Bononienſibus. 1204. Et in Friniatibus in-

ferunt arma. 1204. cum Mantuanis fœdus contra Regienſes faciunt. 1205. Atque ſubſidio ſunt. 1208. Arma adiuuant Azonis Ateſtini, & Ferrarienſium. 1211. Aldobrandini quoque Ateſtini. 1212. A Salinguerra ex inſidijs opprimuntur. 1213. quare armis ita eum perſequuti ſunt, ut ad deditionem adegerint, & caſtrum Pontis ducis exciderint. 1213. Caſtrum Monzonis eripiunt Friniatibus. 1214. Reſtituuntur in priſtinum ius ſuum aduerſus Bononienſes a Friderico ſummam erga ſe Mutinenſium fidem teſtato. 1226. Caſtrum Leonis in finibus contra Bononienſes condunt. 1227. Dum tuentur Badianum aduerſus eoſdem feliciter pugnant. 1228. Feliciter iterum ſed deinde ſolemnes inducias celebrant. 1229. At igne ferroque ager ab iiſdem vaſtatur. 1234. in Bononienſium damnum, & in Friniates armis tendunt. 1235. a Bononienſibus caſtra agerque vaſtantur. 1237. Adhuc ab iiſdem armis petuntur. 1237. Rurſus eorum turmis equeſtribus noctu opprimuntur. 1239. concurrunt cum Bononienſibus, & vincunt. 1239. Quorum bello ramiſque premuntur. 1248. eorundem cum eccleſiaſticis aſſociatorum coarctantur ita acri obſidione, ut ad deditionē pactionibus deuenire coacti ſint. 1249. carpenſibus iubent ſuos accipere præfectos. 1250. Coram Pontifice ius in Friniano eis ceditur. 1251. compromiſſo inter Bononienſes ac Mutinenſes facto poſſeſſio Friniani ipſis Mutinenſibus adiudicatur a prætore Parmæ. 1255. Ad idem impetrant a Pontifice literas, vt illi arbitrio Bononiēſes obtemperare etiam cogantur. 1257. Comiter excipiunt, & religioſe inſignique pompa in vrbem introducunt Bononienſium ſocietatem deuotorum, qui religionis ſupplicationiſque cauſſa aduenerant. 1262. Guelfi vrbe Gibellinos certamine expellunt. 1264. eoſdem ad montem Vallarium in ditionem ui redigunt. 1266. Iacopinus Rangonus prætor Graſulfos extorres longius ſummouet 1269. Quā rem Bononiēſes grauiter paſſi bellum in caſtra Mutinenſium mouent. 1271. Libertatem coadiuuant Cremonenſium. 1282. ſæua denuo ſeditio in certamina ruit. 1284. quæ cum continuarent, ſe ciuitas ſalutis ſuæ cauſa Opizoni Ateſtino tradit. 1285. id quod & Rodulphus Cæſar permittit. 1286.

N

N*Arnia recipitur a Friderico. 1241. Neapolim duci Fridericus iubet proceres eccleſiaſticos bello nauali captos. 1241. ſed neapolis poſt Friderici mortē ad partes Eccleſiæ traducitur. 1251. cui eripit eam Conradus Friderici filius. 1253. quo mortuo eandem recipit pontifex. 1254. Neapolis Rex Coronatur Mānfredus. 1255.*

Nigriuum caſtrum Rapienſium. 1215.

Nonantula vide Monaſterium Nonantulanum, Mutinam, & Bononiam.

Noſocomium. S. Lazari locus in Mutinenſi agro. 1249.

Nouale in agro Taruiſino. 1245.

Nouariæ in Lombardia ſeditione ciuium concuſſa Turrianis Mediolani potentibus accitis ſubijcitur. 1263. Fœderi Lombardico renouando Mediolani interſunt. 1267. Turrianis Mediolanenſibus contra Laudenſes adſunt. 1270. ſed ipſi cum a Mediolanenſibus defeciſſent, vi coguntur eorum imperium ſuſcipere. 1271. arce, quam Turriani extruxerant obſidione potiuntur. 1273. ſed territi armis Turrianorum ſuis obtemperant iterū præceptis. 1274. aduerſus quos adſunt Osbonianis. 1277. ij inuadunt ipſam Nouariam aduerſus Turrianos. 1281.

Noueuta in agro Patauino. 1239.

Nouum inter Regium & Parmam. 1249. 1250.

O

O*Naria caſtrum in Patauino agro. 1228.*

Oſcaſale caſtrum Cremonenſibus eripitur. 1200.

Ozenum caſtrum in finibus Mediolanenſiū. 1279.

P.

P*Adullum in Finiatum agro. 1204.*

Palatiolum caſtrum ad ullium [illegible]

INDEX.

1265. 1273.

Panſanenſis ager in Mutinenſi. 1225. *Et Panſanum caſtrum diruitur.* 1248.

Papia. Papienſes cum Comenſibus Mediolanum cuſtodientibus prælium committunt. 1200. *Viglebanum amittunt, infeliciter conflictu cum Mediolanenſibus inito.* 1201. *eoſdem in bellum ſequuntur iã reconciliati.* 1202 *cum autem Fridericum fuiſſent comitati, a Mediolanẽſibus ex eis multi capiuntur.* 1212. *ab iiſdem ager Papienſis uaſtatur.* 1212. *Caſtra etiam aliquot diripiuntur.* 1213. *Et caſtella multa in laumellina adimuntur.* 1214. *Similiter alia plura caſtra ſternuntur.* 1215. *Ac etiam caſtra expugnãtur, & regio uaſtatur, donec eorum ſe iuſſis obedituros aſſeruernut.* 1216. *conſulum creandorum poteſtatem obtinent a Friderico.* 1230. *Qui conuentum habet Papiæ.* 1237. *imperio ſubiici armis Mediolanenſium coguntur.* 1237. *Papiam copias cogit contra Mediolanenſes Fridericus.* 1245. *contra quos pro Laudenſibus pugnant.* 1250. *Mediolanenſium armis petiti Viglebanum amittunt.* 1267. *ſequuntur Othonem Vicecomitem aduerſus Turrianos.* 1277. *qui ideo Papiẽſem agrum inuadunt.* 1278.

Parma. acie Parmenſes cum Placentinis certant. 1200. *Burgum S. Domnini inuadunt.* 1201. *opem ferunt Friniatibus contra Mutinenſes.* 1204. *item Regienſibus aduerſus Mantuanos.* 1208. *Mutinenſibus ſimiliter.* 1213: *Tum Cremonenſibus.* 1214. *armis ipſi Mediolanenſium quatiuntur.* 1217. *ſummo quoque prælio cum iiſdem congreſſi ſuperantur.* 1218. *fœdus cum Regienſibus iungunt.* 1218. *cum iiſdem etiam copias ſuas.* 1220. *Deinde verò cum Mutinenſibus contra Bononienſes.* 1228. *&* 1229. *ſuperant acie Placentinos.* 1234. *adiunguntur rurſus Mutinenſibus.* 1239. *Parma Friderico ab extorribus Parmenſibus adimitur.* 1247. *propterea totus ager & caſtra ab exercitu Friderici occupantur, vrbs vero ipſa undique obſidione cingitur. ipſi uero victoriam egreſſi incudunt, & Friderici theſauro potiuntur.* 1248. *comburunt Regij Suburbia.* 1249. *ſumma dum annona anguſta premuntur, a Bononienſibus ſubleuantur.* 1250. *Congreſſi armis cum exulibus ſuperantur.* 1250. *Brixillum adimit Hubertus Palauicinus Cremonenſium ope.* 1251. *cuius terrore etiam cum exulibus ſuis ad compoſitionem adducuntur.* 1253. *certamina inter Gibellinos et Guelfos exurgũt.* 1254. *Mille quotannis libras Huberto perſoluere, quàm in vrbem accipere malunt.* 1263. *Mediolanum inſtaurandi ueteris fœderis cauſa conueniunt.* 1267. *inſtaurant ſeditiones inter ſe ad Burgum.* 1268. *ſe addunt ſocios Turrianis aduerſus Laudenſes.* 1270. *populari tumultu concito in fratres Prædicatores inſurgunt.* 1279. *amica pax inter Cremonenſes, & Parmenſes celebratur.* 1280. *idcirco per amice eorum libertatem aduerſus Boſonem tutantur.* 1282. *vnice a Martino pontifice amantur, qui apud ſe Gerardum Blancum Cardinalem Legatũ ciuem eorum gratioſum habet.* 1282. *pontem lapideum ſuper amnem Parmam extruunt, ac mœnibus vrbem ab illa parte cingunt.* 1283. *Ne arma a Bononienſibus inferantur Mutinenſibus, amicè Parmenſes cauent.* 1284.

Parpaneſium, oppidum Papienſium. 1215.

Patauium. Armis Patauini aduerſus Aldobrandinum Ateſtinum iniurias ulciſcuntur. 1223. *eorum autem ager incurſionibus Venetorum diripitur.* 1215. *armis in Icilinum tendunt, & caſtrum fontis recuperant.* 1228. *populantur agrum Taruiſinum.* 1229. *aliis ciuitatibus ſociantur in Lombardico fœdere.* 1231. *in agros Icilini irrumpunt: Taruiſinos quoque uaſtant.* 1234. *in Veronenſes fines ſimul & ipſi Azonem Ateſtinum, ſequuntur.* 1235. *ſed eorum agros populatur Fridericus.* 1236. *ciues X V I. ex primoribus ad libertatem quidem ſeruandam decernunt, ſed iidem patriæ proditores fiunt.* 1236. *Gaboardo Friderici Vicario, vrbs amice aſſignatur.* 1237. *ac Fridericus ipſe ſplendide ac magnifice excipitur.* 1239. *is autem ciues aliquot tanquam lubricæ fidei Mantuam relegat: qui autem in Vicetinis*

nis carceribus ab Icilino detinebantur, liberat. 1239. iratus Taruiſinis caſtrum fractum, Taruiſiumque & agrum omnem Patauino populo donat. 1239. incipit Icilinus in uitam ſęuire Patauinorū. 1239. adhuc in peius abit. 1242. 1246. 1251. eorum tamen vtebatur opera in bello 1247. 1248. 1256. itaq; a pontifice aduerſus Icilinum indicta cruce, Legatus ingenti coacto exercitu, vrbem multis factis oppugnationibus capit, & liberat. 1256. Icilinus autem rabie furens X I. hominum Patauinorum millia necari iuſſit. 1256. reliquos item qui apud ſe ſuperſtites erant, necat. 1256. Vrbem legatus ab Icilini aggreſſu munit, & tuetur. 1256. In agrum Veronenſem excurſionem & mox in Vicetinum faciunt Patauini. 1259. ad caſtrum S. Zenonis coeūt armis ad Albericum, eiuſque familiam extinguendam. 1260. coeunt etiam Mediolanum ad renouādum fœdus. Lombardicum. 1267.

Pauana in finibus Bononienſium. 1212. & 1219.

Pedemontium in agro Vicetino ager amplus. Pedemontani ſequebantur militiā Icilini. 1256.

Perſicetum caſtrū in Bononiēſi agro. 1226. 1231.

Peruſiam armis in ſuam ditionem Otho Cæſar pontifici iratus adigit. 1209. exactus Roma pontifex Peruſiam proficiſcitur. 1234. Debellantur peruſini a Friderici duce, 1246. Peruſiæ reſidet pontifex. 1251. 1252. 1253. Hic nouum inchoat religionis ſtudium. hominum ſe verberantium in peccatorum expiationem: quod & reliquæ Italiæ vrbes accipiunt. 1260.

S. Petri caſtrum Veronenſium, 1207.

Petræ caloræ caſtrum in Bononienſi agro recipitur & diruitur. 1276.

Piceleonis caſtrum Cremonenſium. 1213.

Piſæ. magnis conatibus adhuc Piſani aduerſus Genuenſes pugnant. 1216. aliquot ex Piſanis Fridericus, qui ſe adeūt, equeſtri dignitate ornat. 1226. adiuuantibus Piſanis nauali prælio Hencius genuenſes deuicit. 1241. Piſas ſe recipit Fridericus. 1242. Bellum contitans in Piſanos totius Etruriæ Guelfi cum Lucenſibus adiuncti. 1274. Odoni Imperij Cancellario ſacramentum fidei profitentur. 1281.

Piſaurum. adſunt Ariminenſibus Piſaurienſes. 1216. Piſaurum a Friderico diripitur. 1241.

Pirouanum in Mediolanenſi caſtrum. 1222.

Piſcaria oppidum Veronenſium. 1207. 1258.

Piſcia quod defeciſſet, a Lucenſibus comburitur. 1281.

Piſtorium. Contra Piſtorienſes cum Florētinis. ineunt Bononienſes ſocietatem. 1204. ea tamen remittitur iracundia. 1208. in ſe piſtorienſes animos & arma prouocant Bononienſium. 1211. Qui hoſtiliter in agrum caſtraque Piſtorienſiū agunt. 1212. Tandem arbitrio hæc diſceptatio terminatur. 1219. cum alijs Etruriæ Guelfis aduerſus Piſanos conſpirant. 1274. quòd Imperio nolint parere, ſolemni edicto proſcribuntur. 1286.

Placentia. ad Turrim S. Andreæ Placentini prælio a Cremonenſibus vincuntur. 1200. cum Parmenſibus etiam confligunt, eoſque reijciunt; inde Cremonam aggreſſi eius portam occupant. 1200. Beatus Raimundus Placentiæ moritur. 1202. rurſus copias cum Mediolanenſibus contra Cremonenſes iungunt. 1203. armis autem eoſdem contra Marchionem Montisferrati & papienſes ſequuntur. 1212. adhuc aduerſus Cremonenſes. 1213. Qui cum Placentinis omnia fuiſſent prædati, ipſi cum Mediolanenſibus eos grauiſſima clade afficiunt, & fines late peruaſtant. 1214. Mediolanenſibus adhuc aduerſus Papienſes iungūtur. 1215. & aduerſus Marchionem montisferrati. 1230. à Parmenſibus vero acie ſuperantur. 1234. adſunt contra Fridericum Mediolanenſibus. 1237. 1241. ipſi vero vexantur ab Hēcio Friderici filio 1242. ineūt cum populis alijs fœdus. 1242. iterum ab eodem urgentur. 1246. equites Placentini ad tutandam Parmam, quæ recepta erat, accurrunt. 1247. Vrbis dominatum Hubertus Palauicinus inuadit. 1250. quod amiſſum idem quoque recuperat, & Vicecomitem fratris filium prætorem imponit. 1262.

quo

INDEX.

qao a contraria ſaction e expulſo ciuitas tarbatur, ſed pacatur Huberto dominatũ dimittente. 1263. Turrianis ad ſunt con tra Laudenſes. 1270. et Brixianis aduer ſus extorres. 1271. Theobaldus Vicecomes Placentinus eligitur põtifex. 1271. qui Placentiam in patriam adit. 1273. ſunt Cremonenſibus aaxilio contra Boſo nem 1282.

Plebis caſtrum in Bononienſi. 1233.

Plebs locatis in Mediolanenſi 1239.

Plebs ſacci in agro Pataaino. 1256.

Plebs Trebij in agro Mutinenſi 1235.

Plumatium Caſtrum in finibus Bononienſium extraitar. 1203. capitura Matinenſibus. 1228. inceditur a Friderico. 1239.

Podium Bonicij caſtram in Etruria 1267. recipitur a Carolo. 1268.

Poecelengum Brixianum caſtrum. 1203.

Podium in Bononienſi agro. 1231.

Pompeianum in agro Brixiano. 1271.

Pons ducis caſtrum Mutinenſis Epiſcopi. 1212.

Pons longus in agro Patauino. 1256.

Pontenurus citra padum. 1218.

Ponteuicum caſtram in Brixiano. 1205. 1208. 1235. 1237.

Tortas caſtrum in agro Veronenſi. 1261.

Primarium Bononienſiam ad Padi oſtium 1270.

Pratum in Etruria. Pratenſes cum reliquis Etruriæ populis adianguntur Lucẽſibus, qui Piſanos bello adoriantur. 1274.

Pratum Albuinum oppidum in Brixiano. 1237.

Pratum regis citra Padum 1218.

Præneſte. Vido Epiſcopus Præneſtinus legatus pontificis. 1202. Iacobus epiſcopas Præneſtinus legatas pontificius in Lombardiam 1261. idẽ Cardinalis Præneſtinus ad Fridericum legatus. 1236. eundem mittit trans alpes pontifex ad epiſcopos ad concilium conuocandos. 1240.

Q

QVintianum Brixianorum caſtrum. 1246. 1246.

R

RAzolum in Regienſi agro oppidum. 1265.

Reate Gregorius põtifex ad ſuos legatos in Lombardia manẽtes ſcribit. 1232. Cõradus Friderici filius ibidẽ illi tamquã obſes offertar. 1235.

Regium in Lombardia. Regienſes inter ſe afflictãtar ſeditione factionum ſaarum. 1200. Mutinẽſes acie fugant. 1201. Pacẽ per arbitros, et diſſidium de Siclæ vſu cum Mutinẽſibus componunt. 1202. Fœdus cũ Bononienſibus ineunt. 1203. quorum auxilio ſe & ſuzariã oppidũ aduerſus Mãtuanos tuentur. 1208. ſequuntur in armis Azonẽ Ateſtinũ. 1211. ſe adiũgunt cremonenſibas armis. 1214. Renouant fœdas cũ Bononienſibus. 1214. qaos in bellũ ſequuntur. 1216. Parmenſium armis præſtãt operã. 1217. Fœdus quoq; iungunt. 1218. Ab obſidione Gonzagæ oppidi a Mantuanis repelluntar. 1220. cam quibus ſaper eo facere pacem adigit Legatus Friderici. 1220. Parmẽſis exercitus procurſione ſuburbia diruuntur 1249. a Bononienſibus vero ager diripitur. 1250. in gratiam cam exulibus Guelfis redeunt Giberto corrigio auctore. 1253. Verum certamina inter ſe grauia in vrbe miſcent. 1265. corbariam in ſuis finibas ſubigunt. 1271. corpus S. Ladoaici regis dum Regium a Philippo filio deuehitur, miracula edit. 1271. armis libertati Cremonenſiũ fauent. 1282. Regimini ſe tradũt opizonis Ateſtini. 1285. quam vrbis ſubiectioae Rodulſus cæſar permittit. 1286.

Rhodigium oppidum inter Ferrarienſium & Patauinorum fines. 1257.

Ripalta caſtrum in Veronenſi. 1230. 1236.

Ripaticum in agro Bononienſi. 1231.

Riaolta in agro Papienſi. 1278.

Riuiſangainarij caſtrum. 1218.

Riuus ſanguinarius in agro Fauentino. 1275.

Robarium in agro Nouarienſi. 1264.

Rochetta caſtrum Boſonis Donariæ in agro Cremonenſi. 1267.

Rodolicus pagus in Parmenſi. 1217.

Roma. Romani de Viterbienſibus ſubactis

triumphant. 1200. Othonis milites Romam ingreſſos dum coronaretur armis repellunt. 1209. exigunt Roma Gregorium pontificem, & decertant, ac demum ad pacem conueniunt. 1234. cum Viterbienſibus in Fridericum erumpunt. 1242. nolunt pontificis rogatu ſenatorem, quem eum regia prope poteſtate creabant, dimittere. 1251. cognitionem exercente capitalem Brancaleone Andalo prætore, omnibus ſummus terror incutitur. 1252 Enixe obſecrant, vt Pontifex tandem redeat, cui tamen reuerſo negocium exhibent. 1253. ſeditione in vrbe commota Brancaleonem eius graui ſeueritate offenſi in carcerem conijciunt: atque Emanuelem Madium Brixianum ſubſtituũt. 1256. cuius iniquitatem populus exoſus aſſumit rurſus Brancaleonem, quo duce Nobiles, & pontificem exturbat, Anagniamque oppugnat. 1258. Impetum nobiles in Brancaleonis patruum armis faciunt, & decertãt. 1259. Carolus nõ ſolum benigne excipitur a Romanis, ſed etiam ſenatoria dignitate ornatur. 1265. qui Romæ rex Siciliæ, & Apuliæ a Cardinalibus pontificis legatis appellatur. 1266. Summo tamen animorum ſtudio etiam Conradinum excipiunt, qui ſacras ſpoliat ædes. 1268.

Romanengum caſtrum in Cremonenſi agro, expugnatur. 1213. 1217.

Romanum oppidum in agro Taruiſino. 1228. euertitur. 1260.

Roncaiellum in Placentino agro. 1242.

Roncalia agri Patauini caſtrum. 1256.

Roſena caſtrum Regienſium. 1246.

Roſulus mons prope ſutrium. 1220.

Rotingum, in agro Brixiano caſtrum euertitur. 1201.

Roneſcalla oppidum in agro Papienſi. 1215.

S

SAbinianum caſtrũ in Mutinenſi. 1235. 1240. 1246. 1271.

Sabbio caſtrum Veronenſium. 1261.

Sambuca oppidum Piſtorienſium euertitur 1212. honorifice a Bononienſibus Sambucanis conſulitur. 1219.

Sanbonifacium, in agro Veronenſi oppidum. 1237. 1237. euertitur ab Icilino. 1243.

Sancæſarium caſtrum in finibus Mutinenſium. 1229. 1234. diruitur. 1248. 1271.

Sangeminianenſes aduerſus Piſanos cum alijs Etruriæ populis conſpirant. 1274.

Sanminiatenſes, & ipſi contra Piſanos cum alijs populis conueniunt. 1274. ſuſcipiunt Cæſaris ſacramentum. 1281.

Sanct. Laurentius, caſtrum Placentinorum. 1200.

Sanſtephanus, in finibus Regienſium. 1249.

Saxatellum caſtrum Bononien. cõburitur. 1200.

Sazolum in agro Mutinenſi, caſtrum. 1284.

Semiga caſtrum in agro Brixiano. 1273.

Senæ vrbs Etruriæ. Senenſes cum Florentinis Guelfis prælio inito eos profligant. 1260. coniunguntur reliquis Etruriæ populis aduerſus piſanos. 1274 quod eſſent contumaces ab imperij Vicario generali proſcribuntur. 1286.

Senogallia cum per proditionem in poteſtatem Vidonis Montisfeltrij veniſſet, homines mille quingentos morte afficit. 1280.

Seprium oppidum Mediolanenſium a factionibus ipſius vrbis variè opprimitur. 1276. 1276. 1285.

Sermeola in agro Patauino. 1256.

Sextula caſtrum Bononienſium. 1249.

Sextum caſtrum in Bononienſi. 1276.

Simarchi caſtrum Papienſ 1216.

Soncinum caſtrum Cremonenſium. 1200. 1213. 1282.

Spilambertum caſtrum in finibus Bononiẽſium. 1228.

Sutrium ex ducatu Romano, in agrum Sutrinum profectus Fridericus Conradum Legatum Italiæ cum poteſtate pari imperatoriæ fecit. 1220. Sutrium pontifex adit, vbi Fridericum ad promiſſa præſtãda vrget: cuius inſidias timens ſutrio tacite ſe ſurripit. 1244.

T.

TAbiagum in agro Mediolanenſi. 1261.

INDEX.

Taruiſi ſpectaculum iucundiſſimum ludicræ oppugnationis exhibetur. 1215. Icilinum Taruiſini ſequuntur in Feltrinos & Bellunenſes: Patauini vero eorum uaſtant agrum. 1229. quòd ſequuti fuiſſent Icilinum in ciues ſuos, Patauini naſtaut eorum agros. 1234 cum Azone Ateſtino Veronenſem ineunt agrum. 1236. obſidetur ſed fruſtra Taruiſium a Friderico. 1236. Vicario tamē eiuſdē poſtea amice deditur. 1237. quod occupat deinde Albericus de Romano: quare Fridericus agro modo vaſtato, vrbem, quam non recipit, donat & agrum omnem populo Patauino. 1239. Albericus ergo Taruiſii dominus ad oppugnationem et ipſe Ferrariæ profectus. 1240. Taruiſinum agrum populatur Icilinus 1242. Caſtella etiam duo Nouale meſtriumq. eripit. 1245. alia quoq; caſtra, & agrum naſtat. 1246. Taruiſinis militibus utitur. 1247. Albericus dira ſaue in ciues ſupplicia exercet. 1257. quo cedente ex patricij Veneti & Epiſcopi auctoritate regũtur. 1249. ſed prius Albericus atrociſſimum in viros & matronas facinus perpetrat. 1259. idcirco armis eum oppugnatũ capiunt, & immani morte afficiunt, totamque familiam miſere necant. 1260.

Taurinum adiens Fridericus obſequium ſibi iurare iuſſit. 1238. & cum Taurinum peruenisset, pontificem aduerſus ſe pronunciaſſe ſententiam, accepit. 1245. Manſit ibi vſque ad Kalend. Auguſti. 1245. Taurini alterum conuentum inſtituit. 1247. Taurinum quod Marchio Montisferrati cœperat, a Friderico nepote recuperatur. 1257. Marchio Montisferrati Taurinum ſe confert. 1283.

Feani Maufredus, quo ſe contulerat pontifex, hominem pontifici acceptum occidit. 1254.

Tillium caſtrũ in Volturrena ſupra comum. 1264.

Trentula in agro Imolenſi. 1222.

Tribum caſtrum Piſtorienſium. 1212.

Tricium in agro Mediolanenſi oppidum. 1259. 1279.

Tridentum venit Fridericus. 1236.

Trilinium caſtrum. 1278.

Turris caſtrum in finibus Piſtorienſium. 1212.

Turris S. Andreæ in finibus placentiæ. 1200.

Turris Baibarū in Veneto æſtuario. 1215. 1256.

Turris Beſſata in agro Papienſi capta. 1200.

Turris guardię caſtrum Papienſ. 1216.

V

Vacaldus agri Veronenſis locus. 1237

Valleſaxini oppidum Turrianorum in Mediolanenſi agro. 1237.

Vaprium caſtrum. 1278. 1279. expugnatur. 1281.

Varanus pagus in agro Parmenſi. 1217.

Vardaſtallum Mantuanorum caſtrum. 1246.

Vercellas accedit Otho, ibique Bononienſibus veteris priuilegij confirmationem cōcedit. 1210. Fridericus Vercellas adiens ſibi iurare obſequium iubet. 1238. a cuius amicitia deſciſcunt. 1243. Vercellenſes Marchionis Montisferrati ſigna ſequuntur 1247. Lombardico fœderi in conuentu Mediolani conſentiunt. 1267. Turrianos etiam Mediolanenſes in bellum ſequuntur. 1269. Vercellis Gibellini exiguntur. 1280. ſequuntur etiam Marchionis Montisferrati arma. 1282.

Verona. Veronenſes auxiliarias copias expeditioni Ferrarienſium præſtant. 1200. Etiam Mutinenſibus. 1202. cum Brixianis prælio magno certant. 1203. item cum Mantuanis. 1203. ciuili ſeditione Sanbonifaciorum & monticulorum laborant. 1206. Vtroſque expellere vrbe conatus armis Azo Ateſtinus, Sanbonifacius ſociatur. 1207. Monticulos eiectos in deditionem adigunt. 1208. ſubſidio ſunt Mantuanis. 1208. ſeditiones amicè Otho Rex aduenieus ſedat. 1209. Ad obſidionem Bondeni cum Ferrarienſibus adſiſtunt. 1224. ſeditio vetus Monticulorum & Sanbonifaciorum inſtauratur: itaque vrbs quodammodo opprimitur ab Icilino. 1228. conuentus Veronæ habetur fœderatarum ciuitatum. 1229. Eadem exardet ſeditio; & factionum duces ablegantur. 1229. Quirnrſus ad tumultum inſurgunt. 1230. Ager

*diripitur ab Azone Ateſtino. Et alijs ſe
iungunt Lombardico fœdere. 1231. A
quo quia defeciſſent, a Lombardis oppu-
gnantur. 1232. iterum ab iiſdem bello ne
xantur. 1233. ſe ciuitas ad Friderici ob-
ſequia refert. 1236. Qui etiam ibi conuē
tum celebrem habet. 1245. Icilinus ſæ-
uit in ciues. 1246. incurſionibus Pata-
uinorũ Veronenſis ager diripitur. 1259.
Ludouicus Sanbonifacius Veronę armis
guelforum recipi tentat: receptus tumul-
tu facto excedit. 1261. Maſtino Scalige-
ro præfecturam ciuitas in perpetuum de-
fert, quæ res illi occaſio imperij in vrbe
fuit, quod deinde Scaligeri tenuerunt.
1262. adſunt Brixianis contra exules.
1271. perempto Maſtino præfectura
communi conſenſu ad eius filium Alber
tum defertur, ac dominatus decreto ciui-
tatis confirmatur. 1277.*

*Vicetia. Fœderi Lombardorum Vicetini cõ
tra Fridericum & aduerſarios libertatis
Lombardorum conſentium. 1226. Vrbs
opprimitur ab Icilino. 1228. F. Ioannes
Vicetinus ordinis prædicatorij theolo-
gus adeo homines mira doctrina, & ſan-
ctitatis ſpecie capit, vt a ciuitatibus ſum
ma ei deferatur poteſtas. 1233. auctor or
dinis militum S. Mariæ fuit F. Bartholo
mæus Vicetinus, qui poſtea ad Epiſcopa-
tum Vicetinũ aſcendit. 1233. ſub Azo
ne Ateſtino prætore Veronenſem agrum
inuadunt. 1236. A Friderico proditione
in poteſtatem redacta vrbs diripi & in-
flammari permittitur. 1237. idem Vice
tiam venit. 1239. ad quam redit. 1239.
Icilinus nouum prætorem conſtituit.
1242. ſequebantur Vicetini militiam
Icilini. 1247. 1248. 1256. ſimul cum
pedemontanis hominibus agri Vicetini.
1256. ab Icilino de eorum fide laudan-
tur. 1256. quem ideo alacrius ad Pata-
uium oppugnandum ſequuntur. 1256.
ad longaretum ab Eccleſiaſticis cruento
prælio profligantur. 1256. inde etiam ex
curſione Patauinorum fœde ager Viceti
nus laceratur. 1259. Morte vero Icilini
audita, fidei ſe committunt Patauino-
rum. 1259. ad caſtrum S. Zenonis oppu-
gnandum ipſi quoque arma ferunt, ut fa-
milia Alberici de Romano tollatur.
1260. veteri inſtaurando Lombardico
fœderi Mediolani adſunt. 1267.*

*Vicomercatum in agro Mediolanenſi oppi-
dum. 1259.*

*Victoria urbs a Friderico in agro Parmenſi
conditur. 1246. incenditur a Parmenſi-
bus. 1248.*

*Viglebanum Papienſium ad Ticinum am-
nem. 1201. 1267.*

Villecium Caſtellum Papienſium. 1214.

*Vineolam Bononienſes Mutinentibus eri-
piunt. 1228. oppugnatur, Vineola anti-
quum quidem oppidum, ſed inſigne nunc
Marchionatu Iacobi Boncompagni.
1239. 1246.*

*Viterbium. a Romanis compelluntur Viter
bienſes ad ſe dedendum eccleſiæ. 1200.
Viterbij conuenit Othonem regem pon-
tifex. 1209. armis Viterbium Otho pon-
tifici iratus adimit. 1209. Romani quo-
que inuadunt. 1234. Fridericus vero in
ſuam ditionem armis adducit. 1239. ite
rum occupat. 1241. eius magiſtratus ex
pelluntur, ipſumque Fridericum venien-
tem Viterbienſes excludunt. 1243. qui
agrum vaſtat. 1245. concedit Viterbium
pontifex. 1258. Hic conſecratur clemens
IV. 1265. Hic ſe continet pontifex.
1268. Viterbij clemens obit. 1268. Phi
lippus Rex Franciæ, & Carolus Rex Si
ciliæ Viterbium accedunt, & Cardina-
les ibi conſidentes ad comitia perficien-
da rogant. 1270. ibidem eligunt Theobal
dum Placẽtinum. 1271. Innocentius V.
Viterbij Florentinos interdicto exoluit.
1276. Viterbium pontifex nouus ut ſe
Carolo ſubtrahat, abit. 1276. Ioannes
pontifex Viterbij repentina Cameræ rui
na opprimitur. 1277. Viterbij pontifi-
cem Legati Bononienſes conueniunt.
1278.*

*Vnciola caſtrum Epiſcopi Bononienſis.
1231.*

*Volaterrani aduerſus Piſanos cum alijs
Etruriæ populis conſentiunt. 1274.*

Volturrena ſupra comum. 1264.

*Vrbeuetum pontifici iratus eripit armis
Otho Cæſar. 1209. in eccleſia Vrbeuen-
tana pontifex reponit linteum maculis
madidum hoſtia ſacra profuſis: urbeueti-
que docet S. Thomas Aquinas litteras
ſacras. 1264.*

Vrbinum. opitulantur Ariminenſibus Vr-

binates.

INDEX.

binates. 1216.
Vrcei in finibus Brixianis oppidum. Vrcenſes fugantur a Cremonenſibus. 1235. ab Icilino inuaduntur. 1259. 1259. Vrceorum propugnacula adæquari præcipiuntur. 1273.
Vulſinijs ſacerdos quidam, cum hoſtiam ex ritu ſacro frangeret, ſanguis ex ea tantus effluxit, vt multis linteum guttis imbuerit. 1264.

Z

Zenevolta in Cremonenſi agro. 1209. 1214. Excinditur. 1215. protegitur. 1234.

FLVMINA ITALIAE IN HAC Hiſtoria nominata.

Abdua in Trans padanæ. 1245. 1259. 1259. 1268. Os Abduæ ad quod eſt caſtrum nouum. 1200. 1215.
Aeſis ad Marchiæ Anconitanæ fines 1216.
Arnus in Etruria. 1286.
Athеſis ad Veronam. 1209. 1234.
Bachileo in Vicetino agro. 1256. 1256. 1256.
Botteſina in agro Cremenſi. 1213.
Brenta in agro Patauino. 1256. ad quam etiam eſt caſtrum Brentæ. 1256.
Cruſtulum Regienſis agri torrens. 1250.
Guaſſera in mediolanenſi agro. 1276.
Lambrus in Tranſpadana. 1200. 1212.
Lario in agro Mantuano. 1251.
Leaſter ad fines Anconitanos. 1216.
Mincius per agrum Mantuanum fluens. 1236. 1246.
Ollius in Traſpadana inter Mantuam & Cremonam. 1235. 1237. 1259. 1270.
Padus in Lombardia. 1200. ita gelu conſtringitur ut hominum & iumentorum itinera toleret. 1211. ad quindecim cubitos congelat. 1216. congelat etiam a Cremona Venetias vſque. 1232. oſtium padi. 1270.
Parma in agro Parmenſi. 1272. 1283.
Rhenus ad Bononiam. 1257. 1272. 1274.
Samodia in Mutinenſium finibus. 1234.
Santernus ad vrbem Imolam. 1222.
Scultemna ad Mutinã. 1228. 1229. 1229. 1235. in pactionum tabulis Mutinenſiũ cum Bononienſibus aſcribitur. 1249. 1272.
Senius in agro Fauentino. 1275.
Serius ad Cremam. 1213.
Sicla. 1200. media fluit inter Mutinenſes & Regienſes a Plinio dicta Gabellus. 1201. & 1235. 1272.
Silis in Marchia Foroiulienſi. 1239. 1259.
Talliata. 1246.
Talliatæ os. 1246.
Tarus in agro Parmenſi. 1246.
Tarus mortuus ibidem. 1246.
Ticinum in Papienſi agro. 1212.
Ticinellus ad Mediolanenſes fines. 1245.
Ticius (vel forte Ticinus) apud Viglebanum. 1201.

VRBES ITALIAE, AVT caſtra inſigniter aut expugnata, aut obſeſſa.

Brixiæ ſæua fuit obſeſſio Friderici. 1237.
Fauentia a Friderico diu ita obſeſſa, vt tandem ſe dedere coacta ſit. 1241.
Ferraria ab eccleſiaſticis & Venetis obſeſſa. 1240.
Mutina conflictata acri obſidione & graui oppugnatione ad conditiones pacis deuenit. 1249.
Parma valide quidem ſed obſeſſa fruſtra a Friderico. 1246.
Patauium Cruce a pontifice aduerſus Icilinum indicta, magnis ingentis exercitus viribus expugnatur. 1256.
S. Zenonis caſtrum quo ſe tuebatur Albericus de Romano a tota Marchia exciſum. 1260.

VRBES ET CASTRA condita.

Coſma a Fauentinis.
Marzalia a Mutinenſibus.
S. Petri caſtrum a Bononienſibus.
Plumatium a Bononienſibus.
Caſtrum francum ab iiſdem, & Crepacorium.
Caſtrum Leonis in Mutinenſium finibus.
Victoria in agro Parmenſi à Friderico condita.

Scaricalaſinus arx in ipſo prope Apennini iugo à Bononienſibus condita.
S.Zenonis caſtrum in agro Taruiſino.
Caſtrum Sancti Alberti in Padi ripa a Venetis.
Primarium ad oſtium Padi a Bononienſibus.

MONASTERIA, SIVE Abbatiæ.

Camaldi. Gerardus præfectus monachorum Camaldulenſium a Vicario Cæſaris confirmationem veterum priuilegiorum impetrat. 1277,
S.Georgij in campo Coronatę.
S.Benedicti inter padum & Larionem. ad quod Innoc.IV. pontifex diuertitur, ubi ſepulchrum Mathildæ comitis uiſitat. 1251.
S.Syluestri Nonantulæ diœceſi Mutinenſi. Nonantulani ſe Mutinenſium amicitiæ dedunt contra Bononienſes. 1203. *Abbati Raymundo bona ſua omnia Imperator Otho confirmauit & ibi conuentum egit.* 1210. *idem intereſt inducijs Bononienſium & Mutinenſium.* 1229. *ſe dedunt Bononienſibus.* 1248. *in pactionibus Mutinenſium cum Bononienſibus habentur.* 1249.
S. Stephani Bononiæ, cuius abbas mulctatur a Bononienſibus. 1211.
Monaſterium Columbę in agro Placentino. 1214.
S.Facundi Abbas Gulielmus a Pontifice legatus ad Fridericum mittitur. 1243.
S. Petri Mutinæ. Benedictus Abbas adeſt inducijs inter Bononienſes & Mutinenſes. 1229.
Monaſterium S. Iuſtinæ Paduæ. Arnoldus abbas vrbe ab Icilino eijcitur. 1236. *Fridericus Montemſilicem perfectus, vbi Azonem Icilino reconciliauit, ſecū Abbatem reduxit.* 1239.

HOMINES IN SANCTORVM numerum relati.

B.Raimundus qui placentiæ obijt. 1202.
D.Franciſcus Aſſiſias. 1228.
D.Dominicus Calogorenſis. 1233.
B.Petrus Veronenſis in SS. Martyrum numerum relatus. 1253.
S. Clara Virgo in SS. Virginum numero aſcribitur. 1255.
Albertus quidam vini portator mortuus Cremonæ tanta, atque adeo mirabilia ſanctitatis ſigna edidiţ, vt omnium in ſe oculos, menteſque conuerterit. 1279.

FAMILIAE ITALIAE antiquæ nobilitatis.

Marchionum Ateſtinorum.
Marchionum Montisferrati.
Comitum Mutilianæ in Romaniola.
Malateſtarum in Romaniola.
Vicecomitum Mediolani.
Comitum Pirouani.
Douariorum Cremonæ.
Rangonorum Mutinæ.
Rondiliorum Mutinæ.
Columnarum, Romæ.
Frangipanum, Romæ.
Hanniballenſium, Romæ.
Corrigiarum Parmæ.
Roſſiorum Parmæ.
Marchionum Blanderati.
Marchionum Malaſpinarum.
Turrianorum Mediolani.
Sanbonifaciorum & Monticulorum, Veronæ.
Scaligerorum, Veronæ.
Taurellorum & Adelardorum, Ferrariæ.
Fliſcorum, Genuæ.
Malanoltarum, Prendipartiorum, Rampoenorum, Hieremęorum, Lambertaciorum, Lambertinorum, Scannabecciorum, Pepulorum, Caſtrobittorum Aſinellorum &c. Bononiæ.
Palauicinorum Placentiæ.
Fontanarum Placentiæ.
Trauerſariorum Rauennæ.
Adimariorum Florentiæ.
Manfredorū qui & Albergbetti Fauētiæ.
Raullorum Fauentiæ.
Mindulorum, Imolæ.
Brittorum, Imolę.
Torniellorum, Nouariæ.
Bruſatorum, Nouarię.
Ruſconorum, Comi.
Vitanorum, Comi.
Campoſanpetriorum, Patauij.

INDEX.

Venetarum prǫterea familiarum nonnullas contigit nominare.

Verum de his omnibus ac de alijs etiam ali cuius dignitatis reperies in ſequenti catalogo factam eſſe notationem, & expoſitionem ampliorem.

CATALOGVS perſonarum, rerum, & verborum, memorabili m.

In quo aduerte perſonarum cognomina, ſeu familiarum præponi, ſub ijs vero propria nomina locari.

Item in comitibus & Marchionibus ij recenſentur, qui dignitatibus ijs prǫditi fuere.

A

ACariſii. Theobaldus Acariſius. 1274. Et 1255. 1255. 1263.

de *Accipitre uerſus Aeſopici ioco recitati necis plurium hominum fuere cauſa. 1249.*

Aco vrbs tranſmarina. 1228.

Adelardi Rainerius Adelardus Mutinẽſis miles ordinis S. Mariæ. 1261. Guidottus Adelardus. 1204.

Adeleides filia Alberici a Romano deſpouſatur Rinaldo Ateſtino. 1233.

Adimari. Foreſius Adimarus. 1265.

Aduocati. Petrus aduocatus Prǫtor Mediolani. 1252. Henricus aduocatus. 1213.

S. Aegidij Vicus, in urbe Cremonæ. 1211.

Aegidius. Paganus Aegidius prætor. 1214.

Aigoni Mutinæ. in ſeditione. 1245. 1247. 1249. 1249. 1264. 1271.

Albertus Mantuanus Eremita. 1204.

Albertus Leudenarius Mutinǫ prǫtor acie capitur. 1201.

Alberghettus prǫtor Bononiæ. 1218.

Alberghettus prǫtor Vicetiæ. 1228.

Albericus frater Icilini a Romano. 1228. Adeleidem filiã Rinaldo Ateſtino dat uxorẽ. 1233. Vicetiæ Vicarius Friderici relinquitur. 1236. occupat Taruiſiũ. 1239. Et ipſe obſidioni Ferrariæ adeſt. 1240. ſe Taruiſiũ et resomnes ſuas mãdato Eccleſiæ obtenturũ oſtẽdit. 1256. fratri Icilino conciliatur, eiuſque ſæuitiam imitatur in Taruiſinos. 1256. uide reliqua in vrbe Taruiſii exitium. 1260.

Albigenſes hæretici a B. Dominico impugnantur. 1202.

Aliprandus prætor Bononiæ. 1229. qui Faba etiam dicitur. 1229.

Alpes cluſæ quæ ſint. 1232. alpium ſaltus. 1236.

Alſatia peruaſtatur a Philippo. 1206.

Amati. Pontius Amatus prǫtor. 1277.

Andali. 1244. Brãcaleo Andalus ſenator, vir non tam iuſtitia quam ſeueritate inſignis, Bononia Romam aſcitus. 1252, 1256. 1258. Catellanus eius patruus. 1258. 1259. Lodorengus Andalus. 1261. 1267.

Annus generalis deuotionis appellatus in quo in urbibus, caſtris, agriſque omnium ætatum, ſexuum, ordinũque homines laudes diuinas per uias incedẽtes canebãt, cruces & uexilla prǫferentes, ac ramos, & cereos accenſos tenentes. 1233. Alter annus generalis deuotionis verberantium ſe religione inſignis. 1260.

S. Antoninus Florẽtinus orationem refert elegantem, quam ad pacificandos Florẽtinos hic habet Gregorius X. 1273.

Anſediſius filius ſororis Icilini prætor Patauij conſtitutus. 1249. ſtrenue ſe geſſit in Patauio tuendo, uide multa. 1256. tãdem Icilino accuſatur, quòd eius culpa ſit Patauium amiſſum. 1256. propterea in tormentis mori cogitur. 1257.

Anſelmus Spirenſis Friderici Mareſcallus 1220.

Antiani qui ſint, & quãdo inſtituti. 1228.

Antonius Tarentinus. 1216. 1216.

F. Antonius Vliſſiponẽſis ordinis Minorũ qui poſtea Patauinus dictus eſt Marchiã ad pietatẽ cõcionibus excitat. 1229. ad Icilinũ proficiſcitur: in arboris ſinu uolumina ſacra lucubrat. 1230. obit. 1231. in diuorum numerum refertur. 1232.

Anziola. Iacobus Anziola. 1284.

Aquǫ Grani obſidentur a Pontificijs. 1247. capiuntur. 1248.

Aqua Mutia media inter fines Bononienſes & Mutinenſes conſtituta. 1205.

Araldi. Albertus Araldus homo montanus in ſpelunca capitur & ſuſpendio necatur. 1200.

INDEX.

Areoſti. Bonifacius Areoſtus. 1274. *Toma ſinus Areoſtus.* 1275.
Argentoratum obſidetur a Philippo. 1201.
Artenisii. In factionibus Bononienſium. 1244. 1258.
Aſinorum iumentorũque cadauera ad igno miniam in vrbes obſeſſas ui machinarũ inyci ſolebant. 1249.
Aſinelli. in factionibus Bononiæ. 1265.
Ateſtini. Vide in Marchionibus.
Auſtria. Dux Auſtriæ aduerſus Fridericum coniurat. 1236. *debellatur.* 1237. *filiam deſponſare Friderico renuit.* 1245.
Azo iuriſconſultus adhibitus liti Bononiẽſium cum Ferrarienſibus. 1203. *legatus a Bononienſibus miſſus ad pontificium legatum.* 1211.

B

BAccialerij. Nicolaus Baccialerius. 1276.
Badoarij. Stephanus Badoarius prætor Patauij. 1230. *& Ferrariæ.* 1240. *Marinus patauij.* 1237. *Matthæus Badoarius prætor Taruiſii.* 1259. 1260. *Marcus Badoarius.* 1270.
Bagarelli. Rinerius Bagarellus Perusinus Veronæ prætor. 1234.
Banſelli. Ioannes Banſellus Sartor egregie canet Parmæ. 1253.
Barbi. Pancratius Barbus Venetus Patricius. 1270.
F. Bortholomæus Vicetinus ordinis prædicatorij, & deinde Epiſcopus Vicetiæ bonorum morum, & inſtitutorũ auctor. 1233.
Baſocomatra. Bartholamæus Baſocamatra 1225. & 1265. 1275.
Bazarienſes ſub Othone Mandello duce. 1239.
Bazoarij. Albertus Bazoarius Mutinæ rector. 1249.
Becatelli Bononię in ſeditione. 1269.
Belmontij. Giufredus Belmontius Caroli regis legatus. 1265.
Beltalis iuris peritus procurator Fauentinorum & Balneocaballenſium. 1256.
Beltramus Monachus Ceretanus. 1213.
Belluarum orientalium, genera varia a Friderico in Italiam adducta. 1231.
1234.
Berta uocabatur carrocium Cremonẽſium. 1248.
Beruerij quidam præmiſſi a Parmenſibus, vt eos Fridericus perſequeretur. 1248.
Beurandus Epiſcopus Parmenſis pontificis legatus. 1226.
Biragarum familia. 1272.
Blanci. Gerardus Blancus Cardinalis. 1283.
Boaterij. Hugo Boaterius Parmenſis filius ſororis Pontificis, prætor Papiæ. 1247.
Bonacolſii. Pinamons Bonacolſius præfectus Mantuæ. 1274. *Lugduni uitam amittit.* 1275.
Bonacurſius Albertus iuſtitiæ conſul Bononię. 1203.
Bonacurſius Mediolani prætor. 1229.
Bonacurſius Bononiæ præfectus. 1256. 1256. 1256. 1256.
Fr. Bonauentura ſummus Ordinis Minorum theologus in Cardinalium numerum cooptatur. 1274. *diem ſuum obit.* 1275.
Boncompagna familia. IACOBVS Boncompagnus dux Soræ, Marchio Vineolę &c. uir omnium ſcriptorum prędicatione celebrandus. 1239.
Borri. Franciſcus vel Francinus borrus dux nobilium Mediolani. 1268. 1269.
Boſchetti Mutinę Albertus Boſchettus Epiſcopus Mutinenſis. 1249. *ipſi Boſchetti.* 1245. 1284.
Bricola machina erat, qua aſinorum iumentorumque cadauera in urbes inyciebantur. 1249.
Britti Imolæ. in ſeditione. 1249. 1263.
Bruletum locus, in vrbe Mediolani. 1277.
Bruſatti Nouarię in ſeditionibus. 1263. 1272. 1274.
Bualelli. Bualellus prętor Bononiẽſis. 1201 *Rambertinus Bualellus prętor Mutinę.* 1220.
Burgi. Sinibaldus Burgus. 1213.
Burgundię Ducis filia deſponſa Carolo Regi in Italiam venit. 1268.
Butrigarij. Bartholomęus Butrigarius Antianus Bononię. 1267.

Cac-

INDEX.

C

CAccianimici Bononiæ. Gruamons Caccianimicus miles ordinis S. Mariæ. 1261. Albertus Caccianimicus ſęua iracundia in nepotem furit. 1266. Vido Caccianimicus quod fugam Hencio regi paraſſet capite plectitur. 1268.

Cacus cognomine dictus inter Gibellinos, qui ſpeciem prope gigantis æquabat, à duodecim Florentinis interemptus. 1265

a Camino. Domini Camini ciues Patauini 1234. Blanchinus a Camino. 1248.

Campana in turrim S. Geminiani Mutinæ è caſtro Pontis ducis ſubuecta. 1213.

Campoſanpetrij. Tiſo Cãpoſanpetrius exul Patauinus. 1256. 1256.

Canale in Mutinenſi agro vbi captus fuit a Bononienſibus Hencius, & foſſa alta dicebatur. 1249.

Canales. Gerardus Canalis. Parmenſis fidelis quidem Friderico ſed ſuſpectus, ob id eum ſubmergendum curauit. 1247.

Candiani pagus Friniatium. 1204.

Capelli. Diotesaluus Capellus prętor Papienſium. 1222.

Capitaneus qui & pręfectus. 1228.

Capitaneus & poteſtas quãdo inſticuti in urbibus. 1228.

Captiuorum Patauinorum, qui ab Icilino in uinculis ſeruabantur numerus maximus. 1256.

Careani. potens familia Mediolani. 1282.

Carboneſij Bononiæ in ſeditione. 1258.

Carcer Petra Caloræ Bononiæ. 1276.

Carcerem ad Sanctam Sophiam extruxerat Icilinus Patauij, in quo ſexcenti vtriuſque ſexus homines ſeruabantur. 1256.

Carinus interfector F. Petri Veronenſis qui poſtea Martyr dictus eſt, habitu Prædicatorum aſſumpto, magna ſe uitæ acerbitate caſtigat. 1252.

de Cario Bonifacius de Cario Parmenſis prætor Bononiæ. 1248. Vido Carius Friderici ſocius. 1249.

Carneuarius prætor Fauentinorum. 1229.

Carrocium Mediolanenſium captum a Cremonenſibus. 1213. Cremonenſium captũ a Mediolanenſib. 1214. 1217. Bononiẽſium captum a Mutinenſibus. 1229. Mediolanenſium captum a Friderico. 1237. Cremonenſium abductum a Parmẽſibus. 1248. Parmenſium ab exulibus. 1250.

Carrocij Eccleſiaſticorum ornatus. 1239.

Caſalaltus. Albertus Caſalaltus Brixiæ tumultum excitat. 1205.

Caſaloldi. vide in comitibus.

Caſtelli. Caruolinus Caſtellus in pactionum tabulis. 1249.

Caſtellani. Bonifacius Caſtellanus. 1249.

Caſtilionei. Conradus Caſtilioneus. 1279. Vido Caſtilioneus. 1282. 1284.

Caſtrobritti Bononię in ſeditione. 1244. & 1258.

Caualcabos prætor Parmæ. 1229.

Claræ Virgini Minorum ordinis ſanctiſſimæ morienti adeſt innocentius pontifex. 1253. Beatarum Virginum cœtui inſeritur ab Alexandro I I I. Pontifice. 1255.

Colonia. Adolfus Colonienſis Archiepiſcopus coronat Philippum. 1204. Cui abdicato ſufficitur Bruno Bonnenſis. 1205. Engilbertus Archiepiſcopus Henricum Friderici filium ornat inſigni regio. 1222. Conradus Archiepiſcopus. 1247. Coronat Gulielmum Holandiæ Comitem. 1248. inter principes, quibus creandi regis Germanorum ius eſt, ſupereminet Archiepiſcopus Colonienſis. 1256. idem Conradus inſigni regio decorat Ricardum Comitem Cornubię. 1257.

Columbæ duæ ſunt omini Victorię Cremonẽſibus. 1213.

Comaclum. Epiſcopus Comaclenſis. 1275.

Comites. Acerrani Comes, Thomas. 1228.
Balneo Caballi Comites. 1239. 1256. 1256. 1256. 1256.
Carpaniæ Comes. 1216. Pulſus ab Aldobrandino Ateſtino.
Caſertanus comes. 1243. 1245.
Celani Comites. 1215. 1216. 1220.
Comes S. Floræ aquis ſuffocatus Othonis imperatoris iuſſu. 1211.
Gonzagę, Comes, Albertus Caſaloldus patricius Mantuanus. 1220.
Languſci Comes, Gottifredus. 1276.
Laumelli Comes Ricardus Languſcius. 1277.

Montiſferetri Comes. 1216. *Vido Comes vir fortis* . 1274. 1275. *qui dicitur & Montefeltrius* . 1282. 1283. 1285.
Thadæus Montefeltrius . 1282. & 1284.
Mutilianæ Comes. 1239. 1239.
Palatinus Comes Otho philippum regem necat in cubiculo. 1208.
Panici Comes in foro Patauino ab Iciline capitali ſupplicio afficitur. 1243. *alter Comes.* 1275.
Romandiolæ Comes Hugolinus Parmenſis . 1220. *Gottifredus Blanderaria* . 1221. 1222. 1226. 1227. 1228.
Sabaudiæ Comes Thomaſinus. 1215. *accerſit Fridericum* . 1230. *confligit cum Mediolanenſibus.* 1230.
Sanbonifacij Comites . *Bonifacius contra Monticulos tumultuat* . 1206. *ſociatur Azoni Ateſtino* . 1207. *Genuæ excipit Fridericum regem.* 1212. *Ricardus San bonifacius a Salinguerra fraude capitur & dimittitur.* 1224. *eycitur Veronę ab Icilino.* 1228. *de quo multa habentur* . 1229. 1230. 1231. 1231. 1233. 1233. 1234. 1234. 1236. 1237. 1237. 1239. 1240. 1244. 1247. 1247. *Brixiæ moritur, relicto filio Ludouico* . 1253. *Qui Patauium tutatur contra Icilinum* . 1256. *de quo alia vide.* 1261. 1265. 1282. *Regij interit, & filios ſuos Opizoni Ateſtino commẽdat.* 1283.
Soræ Comes. 1220.
Tiroli Comes ab Azone Ateſtino captus. 1207.
Confalonerij. Iacobus Confalonerius guelforum exulum princeps. 1261.
Conradinus prætor Parmæ. 1211.
Conradinus Soldani Aegypti frater ſæuit in Hieroſolima. 1219.
Conradus filius Friderici Rex Germaniæ eligitur, & coronatur. 1235. *contra Tartaros exercitum ducit.* 1240. *de quo uide etiã:* 1243. 1245. 1246. 1247. 1248. 1248. 1249. *reliqua uide in Regibus.*
Conradus Epiſcopus Spirenſis, & Metenſis Cancellarius Friderici regis in Italiam cum mandatis liberis mittitur. 1220. *factus legatus cum poteſtate pari imperatoriæ.* 1220. 1221.
Conſtantinopolis . *Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus comitatur Pontificem Mediolanum* . 1251. *moritur* . 1251.
Corona Friderici a quodam paruo abiectoq; homine inuenta. 1248.
Cornazani . *Bernardus Cornazanus prætor Regij* . 1216. *Manfredus Cornazanus* . 1247.
Corrigia familia. Matthæus Corrigius prætor Parmæ. 1203. *Cremonæ.* 1211. *Gerardus Corrigius põtificis affinis.* 1245. *Gibertus Corrigius (qui forte idem eſt) de gente dictus.* 1246. *is cum alijs parmenſibus exulibus qui partes eccleſiæ ſequebantur eripit Friderico Parmam* . 1247. *auctor eſt vt exules reducantur, eique prætura in ſexennium data.* 1253. *Vido frater Giberti prętor Regij.* 1253. *Gibertus adhuc* . 1255. 1255. 1259. *Matthęus & Vido Corrigij.* 1284.
Coſſadoca Epiſcopus captiuus ab Icilino factus. 1258.
Coxius prętor Imolę. 1222.
Creſcentij. Creſcens Creſcentius. 1268.
Crucesignati tranſeunt in Syriam . 1217. *Obſident in Aegypto Damiatam urbem* 1218. *quam capiunt* . 1219. *Et inter ſe diuidunt.* 1220. *fruſtra Brundiſium conueniunt denuo taiecturi, ubi pars magna perit.* 1227. *parum proſpere ad Damaſcum rem agunt.* 1240.
Crucesignati Milites ad oppugnationem Patauinam, dum in honorem. S. Crucis hymnus caneretur, præ lætitia lacrymantur. 1256.
Cruciata ab Innocentio III. contra ſaracenos indicta. 1213. *emiſſa in ſyriacam expeditionem.* 1217.
A Gregorio vero contra Fridericum indicta. 1239. *ab Alexandro contra Icilinum.* 1256. & *contra fratrem eius Albericũ indicta a pontificio legato.* 1259. *Ab Vrbano vero aduerſus Mãfredum.* 1263.
Crudelitas Friderici in obſidione Brixiæ. 1238. *in crucesignatos* . 1239. *in Parmenſium captiuos.* 1247. *In Mantuanos* 1247.
Anſediſii ſororis Icilini filij in quendam militem. 1236.
Icilini vero vide in Patauio & Verona.
Alberici eius fratris uide Taruiſium.

INDEX.

Crux eni ligni ſalutiferi portio ineſt prolata in proceſſione, a pontifice. 1239.

Cutica. Acurſius Cutica. 1271.

D

DAmiata vrbs Aegypti obſidetur a crucesignatis. 1218. capitur. 1219. Diuiditur a crucesignatis, 1220. Per vim redditur ſaracenis. 1222.

Danduli. Ioannes Dandulus prætor Bononiæ. 1266. 1270. Iacobus Dandulus. 1271. 1272.

Decreta. 1219. 1219. 1222. 1226. 1229. 1255. & 1278.

Delfini in ſeditione Bononiæ. 1244.

Deuoti qui dicebantur vide verberantes.

Deuotionis annus. vide annus.

Didacus Epiſcopus Oxonienſis aduerſus Albigenſes hæreticos cum B. Dominico. 1212.

Diluuia. 1222. 1230. 1276. 1277.

Dodoni. Aimericus Dodonus prætor Mutinæ. 1204.

B. Dominicus Calarogenſis aduerſus Albigenſes hæreticos. 1202. Ab innocentiõ poteſtatem Euangelij prędicãdi poſtulat. 1215. Bononiæ prima ſua celebrat comitia 1220. Obitus Bononiæ & funus eius. 1221. magna ueneratione oſſa eius reponuntur. 1233. inter ſanctos refertur. 1233.

Fr. Dominicus ſocius Fr. Petri Veronenſis ſimul cum eo grauiſſime ſauciatur. 1252.

Douaria familia Cremonę. Iſacius Douaria Regij prætor. 1203. 1214. Albertus Douaria Boſonis Cremæ domini propinquus & Cremæ præfectus. 1213. Boſo Douaria Regij prætor. 1247. capitur a Bononienſibus. 2249. Dominatur Cremonæ cum Huberto Palauicino. 1258. Brixiã ſimul cum Icilino occupant. 1258. idem & Hubertus inſequuntur Icilinum et capiunt. 1259. de quo alia uide etiã. 1265. 1266. 1267. eiectus Cremona ſe continet, ac tuetur in oppido ſuo Rocchetta. 1267. quæ a Cremonenſibus euertitur. 1269. & 1282.

E

EBredunum. Henricus Archiepiſcopus Ebrudunenſis. 1258.

Ebulum. Marinus de Ebulo. 1246.

Eduardus Rex Angliæ laborat ut factiones Bononiæ ad concordiam redeant. 1273.

Egna. Henricus Egna prætor occiſus a quodam accuſato. 1247.

Elephas in exercitu Friderici, ſuper quem conſtitutum erat inſtar carrocij caſtellum ligneum. 1237. 1237.

Epiſcopus Andegauenſis perit. 1227.

Epiſcopus quoque Auguſtanus. 1227.

Eremitarum fratrum ordo ex multis ordinibus Eremiticis conſtitutus a pontifice habitu, cinctuque donatur, ac legibus S. Auguſtini obſtringitur. 1255.

Erucæ frondibus arbores nudant. 1282.

Equorum curſus bini quando Bononiæ quotannis inſtituti. 1256.

Excommunicationes ſcriptæ. 1227. 1239. 1245.

F

FAntolini. Hugo Fantolinus. 1282.

Flandria. Hubertus Comes Flandriæ copias Caroli regis in Italiam ducit. 1265.

Fliſca familia. Sinibaldus Fliſcus pontifex factus uocatur Innocentius IV. de quo uide in pontificibus. 1243. Albertus, Iacobus, Hugo Fliſci. 1244. Othobonus Fliſcus Cardinalis creatur pontifex. 1276. Princiuallus Fliſcus Vicarius imperij. 1286.

Fœdera Lombardorum aduerſus Fridericũ 1226. vide, Italici.

Fœdus conſcriptum. 1203. 1226. 1253.

Fogia in Sicilia. 1251. 1254.

Foliani. Regij. 1245. 1265. Epiſcopus folianus. 1253.

Fontana. Albertus Fontana Mediolani prætor. 1209. Philippus Fontana Rauennæ Archiepiſcopus, de quo uide ibi. Albertus Fontana prætor Placentiæ. 1263.

Formaini. Rolandus Formainus Plumatij præfectus. 1228.

Foſſa alta in Mutinenſi agro, ubi fuſus ca-

ptuſque eſt Hencius.1249.
Frangipanes nobilitate & opibus præſtantes Romæ pontificem pellunt.1228.
B. Franciſcus Regulam ſocijs ſuis conſcribit, eiuſque approbationem accipit ab Innocentio pontifice.1206. differit cum Soldano Aegypti de fide. 1219. obit Aſſiſiis.1226. in diuorum numerum redigitur.1228.
Fratres Pœnitentiæ, quos extra cœnobium certa diſciplina viuere DD. Dominicus & Franciſcus inſtituere, qui tertij ordinis nominantur, milites legi non poßunt. 1251.
Fridericus filius Friderici Cæſaris. 2245. legatus Etruriæ.1245.1247. nepos Fridericus.1247.
Frugerius prætor Mutinæ.1211.
Fulco Epiſcopus Toloſanus.1215.

G

GAboardus Comes Suenus Vicarius Friderici in Marchia. 1236. 1237.
Gallucij. in ſeditione Bononiæ. 1260. & 1275.
Ganaceti. Rolandus Ganacetus in pactionū tabulis.1249.
Gattus inſtrumentum bellicum flammas euomens, & armatos occluſos gerens. 1256.
Gaudentes fratres qui appellati fuerint uide Milites S. Mariæ.
Ganfredus presbiter Card. Legatus pontificis.1228.1229.
Gelu glacieſque inandita.1211.1216.
Gerarducij. Vidottus Gerarducius. 1247.
Germani Principes ad Innocentium pont. oratores mittunt pro ſuis conciliandis regibus.1207. item ad eundem pontific. alios, & ad Fridericum Siciliæ regem 1211. qui fuerint quibus creandi Germanorum Regis ius erat. 1256. diuerſi diuerſos aduocant reges.1257.
Ghiſolerij. Robertus Ghiſolerius prætor Patauij.1256.
Gibellinorum & Guelforum factiones quādo in Italia cœpere: gibellinique Imperij partes, Guelfi autem Eccleſiæ tuebantur. 1228. creſcunt, & quas ciuitates præcipue inuaſerint. 1231. ac deinceps in omnibus ſeditionibus ciuitatum miſcentur.
Giringelli. Philippus Giringellus prætor. 1256.1256.
Gorgia dux ſub Anſediſio ſororis Icilini filio Paſanij.1256.
Gorzani. Thomaſinus Gorzanus Mutinenſis eques illuſtris.1249. & in pactionum tabulis.1249. Matthęus Gorzanus Mutinę rector.1249.
Goſi. Gulielmus Goſus prætor Fanentinorum.1256.1256.
Gradonici. Marcus Gradonicus Venetus Regij prætor.1265.1272.
Græca familia. Beltranus Grecus prætor Mediolani.1267.
Grando adeo ſæua ut homines & tecta domorum afflixerit.1224. grando inuſitata.1285.
Groſſoni in ſeditione Mutinæ.1284.
Gregorius Card. S. Marię in porticu legatus pontificis.1210.
Grifoni in ſeditione Bononiæ.1244.
Groſſi Mantuæ.1274.
Gualla Cardinalis presbiter.1225. &
F. Gualla ordinis prædicatorum.1229 pontificis legatus in Lombardia. 1229. 1229.
Gualandelli ſe Mutinenſibus dedunt. 1205.
Guarinoſii Hugo Guarinoſius legatus Ferrariæ ab Othone conſtitutus. 1210.
Gurgo F. Rufinus Gurgo Placentinus pōtificis pœnitentiarius.1261.

H

HAnniballenſes nobiles, Romæ. 1258.1258.
Henricus Rex Angliæ.1223.1235.
Henricus prætor Bononiæ.1219.
Henricus Epiſcopus Bononiæ. 1229. ciuibus inuiſus.1231.
Henricus Friderici filius. 1231.1232. duodecim annorum Germaniæ Rex coronatur patris rogatu. 1222. qui eum ad conuentum euocat Rauennam. 1231. Aquileiam accedit ad conuentum. 1232. contra patrem coniurat. 1234. bello ab eodē vincitur.1235.
Henricus Friderici filius ex concubina ſuſceptus

INDEX.

ſceptus, quem Itali Hencium appellabant, Rex Sardiniæ. 1239. legatus Italiæ. 1239. primores eccleſiȩ bello nauali capit. 1241. aduerſus Placētinos. 1242. ſed vide plura. 1243. 1245. captiuus ſit & mox liberatur. 1245. & 1245. 1246. anathemate reprobatur. 1247. 1247. 1248. 1248. a Bononienſibus capitur. 1249. In fuga e cuſtodia deprenditur. 1258. Et mortem obit. 1272.

Hiems aſpera, & atrox. 1211. 1216. 1234.

Hiems omni prorſus niue glacie pluuia frigoreque carens. 1265.

Hieremæi Bononiæ in ſeditionibus præcipui factionum ductores. 1258. 1271. 1273. 1274. 1274. 1275. 1280.

Hoſpitale S. Spiritus Romæ erigitur, atque eius ordo inſtituitur. 1201.

Hoſtia ſacra tantum ſanguinis profundit, ut linteum maculis infecerit. 1264.

Honerij. Iacobus Honerius fortiter Parmēſium carrocium tutatur. 1229.

Hubertus Ferrariæ prætor. 1202.

Hubertus index prætoris Bononiæ. 1219.

Hugolinus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis legatus pontificis.. 1207. 1216. 1218 1220. fit pōtifex. 1227. captus ab Azone Ateſtino. 1207.

Hugoni. Philippus Hugonus prætor Bononiȩ. 1249. 1249.

I

IAcobus Epiſcopus Taurinas. 1219.

Icilinus Monachus Veronam aggreditur aduerſus Azonem Ateſtinum, ſed capitur. 1207. Prætor Veronȩ ſubrogatur Azoni. 1208. Aduerſus Aldobrādinum cum Patauinis et filio Icilino mouet arma. 1213.

Icilinus à Romano. 1213. pellit Verona factionem Sanbonifaciorum, & Vicetia potitur: de eiuſdem origine. 1228. eripit caſtrum fontis Patauinis, quod tamen reddit armis oppreſſus. 1228. incarcerē tradit Ricardum Sanbonifacium Veronæ. 1230. Armis Azonis compellitur eundem liberare. 1231. Eundem nocte aggreſſus calderio expellit. 1233. Ad clementiam impulſus Fratris Prædicatoris oratione omnes remittit iniurias Ricardo. 1233. Fruſtra exit aduerſus eũdem. 1234. Ad bellum fœderatis inferendum Fridericum incendit. 1236. Nomine eiuſdem potitus Patauio & Taruiſio incipit tyrannicè agere. 1227. in Brixianum agrum ducit. 1237. Veronæ tyrannidem inuadit. 1238. Patauij excipit Fridericum. 1239. qui Azonem conciliat illē. 1239. in Marchia aduerſus omnes ſæuire incipit. 1242. item Veronæ Paniei Comitem mactat & Sanbonifacium euertit. 1243. vide etiam de eo. 1244. 1245. 1245. 1246. 1247. 1248. Feltriam & Bellunum inuadit. 1248. eiuſdem in Patauinos crudelitas. 1249. in eoſdem, & in Veronenſes. 1250. 1251. in pueros. 1252. a fratribus Monſilicibus pœne laniatur. 1253. Anſediſio commendato Patauio Veronam abit. 1256. nuncium de amiſſo Patauio afferentem ſuſpendi iuſſit & in Patauinos ſæuit. 1256. fruſtra tētat Patauium. 1256. in Anſediſium ſæuit. 1257 cum Boſone & Pallauicino Brixiam obtinet. 1258. in omnes incolas Canfriani pagi ſine diſcrimine ſæuit. 1249. ab Azone, Pallauicino, & Boſone, tandiu premitur ac vrgetur, ut commiſſo prælio viuus capiatur: nec graui morte homo ſceleratiſſimus tollitur. 1289.

Ignium & ſtellarum ardentium per noctē ſpecies uiſæ. 1252.

Ioannes Columnius Card. expeditionis in Saracenos legatus declaratur. 1216. Ducit in Syriam Cruceſignatos. 1217.

Joannes Brenna quondam Rex Hieruſalem a pontifice rebus Orientalibus implorat auxilium. iungit filiam Iolantam connubio Friderico, cui ius & titulum cedit regni Hieroſolymitani. 1223. Pontificias partes aduerſus Fridericum tuetur. 1228.

Fr. Ioannes Vicetinus ex ordine prædicatorum theologus ſanctitate & doctrina pollens mirifice populos ad pacem concordiamque redigit. 1233. per totum.

Jolanta Ioannis Brennæ regis Hieroſolymorum filia, Friderico ſponſatur. 1223. cui ex Syria aduectæ pontifex coronam regni Hieroſolymitani in Vaticano impoſuit, tum Friderico ipſi copulatur. 1225. mortem obit. 1228.

Iordanes S. Benedicti prior exigitur Patauio ab Icilino. 1237.
Iſabella Henrici regis Angliæ filia, & Friderici vxor. 1235.
Inſti. Hermolaus inſtus Venetus. 1271.
Inſtiniani. Matthæus Inſtinianus prætor Veronæ. 1230.

L

L*Acus Benacus.* 1209.
Lambertacij Bononiæ. Albertns Lambertacius ſeditionem concitat. 1234. *Lãbertacij in ſeditionibus Bononiæ.* 1258. 1267. 1273. 1274. 1274. 1275. & 1280.
Lambertini Bouoniæ. Vido Lambertinus regij prætor. 1211. *Lãbertini in ſeditione Bononiæ.* 1267.
Lampuguani. vide in Archiepiſ. Mediolauenſibns.
Landi. Gnlielmus Lundus exercitus Placẽtini dux. 1212.
Landriani. Lantelmus Landrianns. 1205.
Landulfns Fęnerator Bononiẽſis cuins ędes popnlus diſturbat. 1233.
Lantgranius Turingiæ cum iam traiectionem in Syriam cum cruce ſignatis pararet moritur. 1227. *Henricus Lautgrauius Turingiæ rex Germaniæ deſignatus.* 1245. *vide reliqua in regibus.*
Lauellongi. Fridericus Lauellougus Mediolani prętor. 1231.
Leo S. Crncis Cardinalis pontificis legatus. 1207.
Leonardus Fanentinorum prætor. 1222.
Leopoldus Auſtriæ Dux. 1232.
Libertas ſeruis a populo Bononienſi precio ſolnto, conceſſa. 1256.
Llbertas ciuitatum Italiæ precio redempta a Rodulfo Cęſare. 1286.
Lithoboli tormentum bellicum. 1260.
Littera Pontificnm. 1203.; 1227. 1229. 1257.
Litteræ Conradi Friderici filij. 1251.
Litteræ Fauentinorum. 1256.
Litteræ Friderici regis ad ciuitates Italiæ & alios. 1220. 1225. 1226. 1227. 1227. 1232. 1236. 1236. 1238. 1240 1241. 1243. 1248. 1249. 1249.
Locarnas. S imon Locarnas cnm prælio cæpiſſet Hencium, dimittere tamen coactus fuit. 1245. *plura de eodem habentur.* 1272. 1276. 1277. 1277.
Locnſtæ & grylli immenſa multitudine vineas ſataque populantur. 1232.
Lombardi vide Italici.
Lombardiæ quam miſerabilis facies fuerit, & quam calamitoſus tam in vrbibus oppidiſq; quã in agris ſtatus. 1246.
Lougi. Girardius Longus. 1272.
Lnciui. Iordanns Lncinus Mediolani præfectus. 1259.
Lncius piſcis in uiam eiectus inuſitatę magnitudiuis & candoris. 1237.
Lndouicus Bouonienſis princeps familiariſſ Alberici de Romano. 1260.
Lndouicus Rex Franciæ. 1223. *pontificem excipit.* 1244. & *S. Lndouici corpns allatum ex africa miracula edit.* 1271.
Lugdunum innocentius pontifex ad concilium aduenit, ubi a Ludonico rege benigne excipitur. 1244. *ibi in cõcilium ſententiam aduerſns Fridericũ fert.* 1245. *rurſns Lugduni celebratur concilium.* 1274. *Bonaneutura Cardinalis ex ordine Minorum Lugduni obit.* 1275.
Lugium. Gibellinus Lugienſis procurator Balneocaballenſinm. 1256.
Luna memorabilem defectionem paſſa. 1222. 1284.
Lupi cum vulpis fame rabidi non ſolum per agros pecndes mactant ſed irrumpunt etiam in ſtabula: quin occurſantes & infantes iu domibus laniant parietibns perforantes. 1246.
Lupi. Vido Lupus prætor Parmæ. 1202. *et Hugo Lupus Cremonæ prætor.* 1229.
Lnpicini Regij in ſeditione. 1245.

M

M*Adij. Emanuel Madius Brixianns ius Romæ feneriſſime dicit.* 1256. 1258.
Malataſca in ſeditione Bononiæ. 1244.
Malateſta. Bononienſis populi præfectus Malateſta. 1275. 1275. *Lanciiottus Malateſta.* 1277.
Malauolta Bononię. Hieremias Malauolta currenti equo effuſus interit. 1211. *ipſi Malauoltę.* 1275. *Catellanus Malauolta miles ordinis S. Mariæ.* 1261. 1267.

INDEX.

Maluicia familia. Rogerius Maluicius. 1239. 1239.

Mandelli Mediolani. Vido Mandellus prætor Placentiæ prælio captus. 1200. *Otho Mandellus prætor Arimini.* 1216. *Otho Mandellus.* 1222. 1239. *a Patauinis accerſitus.* 1234. *Mandelli potentiſſima familia Mediolani.* 1282.

Manfredi Fauentiæ, qui & Alberghetti. dicti. 1238. *Simon Manfredus Regio extorris.* 1249. *ipſi Fauentini in ſeditionibus.* 1249. 1255. 1256. 1256. 1256.

Manfredus Mutinę prætor. 1202.

Manfredus filius Friderici ſuſpicionem necis patris tulit. 1250. *item necis conradi fratris.* 1254. *Burellum de Angleno hominem pontifici ualde acceptum occidit.* 1254. *Rex Neapolis coronatur.* 1255. *uide reliqua in Apuliæ regibus.*

Manganum Machina bellica. 1260.

Manzi. Hugo Manzus. 1282.

Marcellini. Ardigettus Marcellinus. 1222. 1224. *Ardicus Marcellinus.* 2231.

Marchiones ſunt iſti. Azo Marchio Ateſtinus. 1202. *Prętor Veronę.* 1206. *Vbi & contra ſeditioſos, & Icilinum Monachum pugnat.* 1207. *Poſtea extorres in dedicionem adigit. Tum Salinguerrã expellit Ferraria.* 1208. *Veronę excipit Othonem regem.* 1209. *Qui conciliat ei Salinguerram.* 1210. *Othonis partes deſerit.* 1210. *Hugonem Vicarium Othonis & Salinguerram deijcit Ferraria, & bellum accendit.* 1211. 1211. *Recuperat in Etruria omnia per Othonem occupata.* 1211. *Excipit Genuæ Fridericum regem* 1212. *Moritur.* 1212.

Aldobrandinus Marchio Ateſtinus aduerſus Salinguerram certat. 1212. *obtinet armis poſſeſſionem Marchiæ anconitanæ.* 1215. *quam eidem Innocentius affirmauit.* 1216. *Veneno interit.* 1216.

Azo nouellus Ateſtinus. 1216. *A Salinguerra exigitur Ferraria.* 1221. *Ferrariam oppugnat contra Salinguerram, & ad pacem adducit.* 1224. *Armis cogit Icilinum dimittere Ricardum Sanbonifacium.* 1231. *Fœderi aduerſus Fridericum iungitur.* 1231. *ad matrimonium cum Adeleide Alberici de Romano filia inducitur Rinaldus eius filius.* 1233. *A Friderico repellitur ab obſidione Ripaltæ.* 1236. *Patauij ei cuſtodia mandatur.* 1236. *& Icilino Patauium adimere tentat.* 1238. *quem illi conciliat Fridericus.* 1239. *cum Friderico eſt, & Rinaldum dat obſidem filium, qui mittitur in Apuliam.* 1239. *& ipſe obſidet cum alijs Ferrariam quam ſolus tenet.* 1240 *eum perſequitur Icilinus.* 1242. *cum quo acriter pugnat.* 1247. *& Icilinus in eius oppida inuadit.* 1249. *Ferrariæ pontificem excipit.* 1251. *Rinaldus filius in Apulia obit relicto Opizone filio.* 1251. *Auctor fuit, ut manibus Icilini Patauium eriperetur, qua in expugnatione & ipſe emicuit.* 1256. *Ateſte & Montagnana ei deduntur.* 1256. *cum Boſone & Palauicino ad prælium protraxit Icilinum, qui captiuus factus eſt.* 1259. *ad Albericum etiam fratrem oppugnandũ exercitum duxit, qui captus & miſere necatus eſt.* 1260.

Opizo nepos Azoni uita functo ſuccedit qui Mutinenſibus adeſt. 1264. *cum Rege Carolo fœdus percutiendum curauit.* 1265. *Intereſt conuentui Lombardico Mediolani.* 1267. *ultro ei Mutina Regiumque ſe dedunt.* 1285. *cui rei conſenſit Rodulfus Cæſar.* 1286.

Carecti Marchiones cum alijs ſe iungunt fœdere pro tutanda eccleſia. 1242. *comitantur pontificem protectionis cauſa.* 1244.

Ceuę Marchiones eodem ſe fœdere ad eccleſiæ defenſionem copulant. 1242.

Marchiones Malaſpinas aliquot Fridericus equeſtri dignitate donat. 1226. *a cuius amicitia deſciſcunt.* 1243.

Bonifacius Montisferrati Marchio excipit Genuę Fridericum regem. 1212. *infeſtatur Mediolanenſium armis.* 1212. *a quibus pacem ſuppliciter poſcere cogitur.* 1215.

Gulielmus Marchio Montisferrati. 1219.

Bonifacius Marchio Montisferrati ſubſcribit fœderi Italico. 1226. *ad partes Friderici redit.* 1227. *Mediolani exilio*

boniſque mulctatur.1228.in Romaniolam Fridericum uocat. 1230.Mediolanenſium armis ad eorum imperata facienda compellitur.1230.A quibus caſtella adhuc plurima ui occupantur. 1231. fœdus pro tuenda eccleſia cum alijs init. 1242. a Friderici ſocietate deſciſcit. 1243. pontificem deducit. 1244. recipitur in amicitiam a Friderico. 1245. Taurinum armis capit, & ſimul amittit. 1247. exercitus Caroli eius ope in Lombardiam venit. 1265. curat ut fœdus renouetur Lombardicum. 1267. de eo etiam 1269. Othoni Vicecomiti adeſt. 1276. adhuc eidem armis fauet: ſed bellum fouet. 1279. cum prodere ſtudet, ut Mediolani imperium ſibi uendicet: ſed detectus propulſatur. 1282. rem aperte armis ſed fruſtra tentat. 1282. 1285.

Hubertus Palauicinus Marchio. 1241. 1246. 1250. Placentiæ dominatum occupat, & amplitudinem ſuam auget moribus etiam Icilino ſimilis. 1250. & 1253. inhiat etiam Parmæ. 1254. cum Boſone & Icilino potitur Brixia, quam cedere tamen Icilino cogitur. 1258. propterea cum Azone atque Boſone inſectans armis Icilinum prælio facto capit. 1259. Mediolani certo ſtatuto ſtipendio militare obit imperium: & Gibertum Corrigium Parma deturbare potuit clarus ipſe quidem multis nominibus ſed ingentibus etiam vitijs pollutus. 1259. Brixiæ dominatum aſtu inuadit. 1261. in ciues ſæuit: quare Parmenſes ei pendere ſtipendium malunt quam in vrbem ſuam admittere. excidit etiam Placentiæ dominatu. 1263. præſidium quoque ipſius Brixia eijcitur. 1265. mala ſua iam proſpiciens aduocat nepotem Friderici Conradinum. 1266. in conuentu Mediolani eius fraudes & inſidiæ deteguntur, & cauentur. 1267. iam ætate confectus in montibus Placentiæ moritur aduerſus eccleſiam adhuc animo pertinaci. 1269.

S. Mariæ pagus, in Mutinenſi agro. 1228.

Maſtalij. Gulielmus Maſtalius. 1211.

Mazaperlinorum factio Regij aduerſaria Scopacciatorum. 1200.

Militum Sanctæ Mariæ glorioſæ ordo nouus auctore Fr. Bartholomæo Vicetino Prędicatorij ordinis, factus ad pacificandas ciuitates. 1233. approbatur a pontifice: nobiles autem aliquot leges aſcripſerant qualis eorum habitus, mos, & inſtitutum. 1261.

Minduli Imolæ in ſeditionibus. 1249. 1263.

Miracula Doliorum ligneorum, quæ ex incendio exuſta ſunt, uinum autem ita ſolidum conſtitit, ut niſi ſecuribus diſſolui nequiuerit. 1216.

SS. Petri & Marcellini Mart. qui uictoriam, peperere Cremonenſibus. 1213.

Chriſtus ſe clauis lanceaque perforatum oſtendit, & atro cruore perfuſum. 1227.

Hoſtia ſacra Vulſinijs tãtum emittit ſanguinis, ut multis linteum guttis imbuerit. 1264.

S. Ludouici regis Francorum corpus dum Regium Parmamque deuehitur, duo inſignia miracula edit. 1271.

Mons Ciniſius. 1265.

Monſilices. Montius & Araldus Monſilices fratres Veronenſes egregium ac forte facinus in Icilinum edunt. 1253.

Monſtrum in apennino natum, gemini pueri corporibus ad umbilicum inter ſe nexi 1234.

Montefortij. Vido Montefortius pontificis legatus. 1283.

Montelongi Gregorius Montelongus legatus põtificis, & Lõbardiæ præfectus multa geſſit, ut patet. 1237. 1239. 1239. 1240. 1242. pręclare in Parmę defenſione. 1246. 1247. 1247. 1248. 1258. 1259. 1273. 1267.

Montia familia Mediolani. Henricus Montia 1237. familia potentiſſima. 1282.

Monticuli Veronæ aduerſarij Sanbonifaciorum, cum quibus ſubinde armis diſceptabant, de quibus eadem uide quæ in comitibus Sanbonifacij recẽſentur. 1206. 1207.

Mora. Iacobus de Mora Apulus prætor a Friderico datus Taruiſii. 1239.

Morbi uarij ſæuiunt in populo. 1277.

INDEX.

Mors acerba & ſæua Anſediſii filij ſororis Icilini. 1257. Profeticæ proditoris Azonis. 1257. Alberici de Romano. 1260.

Motta & credentia Mediolani erant factiones opificum oppoſitæ Nobilitati. 1201.

Mulieres Faentinorum magno eiulatu ad pedes Friderici proſtratæ veniam ſuæ cinitati implorant: ſed incaſſum. 1241.

Mulieres Parmenſes vrbem argenteam B. Virgini Marię dicant. 1247.

Munteri. Gulielmus Munterus. 1204.

Muſſi. Philippus Muſſus prætor Nouariæ. 1272.

N

Nicolaus Epiſcopus Regienſis conciliat Bononienſes & Mutinenſes. 1229.

Nix adulto aprili effuſa tanta cælo, ut ad altitudinem inauditam creuerit. 1269.

Nobilitatis factio Mediolani opponebatur opificum factionibus Mottæ & credentiæ. 1201.

Nox tam denſa incubuit ab hora ſexta uſque ad nonam obſcurato Sole, ut ſtellæ etiam in cælo viſæ ſint. 1239.

Nummi è corio ut expendantur uoluit Fridericus cum pecunia ſignata illi deeſſet. 1241.

O

Octauianus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis. 1204.

Oldouini Cremonę. Lanfrancus Oldouinus a Cremonenſibus ob victoriam eius uirtute partam decoratus. 1213.

Omen. Pica quadam haſta, a qua uexillum Icilini pendebat, inſedit, & ſe capi permiſit. 1248.

Omen colombarum e ſepulchro Sanctorum Petri, & Marcellini Cremonæ. 1213.

Opizoni. Sinibaldus Opizonus prætor Derthonis ſe publice in ęde S. Franciſci ex deuotione cędit. 1260.

Oratio elegans Gregorij Pontificis. 1273.

Ordinis tertij Fratres vide Fratres pænitentiæ.

Ordo Militum, qui S. Marięglorioſę vocati ſunt, a Fr. Bartholomeo Vicetino Prędicatorij ordinis inſtitutus. 1233.

Ordinis F. Minorum initium & mores. 1206. Qui ſtrenue curant, ut ad pacem ciuitates Lombardię conueniāt. 1233. 1234. ecclesiaſticas partes fouent omni opera. 1239. 1243. eorum templum Bononię ſacratur. a pontifice. 1251. Fr. Carellus ingentis ſpiritus uir in exercitu eccleſiaſtico vexillifer. 1256. quidam frater machinarum bellicarum egregius artifex. 1256. paci item ciuitatum dant operam 1257. pacem firmant inter Venetos & Bononienſes. 1273.

Ordinis Prędicatorum Fratres operā egregiam nauant ad ciuitates Lombardię inter ſe componēdas. 1233. 1234. 1244. inter quos pręſtat Ioannes Vicetinus theologus. 1233. eorum templum Bononiæ a pontifice ipſo ſacratur. 1251. pacificationi ſimiliter ſtudent. 1257.

Origoni. Thomas origonus. 1284.

Otho Comes Palatinus Philippum regem Germanię in cubiculo necat. 1208.

Ozeni. Hubertus Ozenus exercitus Mediolanenſis ductor. 1230.

P

Pagani. Petrus paganus Imolę potens. 1263.

Palauicini. Vide in Marchionibus.

Palmerius canonicus S. Auguſtini a Campaneola. 1231.

Pallium auro textum Baſilicę Cremonę a Friderico oblatum. 1212.

Papia. Vido Papia. 1204.

Paſcha in die S. Marci. 1204.

Pax Sancti Ambroſii ea dicta, quæ inita ſolemniter eſt inter factiones Mediolani 1258.

Pax ſcripta. 1216. 1249. inter Venetos & Bononienſes. 1273.

Penuria ex locuſtarum & grandinis uaſtatione. 1233. & ex aſpera, hieme. 1234. uniuerſam Italiam extrema annonę penuria conflictat. 1258. ingenti rei frumentarię inopia laboratur. 1271. tritici inopia magna, fabę &

leguminum copia ſumma. 1282.
Peregrini. Vidottus Peregrinus in Tabulis pactionum. 1249.
Perſici. Gulielmus Perſicus. 1213.
Populi in ſeditione Bononiæ. 1244.
Peſtilentia inter pecudes. 1204. *inter homines.* 1225. 1234. 1259. *varij ſæuiũt in populo morbi.* 1277.
SS. Petri & Pauli apoſtolorum capita prolata in proceſſione a Pontifice. 1259.
Petrus Veronenſis ſcholaris, qui martyr poſtea dictus eſt, habitum a Sancto Dominico ſumit. 1221. *Mediolani coërcet hæreticos.* 1233. *quod dum ſtrenue agit, a ſceleratis vulneribus pluribus conficitur.* 1252. *in SS. Martyrum numerum refertur.* 1253.
SS. Petrus & Marcellinus Mart. victoriã Cremonenſibus parant. 1213.
Petrus Vinea Apulus, cuius opera Fridericus in ſcribendis epiſtolis utebatur. 1239. *de quo vide etiam.* 1239. 1243. 1244. *cum voluiſſet Fridericum tollere ueneno oculis erutis ſemet in carcere necat.* 1249.
Philippus Rex Franciæ ex Africa reuertens Bononiam adijt, Regium, & Parmam; duas ſecum arcas deferebat, quarum in vna erat corpus Sancti Ludouici regis in altera Triſtani fratris. 1271.
Picciolpaſſi. Bartholomæus picciolpaſſus procurator Bononienſium conſtitutus. 1255.
Pigotiorum familia Veronæ interficit Maſtinum Staligerum. 1277.
Pij. Gerardus Pius Mutinenſis eques illuſtris. 1249. *& in pactionum tabulis.* 1249. *Aegidius Pius.* 1266.
Pirouani. Vido Pirouanus prætor Fauentiæ. 1204. *Hubertus Archiepiſcopus Mediolani & Cardinalis Romanus.* 1206. *Othonem ferrea corona ornat.* 1209. *Giufredus prætor Bononiæ.* 1221. *citatur ad aulam Friderici.* 1222.
Podij. Ioannes Podius Taurinas. 1282. 1283.
Pœnitentiæ fratres vide fratres.
Polentani. Vido Polentanus. 1277. *polentani.* 1279.
Pons nauicularum ad Scultemnam. 1247.
Pons nauicularum, in Mutinenſi agro ad Scultemnam. 1237.
Pons Sancti Ambroſii ſuper flumine Mutinenſi. 1249.
Pons Sancti proculi in fauentino agro. 1276.
Pons Nauicularum ad Scultemnam. 1271.
Pons S. Stephani ad Regium. 1249.
Pons S. Ambroſii ad flumen Mutinæ. 1249.
Pontemolinus locus Patauij, ubi arx ab Icilino conſtituta. 1256.
Porta Bertuccia Cremonæ. 1200.
Porta S. Petri Bononiæ. 1276.
Porta S. Iſaiæ Bononiæ. 1274.
Porta Rauennæ Bononiæ. 1276.
Porta Sterię Bononiæ. 1276.
Porta S. Proculi Bononię. 1276.
Porta Comenſis Mediolani. 1245.
Porta Vercellina Mediolani. 1251.
Porta Bernonis. Regij. 1249.
Portæ vrbis Patauinæ ſunt hæ, nominatæ.
Porta Altinas. 1256.
Porta Pontis curui. 1256.
Sancti Ioannis. 1256.
Sauonarolæ. 1256.
Turricellarum. 1256.
Poteſtas & Capitaneus quando in vrbibus inſtituti. 1228.
Pratum Tentionis, apud Mutinam. 1201.
Pratum vallis locus amplus in vrbe Patauij. 1233. 1239.
Prætor Montanus Bononienſium. 1219.
Prendipartij Bononiæ. Iacopinus Prendipartius. 1229. *Prendipartij.* 1249. *Albertus.* 1249. *Comes Prendipartius* 1249. *Iacobus Prendipartius.* 1277. *Guidottinus.* 1281.
Priuilegia ſcripta. 1220. 1237.
Procenarij. Martinus Procenarius. 1204.
Prodigiorum cæleſtium exempla.
Stella crinita uiſa 1222. *mirabilis.* 1264
Stellæ ardentes & ignes per noctem uiſi. 1252.
Luna defectionem memorabilem paſſa. 1222. *maiorem quoque.* 1284.
Grando adeo ſæua ut homines & tecta

domorum

INDEX.

domorum afflixerit. 1234. inuſitata. 1285

Sol ab hora ſexta vſque ad nonam tanta obſcuritate obductus, ut meridies videretur nox, cum ſtellę in cælo apparerent. 1239.

Nix aprili adulto tãta cælo effuſa, vt ad inauditam magnitudinem creuerit. 1269.

Prodigia a terra.

Diluuia. Lege in voce Diluuia.

Terręmotus ingentes. Vide Terręmotus.

Terra altiſſimo mugitu cõcuſſa perſonat. 1222.

Tonitrua vehementia adeo, ut multi homines exanimati prociderint. 1282. III. Kal. Mart. horrenda. 1248. et Nonis Mart. 1285.

Gelu, glacies inaudita. 1211. 1216. 1234. Hiems aſpera lege Hiems.

Tempeſtates ſæuæ. lege tempeſtates.

Varia in Lombardia 1233. & multo formidoloſiora. 1234.

Proditores ſexdecim uiri qui libertatis Patauinæ vindices facti fuerant. 1236. Galuanus lancea. 1244. 1245. Petrus Vinea. 1249. Gerardus & Prophetica. 1257. Gulielmus Sureſinus. 1259. Menſa Germanus. 1260. Princiuallus Siuffa. 1275. Gualandus. 1276. Tibaldus Zambraſius. 1281.

Prouerbium, Regienſium ſubſidium. 1218. Caci Regienſis, & Pottæ Mutinenſis. 1265.

Puſterla. Gulielmus Puſterla Bononiæ prætor. 1203. 1220. familia Mediolani potentiſſima. 1282.

Pruina ſæua adeo aprili menſe cælo manauit, vt vites omnes perdiderit. 1246. menſe maio ex gelida pruina uites omnes adustæ. 1252.

Q

Quirini. Nicolaus Quirinus. 1270.

R

B. R*Aimundus, Placentiæ obit. 1202.*

Ramberti. Hugo Rambertus. 1240. 1240.

Rangoni Mutinæ. Gulielmus Rangonus. 1204. F. Gerardus Rangonus, prætor Mutinæ. 1230. eius præſtantia. 1233. Rangoni. 1245. 1249. Iacopinus Rangonus. 1249. Gerardus Rangonus eximiæ uirtutis uir. 1251. Iacopinus Rangonus. 1264. 1265. 1269. Rangoni. 1284.

Rauli. Vido Raulus. 1238. 1239.

Roberti. Roberti exules Regij. 1245. 1253. 1265.

Rodiliæ Mutinæ. in ſeditione. 1250.

Rodolicus pagus in parmenſi. 1217.

Rodoliſium. Ricardus de Rodoliſco prætor Patauij. 1244.

Rodulfus prætor Bononiæ. 1214. Borgognonus prætor Ferrariæ. 12 6.

Rodulfus Mareſcallus Friderici in terra ſancta. 1240.

Rolandus Gattus miles ſtrenuus. 1237.

Romagia. Gregorius de Romagia legatus pontificius. 1241.

Roſa. Manfredus Roſa prætor Parmæ. 1254.

Roſſii Parmæ. Bernardinus Roſſius prætor Mutinæ. 1213. Bernardus Roſſius pontificis affinis. 1245. 1246. 1247. interficitur. 1248. Stoldus Roſſius prætor Bononiæ. 1281.

Rotomagium. Petrus Archiepiſcopus Rotomagienſis. 1243.

Ruſconi Comi in ſeditionibus. 1258.

Ruſticani. Peregrinus Ruſticanus. 1274. Ardicio Ruſticanus conſul iuſtitiæ. 1203.

S

S*Acramentum conceptum. 1256. Fidelitatis. 1298.*

Sacrum bellum. 1218. 1229.

Sala. Albertus Sala. 1275.

Sala Bononiæ in ſeditione. 1269.

Samaritani. Lambertinus Samaritanus præfectus. 1256. 1256.

Sanbonifacij. vide in comitibus.

Sanctij. Gabriel Sanctius. 1234.

San Martiani homines montani. 1211.

Sanmartini. Conradus San martinus prætor Mutinæ. 1203.

Sanuitales. Hugo Sanuitalis. 1249. 1250.

Saracem in Apulia varie profligantur,

quorum

quorum reliquiæ in Apuliam transferuntur, & Luceria habitanda attribuitur a Friderico. 1221. cum defeciſſent, eoſdem in Sicilia inſequitur Fridericus. 1222. militiam ſub Friderlco exerceut in Italia. 1237. 1239. 1239. 1239. 1241. 1247. inuadunt cordubã in Hiſpania. 1258.

Sardiniæ partem, quę Turrium, & Galluræ nomen tenet, Fridericus occupat. & Hencium filium Sardiniæ regis titulo inſignit. 1239.

Sardiniæ partes Turres, & Galluria. 1237.

Sartor quidã generoſe cauet libertati Parmenſium. 1254.

Sauignani Mutinæ in ſeditione. 1284.

Saxoli Mutinæ in ſeditione. 1284.

Scaligeri. Ciues fuerunt primum Veronenſes poſtea patriæ dominatum adepti. Vide in Verona.

Scannabeccius ciuis Bononienſis præclarus in ſeditione occiditur. 1266.

Scannarola. Ioannes Scannarola accuſatus prætorem occidit. 1247.

Scaramellij. Scaramella Scaramellius. 1277.

Sclauena Foroliuij Suburbium. 1282.

Scopacciatorum factio Regij contraria erat Mazaperliuis. 1200.

Scoti. Rinaldus Scotus prætor Placentiæ. 1263.

Seditiones. vide ſuis locis ciuitatum ipſarum.

Serui qui Bononiæ ſeruiebant liberantur a populo ſoluto precio dominis. 1256.

Seſſii, Regij. Giliolus Seſſius prætor Bononię 1209. Imolæ prætor. 1213. Gerardus Seſſius Epiſcopus Nouarenſis, pontificis legatus. 1211. Archiepiſcopus Mediolanenſis ſubſtituitur. 1211. Vido Seſſius Regienſium caput. 1249. Seſſii. 1245. 1265.

Septara. Henricus Septara Archiepiſcopus Mediolani. 1211. Hubertus Septara. 1263.

Sicardus Epiſcopus Cremonenſis. 1211. 1214.

Siculi coniuratione inita à Carolo defecerunt, ac omnes Gallos ſecundo die reſurrectionis hora veſperarum trucidarunt. 1282.

Sinibaldus Opizonus prætor Derthonæ reuerſus Genuam in æde Sancti Franciſci veſtibus depoſitis frequenter humi procumbens miſericordiam Dei implorat & ſe verberibus cædit. Quam rem & Genuenſes ſummo deuotionis ſtudio ſuſceperunt. 1260.

Sodalitates ſacræ laicorum ad diuinas laudes celebrandas inſtitutę. 1233.

Solemnia verba in publicis rebus inſtituendis apud Bononienſes. 1219.

Spectaculum admodum iucundum ludicræ oppugnationis Taruiſii inſtituta. 1215.

Stacha. Hugo Stacha Legatus Caroli. 1269. 1270.

Stagnini. Hubertinus Stagninus. 1211.

Stella crinita uiſa 1222. Iulio, auguſto, & ſeptembri menſe inſigni magnitudine ſplendens omnes mortales in ſui admirationem adduxit. 1264.

Stellarum ardentium & ignium per noctem ſpecies uiſæ. 1252.

Stollius pirata ſagaciſſimus ſub Hencio friderici filio. 1241.

de Summo. Conradus de Summo Cremonæ. Conſul. 1202.

Sureſini, cum Vicecomitibus Mediolani Nobilitatis tutelam ſuſcipiunt. 1252. Conradus Sureſinus prætor Fauentiæ. 1256. Paulus Sureſinus. 1256. Gulielmus Sureſinus. 1259.

Sutores incendunt Bononiæ prætorium. 1266.

T

TAbernerij. Bartolinus Tabernerius prætor Neapolis. 1254.

Talamatius prætor Fauentinorum. 1218.

Tancredini. Hugolinus Tancredinus in Tabulis pactionum. 1249.

Tancredus Archidiaconus Bononiæ. 1229.

Tanſi. Ioannes Tanſus Bononienſis. 1229.

Taurelli in ſeditione Bononiæ. 1244.

Taurelli Ferrarię, inter quos prædicatur Salinguerra Taurellus Ferrarienſium princeps, qui Veronæ prætor Argentam occupat. 1200. Paci Mutinenſium intereſt. 1202. pactis quoque Ferrarienſium cum Bononienſibus. 1203. Icilinum Mona-

chum

INDEX.

chum adiunat Veronam aggredientem. 1207. Pellitur ab Azone Ateſtino Ferraria. 1208. Per Othonem impǝratorem conciliatnr Azoni. 1210. Rurſns expulſus vrbe pro imperatore ſtans bellum mouet. 1211. Adnerſus Aldobrandinū Ateſtium depngnat. 1212. A Mutinenſibns ad deditionem adigitur. 1213. Ferraria expellit Azonem. 1221. Ab Azone oppugnatur Ferrariæ. 1224. Veronæ ſubſtituitur prætor. 1230. dedita eccleſiaſticis obſidentibus Ferraria, ipſe Venetias ablegatur. 1240.

Tempeſtates fœdæ. 1232. 1276. 1277. 1285.

Teobaldus prætor Patauij. 1239.

Terræmotns inſignes. 1222. 1223. 1249. tam ingens, nt mons Anconæ diffiſus in mare proſilierit. 1269. Camerini tectorum partes duæ procumbnnt: tres montes, inter qnos dno lacns & caſtrum erāt ſiti, conſedernnt, lacus & caſtrum uoragine abſorptum &c. 1279.

Teſta Hēricus teſta Arretinus prætor Parmæ. 1247.

Tettalaſina in Bononiæ ſeditione. 1244.

Teupoli. Iacobus Teupolus dux Venetiarū. 1237. Petrns eius filius prætor Mediolani prælio captiuus fit a Friderico. 1237. & cōſtituto iudicio ſupplicio vltimo afficitur. 1239. Ioānes Theupolus Venetorū militum præfectus. 1240. Hermolaus Teupolus. 1271. Laurentius. Teupolus Dux Venetiarum. 1273.

Thadęus Sneſſanus Friderici legatus (forte idem eſt qui antea dictus eſt Thomas) 1245. 1245. interimitur. 1248.

Theobaldi. Paulns Theobaldus. 1268.

Theſaurus Friderici eiuſque corona a Parmenſibus ablatns. 1248.

Thenpoli. Petrns Theupolus patricius Venet. Tarniſii prætor. 1236. Mediolani prætor in prælio captinus fit a Friderico. 1237. indicio conſtitnto afficitur nltimo ſupplicio. 1239.

Thomas Sueßanns (qui forte ille eſt, qui dicitur alibi Thadæus) Friderici nuncius. 1243. 1244.

Fr. Thomas Aquinas vrbeueti, ſacras litteras docet: & officinm corporis Chriſti condidit. 1264. mortem obit. 1274.

Torelli. Petrus Torellus vicarius prætoris Mntinæ. 1211.

Tornielli Nouariæ. in ſeditione. 1263.

Trabuchæ tormenta bellica. 1260.

Trauerſarij Rauennæ. Paulus Trauerſarius factionis Gnelſæ princeps. 1239. 1240. Tranerſarij. 1277. 1279.

Troia in Sicilia a pontificijs recipitnr, & eiſdem eripitur. 1254.

Turingia populationi data. 1203.

Turriani. Mediolani plebis non tam tutelam quam principatum Turriani ſumpſere contra Nobilitatem. 1232. de quibus plurima in Archiepiſcopis Mediolanenſibus habentur.

Turris Baſacomatræ Bononiæ decutitur. 1225.

V

V*Acaldus in agro Veronenſi locus. 1237.*

Valentini. Rolandus Valentinus ceruienſium procurator. 1248.

Vallis Tari in Parmenſium finibus. 1234.

Valuaſores nobilium ductores Mediolani. 1221. Valuaſorum legio. 1239. Capitanei & Valuaſores exules. 1269.

Vbaldini. Octauianus Vbaldinus Cardinalis legatus pontif. in Germania. 1247. in Lombardia ubi admodum ſe præclare geſſit. 1247. 1247. 1249. 1249. 1249. 1249. 1249. 1252. 2259 1261.

Vbertas rei frumētariȩ & Vinariȩ. 1204. omnium rerum. 1208. fabæ & leguminum. 1282.

Vendraminns præerat arci urbis patauij. 1256.

Ventura prior Fratrum prædicatorum. 1229.

Verberantium religioſum inſtitutum, & ſodalitiū incępit Pernſia ab Eremita quodam ſpectatæ ſanctitatis, & per omnem Italiam mananit. 1260. ſe militię aduerſns Māfredū pro eccleſia adhibēt. 1265

Veſper Sicnlus. vide ſicnli.

Via Aemilia. 1203. 1209. 1237. &c.

Vicecomites. Hubertus Vicecomes prætor Bononię 1204. Odoricns Vicecomes prętor Veronæ. 1207. Hnbertus prætor Bo-

noniæ

noniæ 1216.1239.Vicecomites Mediolani non tam tutelam Nobilitatis quam principatum contra Turrianos ſuſceperũt. 1252. de quibus plura lege in Othone Archiepiſcopo Mediolani, Theobaldus pater Matthæi magni occiditur. 1276.Matthæi Magni initium dominationis. 1284.qui Vicarius imperij perpetuus in tota ditione Mediolani a Cęſare conſtituitur.1286.

Vicedomini. Balduinus Vicedominus prætor Mutinæ. 1213. Philippus Vicedominus Genuę prætor. 1244.qui cum Mõtelongo legato pontif. Victoriam capit & crçmat.1248.

Victarini vel Viſtarini. Succius Victarinus 1251.1269.1270.1278.

Viglus Montaneæ quidam princeps erat.cuius miniſtri per terras errabundi tyrannos inſidijs appetere dicebantur: horum quidam quod Icilinum uoluerit occidere, viuus eſt concrematus.1253.

Vltani Comi in ſeditionibus. 1258.

Vrſini Romani. Ioannes Vrſinus Card. fit pontifex qui Nicolaus IIII dictus eſt. 1278. Fr. Latinus ſororis eius filius legatus in Etruria Romaniola & Lombardia.1278.1279.Bertoldus Vrſinus huius frater Comes Romandiolæ declaratus præclare egit. 1278.& deinceps.

Z

Zamboni. Hugolinus Zambonus. 1275.

Zambraſii.Tibaldus Zambraſius Fauentinus.1281.moritur.1282.

Zenecalli.Otho Zenecallus præfectus Mantuæ.1274.

Zeni.Rinerius Zenus Veronę prętor. 1229 Andreas Zenus.1271.

MONVMENTA Scriptorum, vnde hæc Hiſtoria deſumpta eſt, quæ quandoque citantur.

Acta publica ciuitatum.

Chronica Priuatorum.

Litteræ Põtificũ ut 1223.1239. & alibi.

Albertus Crantzius Germanus ſcriptor. 1218.1286.

Blondus.1286.

Ioannes Cuſpinianus.1286.

Ioannes Trittemius.1286.

Ioannes Villanus florentinus.1260.1261 1262.&c.

Matthæus Pariſius. 1206.1239.1241. 1243.1244.1245.1249.&c.

Salimbenus.1259.1261.1282.&c.

Sicardus Epiſcopus Cremonenſis. 1214.

FINIS.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE REGNO ITALIAE

Liber Quintus Decimus continuat.

ANNO inde milleſimo ducenteſimo Philippo aduerſus Othonem Alſatiam peruaſtante, atque ipſo, vt dixi, Italiæ regno vacante, varios inter ſe tumultus ipſi Lombardiæ populi miſcuerê. Quippe Mediolanenſes, ac Brixiani irruptionem in agrum Cremonenſem fecerunt, &, Caſtronouo ad Os Abduę inflammato, Soncinum obſidione circundederunt. Quibus Cremonenſes cum Bergomatibus obuiam exeuntes ad Zeneuoltam multa cum eis, ſed leuia, prœlia ediderunt. Papienſes autem vt iuuentutem Mediolanenſium longe domo viderunt abeſſe, occaſione vſi Mediolanum inſtructo agmine prouolarunt, atque acre cum eis, qui vrbem cuſtodiebant (hi Comenſes erant) prælium commiſerunt, octingentisq; eorum captis quamplurimos occiderunt. Quo nuncio accepto Mediolanenſes Soncini obſidione relicta repente ad vrbem ſuam tutandam ſe recepêre. Eadem ratione Placentini, vt Cremonenſes bello Brixiano implicitos cognouerunt, Turrim S. Andreæ, quam Cremonenſes ſuis in finibus obtinebant, adorti ſunt. Verum ſuperuenientibus repente Cremonenſibus, acie per ſex horas dimicare coacti, demum in fugam ſe coniecerunt, ac Vidonem Mandellum prætorem cum alijs ſexaginta in poteſtate hoſtium reliquerunt. Quibus victorijs Cremonenſes elati inde in fines Brixianos ſe intulerunt, atque VIII Kal. Octobris magno cum ijs prælio conflixerunt: quo multis vtrinque deſideratis captiuos triginta ſeptem hoſtium effecerunt. Mediolanenſes autem, vt cladem à Papienſibus acceptam referrent, in agrum 1200

item eorum induxerunt exercitum, ac Turrim Beſatam aggreſsi vna cum quingentis, qui in cuſtodia eius erant, redegerunt in poteſtatem. Inde in Laumellinam tranſgreſsi Mortariam cum multis alijs oppidis occuparunt, ac ſolo ęquarunt. Quorum exemplo permoti Parmenſes ineunte inde Octobri, recenti violata pace, caſtra Placentinorum, Arquatum, & Sanctum Laurentium inuasêre. verùm, auxilio Placentinorum citato agmine aduolante, ad manum conſerendam impulſi ex ſuis plurimos amisêre, quorum alij capti, occiſi alij ſunt. Placentini vero poſtquam Cremonenſes Parmenſium ſubſidio properare ſenſerunt, alio ad eos fallendos itinere inſtituto VI. Kal. Nouembris Padum ſubito traiecerunt, ac Cremonam imparatam adorti portam Bertucciam occuparunt. Qua rę comperta Cremonenſes domum ſtatim repetierunt, ac portam expulſis inde hoſtibus receperunt, atque eos abeuntes inſequuti mille ducentos ceperunt, ac captiuos Parmenſium liberarunt. Quæ dum aguntur, Mediolanenſes cum Brixianis, irruptione ex altera partę facta, caſtrum Oſcaſalis eis ademerunt, ademptumq; deleuerunt. inde in Bergomatem illati, atque ad vrbem vſque populando progreſsi, Bulgarum, Calcinatum, ac Collonium ſubuerterunt. Quo facto pax inde tractata haud ęgrę conuenit ea conditione, vt fines ab Henrico Imperatore quondam poſiti ſeruarentur. Quorum exemplo adducti Laudenſes Melegnano, & alijs quibuſdam caſtellis ad Lambrum amnem remiſsis, pacem à Mediolanenſibus impetrarunt. Hæc ferme trans Padum. Ex Ciſpadanis autem Salinguerra Taurellus Ferrarienſium princeps, cum præturam Veronę eſſet adeptus, ſtatim animum ad Argentam, de qua antea quoque armis diſceptatum fuerat, Rauennatibus adimendam adiecit. Quare promptis Veronenſium, & Mutinenſium copijs ad Ferrarienſes adiunctis eo progreſſus facile, victo præſidio, oppidum occupauit: ac mox Rauennates aliquot incaute ſuorum ſubſidio accurrentes inſidijs in itinere collocatis excepit, ac cathenis vinctos Ferrariam abduxit, qui in cuſtodiam coniecti ibi poſtea miſere perierunt. Bononienſes autem Medicina, & Argellata receptis, ab ipſa quaſi rerum ſerie tracti inde agrum Imolenſem Cæſareum inuaſerunt. Eius rei hæc occaſio data. Albertus Araldus, homo montanus, haud modica hominum facinoroſorum manu contracta, furto Saxatellum occupauerat. Tantam bene

geren-

gerendæ rei occaſionem non dimittendam arbitratum Conſilium prętorem eò cum delecto militum robore miſit. Albertus, quòd ſe Bononienſi imparem eſſe videret, repente ad ipſum prętoris aduentum cum ſuis in ſpeluncam eius montis quandam refugit. id ubi ſenſit prætor, ad ſpecum, quamuis difficili ad modum acceſſu, perrexit, ac ſtatim ſtramentis accenſis in os eius iniectis Albertum, & ſocios, fumo ſpiritus viam intercludente, adduxit in poteſtatē. Albertus pede ad arborem ſuſpenſus, ac graui lapide ad collum alligato miſere uitam finiuit. Saxatellū, ne quando aliâs ſimilium hominum receptaculum eſſet, iniecto igne cōbuſtū. Inde ea occaſione ad reliqua oppida Cæſarei iuris arma tranſlata, eaq; haud magno certamine ditioni Bononienſi adiuncta. Caſtrum S. Petri aduerſus latrocinia in dies ſæuientia conditum. Foroliuienſes item Ceruiam vrbem aggreſſi præſidium Rauennatium eiecerunt, oppidoque potiti ſunt. Fauentini vero caſtro Coſma demum abſoluto exercitum aduerſus Foroliuienſes duxerunt. Mutinenſes autem bellum a Regienſibus, quod ſequenti anno erupit, extimeſcentes caſtrum cis amnem Siclæ aduerſus Herberiam in ulteriore ripa ſitam oppoſuerunt, idq; Marzaliam appellarunt; dum Regienſes inteſtina duarum factionum ſeditione conflictabantur, quas Scopacciatorum, & Mazaperlinorum nomine appellabant. Romani Viterbienſes imperium Eccleſiæ detrectantes adorti ad deditionem compulere, atque eorum opes cum hominibus ad vrbem in modum triumphi veteris reuexêre. Sequenti anno, Philippo Argentoratum obſidente, atq; Othonē 1201
varijs præliorum certaminibus fatigante, Mediolanenſes, tribus prætoribus ex tribus factionibus Nobilitate, Motta, & Credentia, hi erant opifices, inſtitutis, exercitu Placentinorum accio, in Laumellinam iterum irruperūt, ac ponte è regione Viglebani ſuper Ticium amnem conſtructo Viglebanum aſſidua oppugnatione premere menſe Iulio contenderunt. Qua re cognita Papiēſes, vt pontis conſtructionem impedirent, celeriter accurrerunt. uerū prӕlio VII. Kal. Auguſti commiſſo adeo male pugnarunt, vt ex ſuis mille ducentos amiſerint. Ita Mediolanenſes oppugnatione redintegrata Viglebanum iuris, poteſtatiſq; ſuæ fecerūt. Quibus detrimentis Papiēſes impulſi proximo Auguſto oratores Mediolanum de pace miſerunt, qui, cum eam ęquis conditionibus impetraſſent, apud Philippum archiepiſcopum ſolemnia ſacramenta

dixerunt. Parmenſes autem Burgum S.Domnini, quod Placentinis paullo ante conceſſerāt, iterum promotis copijs inuaſerunt: Placentinis autem adeſſe Brixiani ſummopere cupientes, ſuborta in ciuitate ſeditione, officium præſtare non potuerunt, quæ animis ex ſtudiorum diuerſitate utrinque accenſis eò erupit, ut, atroci prælio in vrbe commiſſo, pars inferior exire coacta ſit. quæ Rotingo occupato, ac Cremonenſium auxilio accerſito, menſe Decembri ad oppidum Gauardum oppugnandum acceſsit, verum ab ijs, qui in vrbe remanſerant, impetu repentino oppreſſa propoſito excidit. Rotingū, Caprianum, & Monſrotundus, quòd cum extorribus ſenſerant, ſunt exciſa. Eodem anno nouum bellum inter Mutinenſes, & Regienſes eſt excitatum. Amnis eſt Sicla media inter Mutinam, ac Regium via à Plinio Gabellini nomine appellatus, cuius integrum ius ſe Mutinenſes habere, Henrici tertij conceſsione profitebantur. Itaq;, cum Regienſes emiſſarium ex eo ad rei naualis uſum deriuare pararent, ei rei impedimento ſe priore anno futuros oſtenderant, atq; ea de re ad amnē ipſum Marzaliam caſtrum ad conatus eorum coercendos extruere cœperant. Id ægre Regienſes paſsi quod iure non poterant, armis ſibi parandum, exiſtimarunt; &, quòd in ſe haud ſatis viriū eſſe ad rem tantam ex ſententia conficiendam viderent, auctore Bualello ciue Bononienſi, prætore ſuo, à Bononienſibus auxilium poſtularunt. Grata omnibus ea occaſio fuit, qua Regienſes aliquo ſibi beneficio aduerſus Mutinenſes obſtringerēt. Ea de cauſſa auxilia peditum, equitumque ſumma omnium voluntate ſummiſſa. Septembri menſe apud Formiginem acriter ab vtraq; parte concurſum, varieq; pugnatum. Mutinenſes demū multitudine hoſtium ſuperante in fugam acti, atq; vſq; ad pratum Tentionis non longe ab vrbe compulſi, multis amiſsis, in primiſq; prætore ipſo Alberto Lendenario capto. Fauētini item à Foroliuienſibus afflictati auxilium Bononienſium poſtularunt, ac prælio commiſſo non ſolum in fugam eos egerunt, ſed etiam Caſtaneolum oppidum VI. Idus octobris ereptum incendio deleuerunt. Eodem anno Innocentius pontifex Romę Hoſpitali S.Spiritus excitato, ac magnis facultatibus aucto, ordinem Hoſpitalariorum S.Spiri-
1202 tus inſtituit; poſtero verò, ut Germanos à Philippi partibus ad Othonis auerteret, Othonem regem rite creatum pronunciauit, atque in exitu Iunij Vidonem epiſcopum Præneſtinum legatum

Colo-

Coloniā miſit,vt,Othone rege declarato,Philippū cū fautoribus eius, tanquā iniuſte bona Eccleſię obtinentem,cōmunione abigeret,atq; omnibus,vt ſe ab eo,tanquā aperto Eccleſiæ hoſte,ſeiungerent,Othoni vero,tanquam regi legitimo aggregarent,iniunxit;præcipue autem Colonienſes vinculo fidei Philippo datę abſoluit. Quibus rebus Philippus accenſus Etruriam, quam tenebat,maioribus contra eum pręſidijs communiuit.Otho uer o rex Germaniæ à legato pontificio confirmatus, conuentu principum ſuorum habito,bellum contra Philippum decreuit. Eo anno Mediolani res trium factionum conſenſu ad vnum arbitrum Saccum ſaccium Laudenſem delata:qui conſules reſtituit, ac Papienſes nouo ſacramēto adegit. Iidem carrocium aduerſus Bergomates aſſumptis Papienſibus eduxerunt.Mutinenſes pulſos ſe à Regienſibus,ac Bononienſibus indigne ferentes Ferrarienſes, ac Veronenſes cum carrocijs in ſui auxilium aduocarunt,ac menſe Iunio infeſtis ſignis ad caſtrum Herberię in vlteriore Siclæ ripa è regione Marzaliæ ſitum contenderunt,&,quanquam Regienſibus, ac Bononienſibus egregie defendentibus, agrum vniuerſum hoſtili direptione vaſtarunt, atq;oppidum manganis admotis magna ui oppugnarunt,ac ſine dubio in poteſtatem adduxiſſent, niſi eodem menſe Vido Lupus prætor Parmæ, ac Conradus de Summo conſul Cremonæ delecti vtrinque arbitri rem compoſuiſſent. In exitu Iunij in caſtro Marzaliæ, Azone marchione,Salinguera, & Huberto Ferrariæ prętore præſentibus,Manfredus Mutinæ prætor nomine Communis ſui iurauit,ſe præceptis Conradi conſulis Cremonę,& Vidonis prætoris Parmæ ſtaturum,quæ illi ſuper diſcordijs cum Regienſibus initis edidiſſent.Tum illi arbitrium de pace concilianda pronunciarunt: Quo audito prætores Mutinæ, & Regij oſculo interpoſito in gratiam redierunt. Tum decretū eſt,vt vſus aquæ Siclę æque Mutinēſibus,Regienſibuſq; pateret. Pridie Kal.Ianuarias Mantuani iurarunt,ſe Mutinenſibus auxilio contra omnes,præterquam Regienſes, futuros, & ſalem ab eis, quouſque Padi nauigatio aperiretur,ſumpturos,atq; eodem contra ſe ſacramento Mutinenſes Mantuanis obligauerunt. Hoc primum anno Florentini à conſulibus ad prętorem peregrinum,aliarum ciuitatum exemplo, remp. traduxere. Dominicus Calarogenſis,quem ordinis Prædicatorij auctorem fuiſſe diximus, cum Didaco epiſcopo Oxonienſi Toloſam aduerſus Albigenſes, qui

prouinciam illam hæreſis veneno inficiebant, acceſsit. atque ibi uſque ad annum M C C X V operam egregiam ei rei nauauit. Eodem anno B. Raimundus Placentiæ obijt, qui ut uiuens hoſpitalitatis laude clarueràt, ſic mortuus miraculorum magnitudine fulſit. Proximo, dum Philippus fœde Turingiam populatur, legatus pontificius in feſto S. Bartholomęi Othonem regem Germaniæ coronauit, pontifex vero litteris his X V I I. Kal. Ianuarias Anagnia ſcriptis ad cauſſam tuendam accendit: *Sanè præter opinionem plurium, & multorum conſilia ſuſcepimus ab initio cauſſam tuam, de cuius promotione omnes pene penitus deſperabant, & ſtuduimus efficaciter promouere, nec te in articulo illo reliquimus, quo per obitum Ricardi regis Anglorum auunculi tui videbaris ab omnibus derelictus. licet enim, non defuerint, qui multipliciter nos tentarent, vt muneribus, & promiſſis nos à propoſito tui fauoris auocarent, nec prece tamen, nec precio, nec minis, nec alijs rebus potuerunt inflectere mentem noſtram, quin de die in diem amplius in tua dilectione ferueret, & ad tuam exaltationem propenſius aſpiraret, Cum igitur Dominus dirigat greſſus tuos, & firmet de die in diem amplius Regnum tuum, monemus Serenitatem regiam, & exhortamur in Domino, quatenus, cum tempus iam acceperis opportunum, opportune, ac importune, vigilanter, & inceſſanter inſiſtas, vt bonum principium finis optimus ſubſequatur, & optatum commune deſiderium noſtrum ſortiatur effectum. Foueas in dilectione, & deuotione tua principes, qui te fouent, vt alios melius ad tuæ Serenitatis fauorem inducas, & dum fauor tibi arridet, ad tuæ promotionis prouectionem intendas, nec negligas in aliquo factum tuum, ſed omni diligentia ſtudeas promouere.* Hoc anno Mediolanenſes, & Placentini rurſus coniunctis copijs in fines Cremonenſium irruperunt, ac, Soncini agro vaſtato, neque oppido ipſo tentato, domum ſe receperunt. Quo facto inde pax inter illas ciuitates captiuis vtrinq; reddendis eſt ſubſequuta. Brixię vero quidam, ut ciuibus eiectis adiumentum afferrent, contracta ex Bergomo, Cremona, & Mantua firma militũ manu, obſidionem Calcinato Brixiano oppidulo admouerunt, ac mox audito Veronenſium contra ſe aduentu, incęptũ reliquerunt. Inde Veronenſes, cũ vſq; ad Pocelengũ veniſſent, magno pręlio vſq; ad veſperam cõtenderunt. Demũ pace per legatos Bononienſiũ cõfirmata ab armis diſceſſum. Mantuani quoq; Cremonẽſibus adiuuãtibus cõtra Veronenſes profecti, cũ ęquo marte pugnaſſent, pacẽ

inde

inde compoſuerunt. Bononiẽſes ſedatis inteſtinis diſcordijs, aut certe in pręſens ſopitis priſtinas reuocare cogitationes, cauſſamque belli quęrere cum vicinis cœperũt, haud dubiã ſpẽ gerentes, fore, vt quoſcũq; armis appeterẽt, eos leui momẽto pro rerũ pręſentiũ opulentia, atq; ipſius interregni diuturnitate, ſubigerent. Primũ Ferrariẽſibus de finibus agri, prędiſq; abactis lis eſt intenta. verũ ſtatim ſine armis, noua interueniẽte pactione ſublata. Gulielmus Puſterla prętor cũ Salinguerra Taurello tũ prętore congreſſus, Azone iuriſcõſulto adhibito, nouũ fœdus pcuſsit, in quo de ſeruandis vtrinq; hominibus, damnis reſarciendis, prędis reſtituẽdis, & agri vtriuſq; terminis cauit. Ea re tranſacta rerum quaſi ordine quodã adductis Mutinenſes placuit adoriri. Itaq; Gulielmus prætor ex Conſilij ſententia pagos quoſdam cis Scultemnã infra, ſupraq; viam Aemiliam ſitos à Conrado prætore Mutinenſi repetijt. Mutinenſes hac re audita, haud ſatis mirari, cur nunc demum, quę tam longo eſſent à ſe vſu poſſeſſa, repeterentur: nimirum id eſſe dicere, ciuitatem Bononienſem nimia rerum proſperitate iam laſciuire, neque domi, neque foris quieſcere poſſe. Henrico mortuo, & Marcoaldo in lateribus hęrente ſublato, elatos creſcere ex vicinorum incommodo cogitaſſe. Imolenſi agro Cęſare ſpoliato certamina opportune cum Ferrarienſibus commiſiſſe, quę vbi ex voluntate non ſucceſſerunt, omnem in ſe libidinem conuertiſſe: agrum eos trans Scultemnam flagitare potius, quàm repetere, bellumq;, ni concedatur, minari, ſe ea ſententia eſſe, vt ne glebam quidem, niſi armis coacti, ſint permiſſuri. Hoc reſponſo relato, nemo omnium è Conſilio fuit, quin agrum bello repetendum eſſe cenſuerit. Vt autem quam maxima fieri poſſet, ope bellum gereretur, placuit legatos ad ſolicitandos vicinarum ciuitatum animos mittere, ſimulq; caſtrum in finibus agri ad impreſsiones in agrum Mutinenſium faciendas conſtruere: legati quatuor cum mandatis ciuitatis Regium acceſſerunt, atq; in Conſilio Credentię à prętore Iſacio Douaria dato Regiẽſes rogarunt, vt, quod ipſi paullo ante contra Mutinenſes ad ius parandum à ſe auxilium accepiſſent, id nunc ſibi ad ſuum recuperandum afferrent. Haud multis ſecum agi Regienſes paſsi ſe pręſto eſſe ad omnia eorum mandata dixêre. Itaque extemplo fœdus in hęc verba conſcriptum: *Si Bononienſes bellum intulerint Mutinenſibus ante Carniſpriuium, ſiue iuſſu, ſiue iniuſſu*

Regienſium, Regienſes bellum ſuſcipiant cum Mutinenſibus,idq; omni ope ſua gerant poſt quindecim dies, quàm per litteras, aut per legatos admoniti fuerint,neque pacem,aut indutias faciant iniuſſu prætoris Bononienſis, aut conſulum,qui pro tempore fuerint.Sin autem poſt Carnispriuium arma intulerint, Regienſes non teneantur. Quòd ſi Mutinenſes bellum priores intulerint,Regienſes vtique teneantur. Et, ſi dubium eſſet, vtri priores bellum intuliſſent,ſtetur iureiurando prætoris,aut conſulum,qui pro tempore fuerint, aut duodecim hominum, qui ex Conſilio Bononienſium à Regienſibus eligantur. Quòd ſi cum alijs bellum gerent cauſſa Mutinenſium, Regienſes non teneantur.Maneat autem hæc ſocietas vſque ad annos decem, & quinto renouetur. Erant duæ illo tempore ciuitates maxime Mutinenſium commodis ſeruientes, Parma, atque Cremona. Has igitur aut ſibi adiungere, aut à Mutinenſium ſocietate auertere legati ex Conſilij mandato volentes eò ire conſtituerunt, & quò res maiorem auctoritatem haberet,ſecum prætorem quoque,& legatos Regienſium adduxerunt, ac tertio Idus Iunias Parmam profecti Conſilium Credentiæ à prætore vtriuſque ciuitatis nomine poſtularunt. Prætor erat Matthæus Corrigius.is Conſilium ſubito conuocauit.In eo primum legati Bononienſes,deinde Regienſes verba fecere: omnium vna fuit petitio, vt Parmenſes ſibi in bello aduerſus Mutinenſes adeſſent, aut ne eos aduerſus ſe adiuuarent.Quibus auditis ex Conſilij ſententia reſpondit prætor, ſe ſocietate cum Mutinenſibus vetere iunctos eſſe, neque pro iure ſocietatis facere poſſe, quin eos aduerſus omnium, qui oppugnare velint, arma, defendant. Inde Cremonam progreſsi eadem in Conſilio Credentiæ poſtularunt: pro Othone prætore Talamatius iudex eius reſpondit, dolere ſe magnopere, quòd tanta inter duas finitimas ciuitates diſcordia exarſiſſet, ſeque paratos eſſe, operam dare, ut res inter eos,remotis armis, conueniat. Quod ſi efficere non potuerint, ſe conſilij id capturos, quod honeſtiſsimum iudicarint. Hęc cum reſponſa legati domum rettuliſſent, eò intentius domeſticis copijs bellum parandum eſſe, viſum eſt, quò maioribus ſociorum opibus id excepturi eſſe Mutinenſes videbantur. Interea Parmenſes, & Cremonenſes prætores ſuos rei componendæ cauſſa Bononiam deſtinarunt. Matthæus, & Otho, legatis Mutinenſibus ſecum aſſumptis, profecti. Ibi XVIII. Kal. Iulias in Conſilio Credentię re vtrinque agitata, Otho Mutinenſes eſt percontatus, num

contro-

controuerſiam ſuam Gulielmi prætoris arbitrio permittere vellent? quibus abnuentibus exequutus inde eſt, num religioſorum hominum ſtare decreto vellent? Quod cum pariter recuſaſſent, re infecta abierunt. Ea de cauſſa ineunte Iulio Gulielmus prętor ex Conſilij ſententia Ardicionem Ruſticanum, & Bonacurſium Alberum, conſules iuſtitię, Regium miſit, atq; eos in Generali Conſilio, quę inter ſe conuenerant, prætori, & Communi Bononiæ rata fore, iurare iuſſit. Mutinenſes bellico apparatu in ſe Bononienſium cognito, hoc anno fines ſuos diligenter per Conradum Sanmartinum prætorem ſuum cuſtodierunt aduerſus eos, qui caſtrum Plumatium in finibus conſtruxerunt, ac maiore conatu ſe in proximum ad impreſſionem eorum excipiendam pararunt, & Nonantulanos magnis ad ſe conditionibus ab amicitia Bononienſium reuocarunt. Sequens annus maxima rei frumentarię, ac 1204
vinarię ubertate, verùm graui ſęuiente inter pecudes peſtilentia, fuit inſignis, quo eodem dies Paſchæ in feſtum S.Marci, exemplo inter Chriſtianos rariſsimo, inciderunt. Et hoc anno Brixiæ tumultuatum: nam exules in urbem recepti, homines audaces, & inquieti, cum ſe honeſte in ciuitate verſari non poſſe putarent, in aduerſarios arma ſumpſerunt, ac fœda pugna in foro edita, nobiles centum amplius cæciderunt. Quare iterum vrbe depulſi noua ſibi quærere conſilia, ſubſidiaq; compulſi ſunt. Mutinenſes autem, & Bononienſes, dum idoneum deſtinati belli aggrediendi tempus expectant, repente ab armis, nec opinātibus omnibus, receſſere. Alij Alberti Mantuani eremitæ facunda ſimul, ac pia oratione ad concordiam redactos, alij Octauiani Cardinalis epiſcopi Oſtienſis, pontificij tūc in Lōbardia legati, auctoritate rē compoſitam tradunt. In Actis utriuſque ciuitatis rem per compromiſſum tranſactam extat in hunc modum. Septimo Idus Ianuarias Bononiæ frequenti in concione Aimericus Dodonus prætor Mutinæ compromiſſum fecit in Hubertum Vicecomitem prętorem Bononiæ de omni lite, quæ per Gulielmum Puſterlam prætorem Mutinenſibus fuerat intentata, ac de ſacramentis inter has ciuitates concipiendis ſpondens, ſe ſtaturum eo, quod Hubertus decreuiſſet. Mutinenſium legati cum prætore ſuo Aimerico erant in ea concione Gulielmus Rangonus, Guidottus Adelardus, Martinus Procenarius, Vido Papia, & Gulielmus Munterus. Quę iſti Bononiæ tranſegerunt, ea poſt ipſum domi

Conſilium comprobauit. Hubertus re ad rationem reuocata fines agri Bononienſis, & Mutinenſis ad aquam Mutiam protulit, ac V II. Idus Maij pronunciauit. Eo decreto ſtetêre Mutinenſes, quanquam iniuſte multis ſe pagis fraudatos à prætore Bononienſi uulgo frementes. Rebus Mutinenſiũ ex ſententia ſine ulla belli calamitate compoſitis, omnis inde in Piſtorienſes belli moles c onuerſa. Neque vero armorum deerant cauſſæ, quippe aſsiduæ finium controuerſiæ, prędæq; utrinque abactæ. ob eam rem Conſilio placuit, cum Florentinis aduerſus eos ſocietatem inire. Iuncta eſt autem his cõditionibus, ut utriq; alterius homines, reſque ſeruarent, & ad alterius arbitrium aduerſus Piſtorienſes excurſiones equeſtres in decennium facerent, neq; iniuſſu alterius pacem, aut indutias eis darẽt. Bononienſes Bargam, Sambucam, & ſtagnum ex ditione Piſtorienſium excepêre, quibus ſe parcere integro poſſe fœdere voluêre. X V. Kal. Decembris cum Fauentinis fœdus in eaſdem, quibus ante, conditiones Vidone Pirouano, prætore Fauentino, probante inſtauratum. Quietę inde cum Piſtorienſibus quoque, quæcunque cauſſa fuerit, res fuêre. Mutinenſes item arma primum Friniatibus intulêre. Hęc regio eſt mõtana, ſic à Friniatibus quondam Liguribus, quorum ſępe meminit Liuius, appellata, quę in dięceſi poſita parem cum ciuitate libertatẽ agebat. atq; exercitu in Padullum inducto pagum Candiani combuſſêre, licet Parmenſes cũ carrocio ad ferendum eis auxiliũ accurriſſent. Philippus demum, ut ſua aduerſus Othonem iura vehementius confirmaret, Adolfum Colonienſem archiepiſcopum, qui Othonẽ à principio coronauerat, vt ſe quoq; ijſdẽ inſignibus
1205 exornaret, induxit. Quod vt Innocentius comperit, legato ſuo, ut Adolfo dignitatem abrogaret, mandauit. atq; ita ſequenti anno legatus, Adolfo abdicato, Brunonẽ Bonnenſis eccleſię prępoſitũ ſubrogauit. Qua re Philippus exacerbatus Septẽbri menſe Coloniã obſidione circũſtetit, agrũq; eius vaſtare contendit. Eo anno Mediolani Nobilitas in gratiam cum Credentia redijt, atque ex auctoritate Lantelmi Lãdriani, lecti ab utraq; parte arbitri, deintegro rẽ ad conſules rettulit. Brixiæ Albertus Caſalaltus, cũ vrbẽ ciuili turbare tumultu ſtuderet, à ciuibus vrbe deiectus Lenũ oppidum cepit. inde Cremonenſium opportunis auxilijs nixus Ponteuicum occupauit. verùm Brixiani cum prompta militum manu aduenientes vniuerſos ſilentio noctis temere ſomnum ſine

excubijs capientes nacti ipſum nullo labore recuperarunt. exules autem Leno retento reliqua caſtella ciuitati parentia peruagati omnia rapinis, atque incendijs afflixerunt. Eodem anno Cremæ oppidum pene totum igne conſumptum. Principes Friniatium, quos illi Capitaneos vocabant, infeſtis Mutinenſium armis exterriti deditione facta iurarunt, ſe præceptis Salinguerræ prætoris, atque ipſius Communis Mutinę parituros; atque idem paullo poſt etiam Gualandelli fecerunt, qui inter eos opibus, ac 1206
nobilitate prętabant. Poſtero Philippus item obſidione Coloniam afflictauit, atq; Othonem pręlio ſecum congreſſum in fugam conuertit. Mediolani Philippo Lampugnano archiepiſcopo vita functo ſuffectus eſt Hubertus Pirouanus, ſecundus Eccleſiæ ordinarius, atque idem Cardinalis Romanus. Mutinenſes, & Mantuani fœdus inter ſe contra Regienſes fecerunt. Franciſcus Aſiſias, is qui poſtea Diuorum in numerum eſt relatus, ſodalibus, quos ſibi aſciuerat, ac Fratres Minores appellarat, leges vitæ aſperrimas dedit. quas deinde Innocentius pontifex tanquam paupertati apoſtolicæ congruentes probauit. De quibus ſic Matthęus Pariſius ſcripſit, eorum temporum prope ęqualis: *Sub his diebus Fratres Minores, fauente papa Innocentio, ſubito emergentes terram repleuerunt, habitantes in vrbibus, & ciuitatibus deni, & ſepteni, nihil omnino poſſidentes, de Euangelio uiuentes, in victu, & veſtitu paupertatem nimiam præferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt. Diebus autem Dominicis, & feſtiuis de ſuis habitaculis exeuntes, prædicauerunt in eccleſiis parochialibus Euangelium verbi edentes, & bibentes, quæ apud illos erant, quibus officium prædicationis impendebant. Qui in rerum cœleſtium contemplatione tanto perſpicaciores ſunt inuenti, quanto à rebus præſentis ſeculi, & carnalibus delicijs comprobantur alieni. Nullum genus alimenti penes eos vſque in craſtinum reſeruatur, vt paupertas ſpiritus, qui viget in mente, actu ſicut & habitu omnibus innoteſcat.* Veronæ ciuili tumultu vehementiſsime laboratum. Bonifacius enim Sanbonifacij Comes, Sauri filius, prælium cum aduerſa Monticulorum factione commiſit, atque eo ſuperior repente ad domos eorum inflammandas acceſsit. Qua re ciuitas mota Azonem marchionem Ateſtinum ad præturam gerendam acciuit. Proximo, Germani diu- 1207
turno duorum regum bello defeſsi, oratoribus Romam miſsis, quorum princeps erat Volcherus patriarcha Aquileienſis, Inno-

centium orarunt, vt auctoritatem ſuam conferre ad conciliandam inter eos concordiam vellet. Quibus ille obſequutus confeſtim Hugolinum epiſcopum Oſtienſem, & Leonem S. Crucis presbyterum Cardinalem decreuit, qui Kal. Octobris Philippum conuentum Auguſtæ Vindelicorum agentem conuenêre, atque ei, & ceteris principibus, vt ſe in Saxoniam ad conuentum ſequerentur, edixere. Ibi re agitata pax in has conditiones firmata eſt, ut Otho Philippi filiam ſibi deſponderet, ac Philippo, dum viueret, regni titulo cederet, inde illo mortuo vſurparet. Eo anno Azo Ateſtinus Veronæ prætor, cum turbidum ciuitatis ſtatum tranquillare ſtuderet, quem duæ factiones Monticulorum, & Sanbonifaciorum inexpiabili ſimultate ſolicitabant, ſtudijs maioris partis populi fultus arma ad eas vrbe deturbandas arripuit, verum, licet magna illorum cæde facta, propoſitum tenere non potuit. Etenim Icilinus Monachus Azonem, quem conatibus ſuis infeſtum ante habuerat, Veronę dominari iniquo animo patiens, amicis ſuis Verona, Vicetia, atque aliunde, Salinguerra tum prætore Ferrarię adiuuante, contractis repente cum omnibus Veronam iniuit, atque opibus ſuperior ipſum cum fautoribus eius vrbe exegit, ac prætura adempta Odoricum Vicecomitem IV Idus Iun. ei ſubſtituit. Azo vero iniuriam ferre neſciens, haudquaquam ſemetipſum in re tanta deſtituit, verùm ſocietate cum Sanbonifacijs inita, atque exercitu valido propere ex Lombardis, Romaniolis, Marchianiſque conflato circa Idus Auguſti Veronam repetijt, ac vi ingreſſus cum Odorico prætore, Icilino, Salinguerra, & Monticulis per menſem crebris prælijs decertauit. quibus demum victor V Idus Septembris hoſtes excedere vrbe coegit, quorum multi, cum nocte caſtrum S. Petri in monte conſcendiſſent, ibi cum Icilino, & Tiroli Comite capti ſunt: reliqui, inter quos Odoricus, & Salinguerra, fugam occulte arripuerunt. Ita Azo in priſtinum dignitatis locum redactus turres, ac domos inimicorum direptas à fundamentis euertit. Qui euaſerunt, alij Gardam, alij Piſcariam confugerunt. is præturam
1208 ſequenti anno continuauit. Extorres autem Brixiani, qui veſano impetu in agro debacchabantur, rurſus Ponteuicum aggreſſi ceperunt, idq; Cremonenſibus, à quibus maxime fouebantur, attribuerunt, atque Azonem Ateſtinum Verona ſui auxilio aduocarunt. Qua re præuiſa Mediolanenſes ſubito accurrerunt, ac

Ponteuicum Cremonenſibus, captis ex eis quadringentis, erit puerunt, ac Brixianorum populo reddiderunt. Azo verò ad Gardæ, & Piſcariæ oppida expugnāda cum carrocijs Veronenſium, & Mantuanorum progreſſus, ac breui eorum potitus, Monticulos ad deditionem adegit, atq; Ateſte cuſtodiēdos tranſmiſit. Icilinus inde prætor Azoni ſubrogatus omnia loca, quæ Sanbonifacij tenebant, ſecunda ciuitatis volūtate recepit. Quo facto Azo Ferrariam cum valida exulum Ferrarienſium manu reuerſus Salinguerram inde expulit, qui ad Mutinenſes, apud quos triennio ante præturam geſſerat, ſe recepit. Per eoſdem dies Regienſes cum Mantuanis hac de cauſſa bellum inierunt. Mantuani Suzariam in agro Regienſi ſibi oppugnandam cum ſuſcepiſſent, accitis Veronēſium, Ferrariēſium, Cremonenſium, & Mutinenſium auxilijs eò proceſſerunt, ac locum manganis, ac lithobolis admotis acriter oppugnarunt. Qua re cognita Regienſes in auxilium Bononienſes ſocios vocauêre, qui, Imolenſibus, & Fauentinis aſſumptis carrocium eduxêre, atq; exercitum ingentem per Mutinæ Suburbia ad Suzariam perduxêre, quò Parmenſes cum ſuo & ipſi carrocio Regienſibus auxilio venerant. ſatiſq; conſtabat, priuatis harum ciuitatum opibus maiorem nondum, ac firmiorem ad alicuius oppugnationem oppidi exercitum conueniſſe. Pugnatum eſt pari vtrinque animorum ardore, victoriæ tamen decus penes Bononienſes fuit. quorum opera egregia, Suzaria obſidione liberata, enituit. Remiſſa inde aduerſus Piſtorienſes iracundia, belli quoque eius in præſens cogitatio poſita. Florentinis fœdus remiſſum, dataq; viciſsim poteſtas pacis cum Piſtorienſibus componēdæ. Philippus ex Saxonia in Sueuiam ſe recipiens Bambembergæ ſubſtitit, vt ſe ex itinere, atque ægritudine recrearet. Cum autem miſſo ſanguine in cubiculo quietus, paucos familiares admittens, ſederet, X. Kal. Iulij Otho Comes Palatinus ingreſſus ferro eum inuaſit, ac, cubiculario fruſtra caput domini protegente ſauciato, vita priuauit. Et hic annus rerum omnium copia feliciſsimus fuit.

CAROLI SIGONII
DE REGNO ITALIAE
Liber Sextus Decimus.

OTHONE REGE, ET IMPERATORE.

VT regni vacuitas Italiã per annos decem in atros
ſeditionum, ac tumultuũ fluctus, tempeſtateſq;
coniecit, ſic graue ac contumax Othonis Impe
rium ſuſcepto rurſus cum Eccleſia bello, eãdem
in duas, vt ante, partes ſtudiorum diuiſione di-
ſtractam per annos duodecim omni malorum
genere conflictauit. Quæ huic libro mandare pergemus.

Philippi morte accepta Principes Germaniæ læti, quòd diu-
turno, ac pernicioſo ſimul eſſent diſsidio liberati, confeſtim Frãc
fordiæ comitia habuerunt, atque ibi rurſus ſummo animorum
conſenſu Othonem ipſum regem Germaniæ deſignarunt. Qua re
audita ingens inter populos gratulatio facta. Mediolanenſes ve-
rò præcipua voluptate elati, quòd regem ex amica aliquando fa-
ctione, quem maxime optabant, haberent, oratores ad eum miſe-
runt, rogantes, vt pro ſalute Regni, & pro eorum, qui Eccleſię par
tes ſequerentur, incolumitate, Mediolanum primo quoque tem-
pore properaret, vt, Italica corona accepta, regnum ipſum dome
ſticis bellis attenuatum reficeret. Quin etiam Innocentius ponti
fex in priſtina erga illum caritate perſiſtens per legatos diligen-
ter hortatus eſt, vt Romam ad coronam Imperij accipiendam ac
cederet, atque Eccleſiæ ſolennia ſacramenta præberet. Quibus
rebus acceptis Otho eò ſtudioſius res Germanię componere ma
turauit, quò celerius in Italiam perueniret, quam poſt Henrici
mortem ſic aut ad libertatem alienatam, aut ad dominatum ere-
ctam eſſe, haud dubijs nuncijs audiebat, vt iura etiam Imperij at-
1209 trectare non dubitaret. Itaque ſequenti anno legatum de more

cum magna poteſtate Volcherum patriarcham Aquileienſem præmiſit,vt iura populorum cognoſceret,eosq; ad antiqua obſequia ſibi aduenienti tribuenda perliceret, atque omnino viam in Italiam ſibi quaſi muniret.Is ſuperatis alpibus Mediolanum profectus Alberto Fontanæ prætori Othon is litteras reddidit,quibus gratijs actis eos orabat,vt Volcherum ipſum legatum à ſe Italiæ deſtinatum benigne acciperent, atque in omnibus rebus eodem,quo ſe ipſum,obſequio colerent,ac Mediolanenſes, & ceteros Lombardiæ populos Othoni ſacramentum dicere iuſsit.Mediolano inde profectus Bononiam adijt.in epiſcopio hoſpitatus prætorem ad ſe vocauit, ac ſolemne ſacramentum exegit. eo dato deinceps oppida,ac poſſeſsiones, quas Bononienſes poſt Henrici mortem Imperio eripuiſſent, repetijt. prætor erat Giliolus Seſsius Regienſis. is ex Conſilij ſententia (nam id multo ante præuiſum erat) ſummo ſtudio ſe reſtituturum ſignificauit, ac Vidonem Lambertinum iuriſconſultum pręſentem ita reſpondere iuſsit: *Quas poſſeſſiones, & oppida habebat Henricus Imperator, tum cum eſt mortuus, & poſt mortem eius Bononienſes occupauerunt, quæ ſunt in diœceſi Bononiæ, aut in alijs, hæc autem intelligimus eſſe, Medicinam, & illam partem Argellatæ, quam Imperator tenebat, & agrum Imolæ, has vobis dimittimus integro iure, ſi quod habet Commune Bononiæ vel priuilegio alicuius Imperatoris quæſitum, vel conſuetudine vetere comparatum*. Atque his dictis ſurrexit, ſeq. ratum habere, quod Vido dixerat, dixit, ac bacillum Volchero porrexit. Progreſſus inde in Romaniolam legatus Caſtrum Imolæ, quod erat iuris Cæſarei, Bononienſibus, ac Fauentinis cuſtodiendum aduerſus Imolenſes attribuit. Interim Otho Auguſtam, atque inde ad Alpes ante Aſſumptionem Beatę Virginis venit, ac caſtra ad lacum Benacum XIV. Kal. Septembris fecit. mox traiecto Atheſi Veronam, comiter cum à ceteris, tum in primis ab Azone marchione Ateſtis exceptus acceſsit. vbi de tranſacta ciuium ſeditione admonitus ciues inter ſe opportune conciliauit, ac Monticulos ex Ateſtino carcere liberatos Veronam reſtituit. Mediolanum inde accedenti populus, ac clerus inſolita animorum alacritate apparuit. præcipue autem Otho nobilibus puerorum, puellarumque choris eſt delectatus, qui in candida veſte incedentes, ac ramos oleæ præferentes eximias regis laudes carminibus apte compoſitis celebrabant. Inde conſtituto

die ab Huberto archiepiſcopo in baſilica S. Ambroſij ingenti pompa corona ferrea, antiquo regni Italici monumento, ornatus, contrà Mediolanenſibus vetera omnia regum priuilegia confirmauit, ac multis prætereą non leuibus eos muneribus inſigniuit. Profectus inde Huberto archiepiſcopo comitante Mediolano Bononiam recto Aemiliæ itinere ita adijt, vt vbique caſtris extra vrbes locatis ſolemnibus ab obuijs populis honoribus, atque officijs cultus ſit: quibus ſingulis & ipſe ius mitiſsime dixit, atque omnes beneficijs, quæ poſtularunt, affecit. Inde traiecto Apennino per Etruriam iter ingreſſus omnes eius regionis ciuitates claues, & dona offerentes obuias habuit. Viterbium autem vt venit, ibi pontificem ſolito honore complexus, atque ab eo comiter exceptus, Romam vt ad ſolemnia Coronæ peragenda prodiret, eſt inuitatus. Ita progredientem lento ipſe agmine ſubſequutus Romam acceſsit, atque ad vrbem caſtra de more conſtituit. Inde V. Idus Octobris ſolemni ab eo apparatu in baſilica S. Petri inſignibus Auguſtalibus, ac nomine Imperatoris affectus ſolemne ſacramentum concepit, quo ſe Eccleſiam Romanam, & patrimonium eius, ac nominatim regnum Friderici Siciliæ regis ipſi nuper Eccleſiæ commendatum, omni ope defenſurum iurauit. Ad quam pompam viſendam tanta confluxiſſe multitudo mortalium dicitur, vt, cum iter ijs, qui rei celebrandæ intereſſe debebant, obſtruerent, Otho ad ſummouendam propere turbam nummos diuerſis ſpargi in locis mandarit: narrant etiam, cum milites quidam viſendi ſtudio elati in vrbem irrumpere contra vetera exempla conati eſſent, à Romanis non incruento certamine eſſe repulſos. Inuitatus inde ad conuiuium Imperator ſic pontificem in Lateranum eſt proſequutus, vt ei equum aſcendenti ſtapedem vetere Caroli Magni inſtituto tenuerit. Inde, mutuis vtrinque celebratis officijs, Otho vrbe egreſſus in vrbibus Etruriæ Suburbarus conſedit, ac de more ſummis adhibitis iuriſconſultis, iura regni diligenter inquirere, tanquam ea conſtituturus, incæpit. Cum autem quædam oppida in Etruria à pontifice, alia verò in Campania à Friderico modo vacante Imperio, occupata comperiret, quę ad Imperium, ſiue regnum pertinere putaret, nulla pontificis, ac Sacramenti ſui habita ratione, militibus protinus immiſſis recepit. Qua re cognita Innocentius eum continuo monuit,

ut eiuſmodi incœpto deſiſteret, quòd iniuſte, & contra nuncupata ſacramenta ſuſciperet; addens etiam, ſi in propoſito permanſiſset, ſe telis eum eccleſiaſticis petiturum, quæ contumaces Imperatores experti ſemper magna ſua calamitate fuiſſent. Otho uerò vſqueadeo pontifici recta monenti non paruit, ut in eius etiam contumeliam eos, qui Romam religionis cauſſa, contenderent, capiendos, ac ſpoliandos curarit. Ita Viterbium, Montemflaſconem, Vrbeuetum, Peruſiam, & totum denique Patrimonium quondam à Mathilde relictum breui in ſuam ditionem redegit: atque aliquam etiam Apuliæ partem hoſtiliter incurſauit. Quin etiam Ducatum Spoletanum Bertoldo familiari ſuo attribuit. Diploma X I I I Kal. Februarias ſequenti ineunte anno, qui fuit MCCX, datum eſt, 1210
cum ipſe adhuc in Etruria apud urbem Cluſij moraretur. Veritus inde, ne propterea Regni ciuitates à ſe deficerent, in Lombardiam ad populos in fide confirmandos reuertit: ac menſe Maio Rauennam, Cremonam, Brixiamque profectus Cremonenſibus tùm alia iura, tùm omnia oppida à maioribus ſuis conceſſa corroborauit. Brixiæ autem X I I I Kal. Iunij Raymundo abbati Nonantulano bona ſua omnia confirmauit. & conuentu ibi acto inde contendit Ferrariam, quæ ciuilibus procellis agitabatur, quòd Salinguerra Azonem ſuperiore anno urbe, Suſinello, ac Giliolo ciuibus Ferrarienſibus adiuuantibus, exturbarat. Ibi uerò poſitus Bononienſibus ad iurandum adhibitis pacem inter eos compoſuit, ac timens, ne quid ab eis per ſuam abſentiam nouaretur, Hugonem Guarinoſium legatum ibi reliquit. Inde Placentiam, Albam, ac Vercellas acceſsit. Ad eum verò Vercellis agentem Bononienſes legationem miſêre, ac veteris priuilegij confirmationem I I I Kal. Iulij rettulêre, nempe cauſſarum publicarum, & priuatarum cognitionem, magiſtratuum creationem, conſuetudinum ſuarum obſeruationem, quæ à Friderico, & Henrico illius deceſſoribus accepiſſent. Inde rebus ex ſententia conſtitutis in Apuliam X L Piſanorum triremibus uſus acceſsit, ac ditioni Friderici bellum apertiſsimum intulit, ita ut recepta Capua ibi hiberna tranſegerit. Innocentius interim legato Gregorio Card. S. Mariæ in Porticu miſſo, Etruriæ ciuitates pacificari, atque ad ſe traducere inſtitit, ac per alios

Othonem à malis conſilijs auocare contendit, omnia præterita detrimenta ſe remiſſurum oſtendens, ſi Friderico, atque Eccleſiæ parceret. Vbi uerò ſe nihil proficere ſenſit, ſolemnem in eum deteſtationem exprompſit, qua illum piorum communione ſummouit, atque omnes principes populoſque, qui illi ſacramenta dixiſſent, religione ſolutos ab illo recedere, tanquam à nefario homine, & capitali Eccleſiæ hoſte præcepit. Qua re accepta Germaniæ principes, Rex Boemiæ, Dux Auſtriæ, Dux Bauariæ, Landgrauius Thuringiæ, & archiepiſcopi Moguntinus, ac Treuirenſis in vnum coeuntes ipſum communi conſilio reliquerunt, ac Fridericum Idibus Decembris in Apulia commorantem regem ex auctoritate pontificis deſignarunt, eumque ad coronam accipiendam in Germaniam inuitarunt, legatis Henrico, & Anſelmo ad ipſum, & ad pontificem deſtinatis. In Italia item multæ ciuitates, multique principes pontificia auctoritate, ac voluntate permoti eundem deſeruerunt, & ſe Friderico, ideſt Eccleſiaſticæ parti applicuerunt. inter quos præcipue Azo marchio Ateſtinus.
1211 Sequenti annò legati Germani cum in Italiam perueniſſent, Henricus Veronæ ſubſtitit, ut Friderico ſtudia Veronenſium compararet, Anſelmus verò ad Innocentium, & Fridericum profectus ab eo confirmationem electionis, ab hoc acceſſum in Germaniam impetrauit. Eo anno Otho bellum gerere cum Friderico in Apulia, inſtitit, ac multis ipſum vrbibus ſpoliauit. Quod cernens Innocentius ad extrema auxilia ſibi deſcendendum putauit, ac demum ſolemni edicto propoſito Othonem præcepta ſua deſpicientem Imperij titulo exuit, ac Fridericum rite regem declaratum pronunciauit; ac mox Gerardum Seſsium epiſcopum Nouarienſem in Lombardiam miſit legatum, ut populos aduerſus Othonem ſolicitaret, & iureiurando pro Eccleſiæ partibus obligaret. Singulas ille ciuitates conueniens ſummo ad ſe traducere ſtudio inſtitit, quaſque animo auerſas inuenit, eis diuina officia interdixit. Eo anno Cremonenſes ſeditione domeſtica laborarunt. Nam cum ciues ueteris ciuitatis Matthæum Corrigium prætorem retinere, nouæ autem Gulielmum Maſtalium aſciſcere properantes propoſito excidiſſent, Gulielmus nihilo ſecius nouam urbem ingreſſus munus ſuum exercuit. Itaque IV Idus Martij, factiones propterea in uico S. Aegidij

armis inter ſe concurrerunt. verùm cedentibus Maſtalianis per Sicardum ciuitatis epiſcopum ſtatim in gratiam redierunt. Cum autem poſt Maſtaliani pacis ſtare conditionibus nollent, Kal. Iulijs, ac ſequentibus diebus rurſus manus conſeruerunt, ac denuo reconciliati ad opem ferendam Azoni Ateſtino profecti ſunt. Is Septembri menſe imprudentibus aduerſarijs maximam ex amica factione manum armatorum coegit, ac Ferrariam profectus Hugonem Othonis uicarium vnà cum Salinguerra vrbe deiecit. Quo factò vterque auxilium a Bononienſibus petijt, Azo, vt Ferrariam retineret, Hugo, vt recuperaret. Ea de re diuerſis in Conſilio ſententijs diſceptatum, alijs Othoni parendum, & ſacramenti in componenda inter Salinguerram, & Azonem pace interpoſiti rationem habendam eſſe cenſentibus, alijs ſacramento ſe illo non teneri, cum pacem Azo violaſſet, ac pontificiam execrationem timendam eſſe, monentibus. Dum his diſceptationibus tempus teritur, Gerardus reliqua luſtrata Lombardia Mutinam venit, ac mox ſe Bononiam item acceſſurum oſtendit. Alienum legati pontificij in urbem aduentum ciuitas arbitrata oratorem miſit ad eum Azonem iuriſconſultum, ciuitatis verbis rogatum, vt Bononiam venire hoc tempore parceret. nam ciues graui inter ſe diſcordia diſsidere, cum alij Hugonem, alij Azonem tanta pertinacia cenſeant adiuuandum, vt aduentus eius in urbem ſæuum ſine dubio ſit incendium ſeditionis excitaturus. Legato ab adeunda vrbe deterrito, vicit in Concilio pars ea, quæ Hugoni, ideſt Imperatori, fauebat. Bello conflato Salinguerra cum Hugone obſidendæ Ferrariæ cauſſa caſtra ad Doliolum, Bononienſes ad Galeriam poſuêre. Azonis verò ſocij Regienſes ad Sanmartinum, Mutinenſes ad Finale, Rauennates ad Argentam aduerſus eum cum ſuis copijs conſedere. Bononia inde relicta, Gerardus Cremonam ſe contulit, atque ibi cum eſſet, archiepiſcopus Mediolanenſis in locum Huberti mortui eſt ſubſtitutus. verùm, ipſo intra triginta dies uita functo, Henricus Septara Eccleſiæ cimiliarcha locũ obtinuit. Dum hæc agebantur, interim noui cum Piſtorienſibus belli cauſſam Bononienſes adepti ſunt. Sanmartiani, & Lopoletani, montani homines, cũ viciſsim poſſesſiones ſuas turbaſſent, prætor rei eius cognitionẽ Syndico permiſerat. Eũ in rem præſentẽ profectũ, ut in ſuas quenque poſſeſsiones, redigeret, Hubertinus

Sta-

Stagninus, Ghiſlimerius, & Henrigitius à Piſtorienſibus impulſi armata hominum manu imparatum adorti cum aliquot Bononienſibus ceperant. Hæc res Bononiæ nunciata tantum iram aduerſus Piſtorienſes exciuit, ut repente Conſilium bellum aduerſus eos decreuerit, legatoſque extemplo legendos iuſſerit, qui vicinorum populorum animos ad conſocianda arma ſolicitarent. legati lecti cum ſexto Idus Septembris Regium adijſſent, à Conſilio petierunt, ut Hubertinum, Ghiſlimerium, & Henrigitium, ac filios eorum hoſtium loco haberent, ac ſecum aduerſus Piſtorienſes arma ſuſciperent. Prætor erat Vido Lambertinus Bononienſis: is ex Conſilij voluntate reſpondit, ea eſſe erga Regienſes Bononienſium merita, ut non ſolum Hubertinum, ac ſocios pro hoſtibus libenter ipſorum gratia ducturi ſint, ſed etiam arma aduerſus Piſtorienſes capturi, & incommodum à Piſtorienſibus in Bononienſes illatum eodem loco habituri, ac ſi in ſe eſſet illatum. Gratijs actis legati poſtridie Regienſium oratoribus, ut antè, aſcitis Parmam proceſſerunt, atque eadem in Conſilio poſtularunt. Reſponſum à Conradino prætore datum, ſe Hubertino, & fautoribus eius auxilio non futuros; omnibus, qui ſubſidio Bononienſium ire voluerint, liberum tranſitum permiſſuros; haudquaquam ſe æquum cenſere, ut Piſtorienſes, à quibus nulla eſſent iniuria laceſſiti, pro hoſtibus haberent; itaque de bello communicando, ſe conſilium, quod omnibus utile ſit, eſſe capturos. Inde conuerſo domum uerſus itinere Mutinenſium quoque animos explorandos rati Badianum, ubi cum Conſilio Frugerium prætorem eſſe ad obſidionem oppidi audiebant, iter flexerunt. Cum eadem poſtulaſſent, reſpondit prætor, ſe neſcire, Hubertinum in ſua ditione uerſari, id ſi comperiſſet, facturum quod ex utriuſque ciuitatis dignitate duxiſſet. Quòd aduerſus Piſtorienſes auxilium peterent, ſe reſponſum reddere certum non poſſe, quia totum ad Badianum Conſilium non adeſſet, ubi urbem repetiſſet, Conſilio habito reſponſurum interim ſe liberum iter omnibus per agrum ſuum eorum auxilio uenientibus præliturum. legati cum Bononiam reuerſi legationem renunciaſſent. poſt aliquot dies Mutinam petierunt, ac Conſilio à Petro Torello uicario prætoris, dato, poſtularunt, ut ſimilitibus iuuare ſe nollent, ſaltem belli cauſſa

arma, atque equos aut mutuo ſumere, aut pretio parare in urbe ſibi permitterent. Quibus ille reſpondit, ſe, prætore, & maiore Conſilij parte ad Badianum ſedente, certum dare reſponſum non poſſe. His de rebus Bononienſes ueterum ſociorum auxilijs, proprijſque uiribus contenti bellum pararunt. Tributum belli cauſſa ciuibus, ut adſolebat, impoſitum cum prætor acerbe exigeret, abbatem S. Stephani conferre recuſantem mulctauit: abbas ægre paſſus rem ad pontificem detulit: pontifex ſacra ciuitati interdixit. Imminente bello Caſtrimolenſes, ſe caſtrum in poteſtate Othonis retenturos, à Bononienſibus adacti iurarunt. Otho, ut ſibi abrogatum Imperium à pontifice ſentit, relicta Apulia Germaniam uerſus ad continendos in officio principes redijt: atque ex itinere Bononiam uenit. Omni genere honorum excultus plurimum ex ludicro quodam in ipſius aduentum commiſſo cepit uoluptatis, equeſtri concurſu, atque recurſu per nobiles iuuenes in foro edito. in quo Hieremias Malauolta currenti equo effuſus repente eſt mortuus. Inde Parmam progreſſus omnes populos, qui à ſe deſciuerant, Genuenſes, Cremonenſes, Papienſes, & Ferrarienſes cum Azone Ateſtino proſcripſit. Parma inde Laudem, ac Mediolanum adiuit, atque utroque in loco infrequentes ſane conuentus egit. Erat hiems aſperrima, quæ inſolita ui frigoris Padum ipſum ita conſtrinxerat, ut hominum, & iumentorum itinera toleraret. Cum autem ille ad Alpes tutò peruenire ſtuderet, ducem itineris Comitem S. Floræ aſciuit. is cum Padum ita ſtramentis contexiſſet, ut ſubeſſe glaciem, flumenque animaduerti non poſſet, Othonem traduxit. Quòd ubi ille reſciuit, in ſuſpicionem inſidiarum adductus aquis illum ſuffocari, præcipiti elatus iracundia iuſſit. atque inde ſuperatis Alpibus in Germaniam tranſijt. Interim Azo à pontifice in Etruriam aduocatus breui omnia per Othonem occupata recuperauit. Vt autem Otho in Germaniam deſcendit, ſtatim conuentu Norimbergæ habito, principes pro re non contemnenda admonuit, ne paterentur, pontificem pro arbitrio Cæſares de culmine Imperij deturbare, ſeque proprio iure exuere. uerùm paucis perſuaſit. Inde ſequenti anno, primo uere, contra Landgrauium Thuringię, at 1212
que alios, qui ſe reliquerant, mouit. Fridericus autem nouis ſuorum precibus ſtimulatus ex Apulia in Germaniam iter intendit,

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

ac Romam progreſſus omnia rerum gerendarum conſilia cum Pontifice contulit. Romæ autem ſuſceptum Genuenſes triremibus ſuis Kal. Maij Genuam deuexerunt. Ibi à marchione Ateſtino, & Monferratenſi, & Comite Sanbonifacij exceptus Papiam Idibus Iulij eſt perductus. Inde Papienſes acceptum vſque ad Lambrum amnem incolumem adduxerunt. ibi quanquam Mediolanenſes tranſitum impedire tentarunt, tuto tamen amnem traie it. Papienſes ſoli domum redeuntes centum in manus Mediolanenſium lapſi ſunt. Inde ſuſceptus à Cremonenſibus Cremonam adijt. vbi eximie honoratus pallium auro textum baſilicæ obtulit. Mantuani inde ſuſceptum Veronenſibus tradiderunt, qui ipſum vſque ad anguſtias Alpium proſequuti ſunt. Is deinde à ſuis defenſus per iuga Alpium in Rhętiam Curienſem deſcendit. Cui occurrere Otho feſtinans, à ſuis relictus, non potuit: atque ita regno deturbatus in ſuam ſe Saxoniam retulit. Quare Fridericus nemine interpellante Aquis per antiſtites Moguntinum, & Treuirenſem coronam accepit, ac mox contra Othonem contendit. Hoc rerum ſtatu veteres inimicitię Italicos inter populos inſtauratæ ſunt, tum priſcis odijs, tum nouis duorum regum ſtudijs animos ad noua certamina irritantibus. Præcipue Mediolanenſes omnium truculentiſſime ſe geſſerunt, vt qui iampridem principatum ſibi Lombardiæ depoſcerent. Etenim Placẽtinis aſcitis Gulielmo Lando duce, ſic Bonifacium marchionem Montisferrati, ac Papienſes Eccleſiæ ſocios ſunt aggreſsi, vt nihil citra, & vltra Ticinum populationibus intactum reliquerint. Inde Brixianis arma inferentes Herbuſcum eorũ oppidum obſederunt, ſed, Cremonenſibus auxilio accurrentibus, propoſitum non tenuerunt. Bononienſes autem Regienſium, & Fauentinorum accitis auxilijs, exercitum in fines Piſtorienſium adduxerunt, & caſtra eorum Foſſatum, Tribum, Turrim, & Monticellum ceperunt. demum ad Sambucam progreſsi menſe Auguſto oppidum magna mole, ac ſummis per multos dies laboribus oppugnarunt, ac tandem captum euerterunt. Ita non ſolum captiuos ſuos recuperarunt, ſed Sambucanos etiam, & Pauanenſes relictis ſedibus ſuis ad ſe vltro tranſeuntes, & perpetuo ſe prætori Montano Bononienſi parituros iurantes receperunt. Inde bellũ prædis vtrinque agendis, ac poſſeſsionibus viciſsim diſturbandis in ſeptimum vſque annum ſine vlla reconciliatione protractum.

Azo Ateſtinus pace cum Salinguerra facta vita deceſsit,ac ditio nem filio Aldobrandino maiori natu reliquit, vir per ea tempora virtute,atq; opibus inclytus. Aldobrandinus autem mox, cum ſe à Salinguerra inſidijs peti contra fidem interpoſitam comperiſſet,eius rei certiores Bononienſes fecit, qui mirè hominis iniquitate offenſi ipſi ſe ad pellendum Ferraria Salinguerram ſocios adiunxerunt. Ille vero exactus caſtrum epiſcopi Mutinēſis, quod Pons Ducis dicebatur, aduerſus Mutinenſes Aldobrandini ſocios occupauit, eoque præſidio confirmato, inde Mutinenſium agrum infeſtis vexare populationibus cæpit. Quoniam autem Aldobrandinus, & Ferrarienſes iureiurando interpoſito Mutinenſibus affirmarant,ſe,vt caſtrum illud euerteretur,neque amplius reficeretur,acturos,&,qui tale aliquid molirentur,inhibituros; Aldobrandinus exercitum Ferrarienſium,& Bononienſium ad illud oppugnandum, & Salinguerram inde deijciendum adduxit; neque tamen hoc anno quidquam profecit. Sequenti, Innocentius 1213
litteras in omnes Chriſtianorum prouincias miſit, quæ adhuc extāt,quibus ſacram expeditionem aduerſus Saracenos Terram ſanctam tenentes populis,& principibus vniuerſis denunciauit, omnes ad Crucis ſignum accipiendum benigna peccatorum remiſsione inuitans,atq; epiſcopis,vt anno M C C X V. ad Kal. Nouembris Romæ adeſſent,ad hęreſes,& abuſus, quibus tum Eccleſia vexabatur,tollēdos edixit. Quibus rebus cognitis Fridericus vnà cum proceribus ſuis vltro crucem aſciuit, ac ſe, cęterosq; diro anathemati, ſi fidem fefelliſſent, deuouit. Et hoc anno inter pontificios,atq; Othonianos bella continuata ſunt. Quippe Mutinenſes Salinguerræ irati per menſem Maium Finale aduerſus Pontem Ducis duce Balduino Vicedomino prætore ſuo communiuerunt: verùm,cum domum opere perfecto redirent,repente à Salinguerra ex inſidijs erumpente oppreſsi graues pœnas dederunt. Nam Balduino prætore (apto, & fęde interfecto) centum quinquaginta ciues in poteſtate Salinguerræ captiuos reliquerunt. Quam calamitatis ignominiam non ferentes in locum Balduini Bernardum Roſsium ſingularis prudentiæ virum Parma prætorem ilicò vocauerunt,ac ſimul Parmenſium,Mantuanorum Bononienſium,& Ferrarienſium auxilia contraxerunt,& cum his copijs ipſo Roſsio prætore duce ſeptembri exeunte menſe ad Pontem Ducis perrexerunt, tantaque vi oppugnare inſtiterunt,

vt VI. Idus Nouembris ad deditionem adegerint. Itaque in caſtris Parmenſium hæ conditiones latę, vt Salinguerra caſtrum daret Mutinenſibus euertendum, & captiuos eorum redderet, & iuraret, ſe permiſſurum illud ſolo æquatum manere, prout Aldobrã dinus, & alij Ferrarienſes iurarant; &, ſi Salinguerra, aut Aldobrandinus cum ſuis partibus Ferraria exacti eſſent, ipſi pro arbitrio alterum eorum ſuo iuuare auxilio poſſent. Ita Mutinenſes captiuis ſuis recuperatis, ac caſtro deleto receſſerunt, ac victorię monumento campanam rettulerunt, qua in turrim D. Geminiani ſubuecta, poſtea eius occentu nonam diei horam populo indixerunt. Salinguerra hoc incommodo accepto omnem belli cogitationem abiecit, atque iterum ad Bononienſium auctoritatem ſe contulit. Hominis conditionem ciuitas miſerata cum Aldobrandino egit, vt in vrbem reciperetur. Itaque III. Nonas Decembris Ferrariæ in pręſentia Aldobrandini ipſe cum nepote ſuo iurauit, ſe Bernardi Roſsij Mutinæ pretoris, & Communis Mutinæ imperata facturum. Mediolanenſes autem minas omnes pontificias deteſtati nouum bellum inferre Cremonenſibus ſtatuerunt. Itaque primo vere Placentinis, & alijs ſocijs in acrioris expeditionis ſocietatem accitis, atque aliquot ad deſtinendos Papienſes, ne ſibi impedimento eſſe poſsent, cohortibus miſsis, reliquũ exercitum cum carrocio in agrum Cremenſium induxerunt. Quibus Albertus Douaria, Boſonis Cremę domini tunc in Germania commorantis propinquus, ac Cremæ pręfectus firmam militum manum obiecit. verùm prælio acrius, quàm conſtantius inito, pulſus in arcem ſe recepit. Mediolanẽſes autem parte copiarum ad obſidionem arcis relicta, reliquam trans Serium amnem, qui forte imbribus intumuerat, repente ratibus traiecerunt, atq; impreſſione in fines Cremonenſium facta, proxima quæque longe, lateque diripuerunt; tum Caſtro Leonis, Piceleone, Soncino, & Romanengo, ſed inani, irritoque incæpto, tentatis populabundi vſque ad Cremonæ ſuburbia peruaſerunt. Inde magno pecoris, hominumq; potiti numero domum ſe lente recipere, carrocio cuſtodiæ Placentinorum permiſſo, cæperunt. Quod vbi Cremonenſes ſenſère, ſimul ira ſimul incommodo ſtimulante ſexdecim peditum, atq; equitum millia, quot nunquam fortaſſe antea, conſcripſerunt, atque in quatuor legiones diuiſa quattuor ducibus commiſerunt, Lanfranco Oldouino, Gulielmo Perſico, Henrico

Aduocato,

Aduocato,& Sinibaldo Burgo. Qui confeſtim hoſtes ſequuti, atque in campis Bottefinæ Cremenſibus præda graues adepti ſeſe collatis cum eis ſignis confligere velle ſignificarunt. Is erat dies IV. Nonas Iunij, quo forte Pentecoſte celebrabatur. Quo animaduerſo Mediolanenſes ab omni extremi prælij diſcrimine abhorrentes Beltramum monachum Ceretanum miſerunt, qui diceret, æquum ſibi uideri, vt honos diei tam ſancto debitus haberetur, ac certamini, unde multa ſanguinis manare poſſet effuſio, parceretur. Qua oratione repudiata Cremonenſes uindictæ, ac prædæ repetendæ auidiores inſtructis ordinibus in aciem proceſſerunt, atque hoſtes arma capere coegerunt. Dimicatum eſt per aliquot horas æquo marte vtrinque fortisſime. demum tres Cremonenſium legiones impetum hoſtium non ferentes in fugam ſe coniecêre. Quod vbi Lanfrancus Oldouinus, qui quartæ adhuc integræ præerat, uidit, continuo ad ſuos conuerſus ita dixit. Quo in diſcrimine uerſetur ſalus noſtra, neminem ueſtrum, ciues, eſſe arbitror, qui ignoret, nimirum in eum deducta res locum eſt, ut aut uirtute noſtra tres acies fugientes reſtituamus, aut unà cum eis in fugam conuerſi hoſtibus prȩda, ac mancipia obijciamur, ſimulque patria libertate, quam per multos annos præſtantibus armis, animiſque defendimus, vna hora per noſtram ignauiam exuamur. Quin igitur auitȩ fortitudinis, ac militaris gloriæ memores, incumbentium hoſtium impetum pro uirili noſtra excipimus, ac quantum animi promptitudo, quãtum dextrarũ noſtrarũ firmitas ualeat, experimur, ea ſpe nixi, fore, vt Deus alacritatẽ noſtram reſpiciat, ac præſenti ſuo numine ſubleuet. Quibus uerbis tantum ſtudium, ardoremque dimicandi iniecit omnibus, ut maximo ſublato clamore ſubiecerint, pergeret alacriter, ac ſine timore hoſtes inuaderet, nam ſe ſtudioſisſime ac fortisſime operam & ipſi, & reip. nauaturos. Quibus uocibus erectior factus ſtatim in hoſtes incurrit, ac prœlium nitentibus omnibus tanto impetu, ac tanta felicitate commiſit, ut breui repentino aliquo quaſi fulgure uniuerſum hoſtium exercitum disſiparit, ac fregerit, ac uictoriam, qualem raro ante, de Mediolanenſibus reportarit. Neque enim ſolum multos eorum occidit, ſed etiam ſex millia cepit, &, quod ſpecioſius, ac glorioſius ijs temporibus habitum eſt, carrocium etiam in poteſtatem adduxit, quod à Placentinis tueri ſe poſſe diffidentibus impactum in profundam lu-

ti voraginem fuerat. Quibus rebus proſpere, atque ex ſententia geſtis Cremonenſes domum miro exultantes gaudio receſſerunt, ac præda ingenti prælata veteris triumphi imaginem retulerunt. præbuit autem ſpeciem triumpho carrocium urbis opulentisſimæ, ac ciuitatis multis ante de ſe actis triumphis clarisſimæ. Hanc uerò uictoriam tam inopinatam cum mirabunda ſpectaret ciuitas, religioſa, ac pia illa ſtatim incesſit opinio, eā nō humano auxilio, ſed præſenti SS. martyrum Petri, & Marcellini ſubſidio eſſe partam. Etenim cum imminente pugnā imbellis multitudo ſupplex in urbe ad eorum ſepulchrum uota in æde D. Thomæ pro uictoria faceret, duas inde exire, atque eodem ſubinde ſe referre columbas aſpexit. qui uerò in caſtris erant, duos iuuenes equis albis inſidentes, ac ueſtibus albis indutos acri ſeſe impetu in aciem Mediolanenſium incitantes, ac ui, & uirtute ſua cuneos eorum, tanquam cęleſti quodam fulmine, perrumpentes, ac demum terga dare cogentes uiderunt. Qua re animaduerſa, & cum duarum columbarum urbano omine comparata, Cremonenſes pro certo habuerunt, ſe cœleſti duorum martyrum præſidio tanta uictoria eſſe potitos. Itaque communi decreto feſtum eorum, quod IV. Idus Iunias agebatur, in poſterum IV. Nonas celebrari ſanxerunt, atque ad perennem domeſtici decoris prodendam memoriam carrocium conſeruandum in maiori baſilica poſuerunt. Lanfranco verò Oldouino, cuius conſilio, ac virtute tam illuſtris quæſita uictoria fuerat, inſignia ciuitatis ad honeſtandam poſteritatem familiæ ſunt tributa. Mediolanenſes autem domum reuerſi, ut damna reſarcirent, ignominiamque delerent, redintegrato exercitu cum alio carrocio in Laumellinam ſe intulerunt, ac Laumellum, Mortariam, atque alia caſtra diripuerunt. Per eoſdem dies Patauini Aldobrandino Ateſtino arma mouerunt, (id bellum exciuit ira, quòd ille ſuis in agro ſpoliatis ius non dixiſſet) atque in eius ſocietatem Icilinum Monachum ueterem Azonis inimicum Basſiano euocauerunt; qui cum Icilino filio, quem à Romano dixerunt, ut prima rudimenta militiæ poneret, haud grauate aduenit. Exercitus Ateſte adductus oppidum primo impetu in poteſtatem adduxit. Arci inde oppugnatio eſt admota. ex qua Aldobrandinus hoſtes longe percutiens multos eorū, & quidem magni inter ſuos nominis ſuſtulit. Sed tamen ex ſuis aliquot atiam amiſit, atque agrum ſuum, igne, ferroque ab

Icilino uæſana uaſtari rabie uidit. Quare pactis indutijs, mox haud ægre pacem uel iniquis conditionibus fecit, nẽpè, ut arces Cerri, & Calaonis euerteret. Eodem anno Friniates à Mutinenſibus defecerunt. Imolenſes autem, & Caſtrimolenſes cum pariter detrimentis ſe mutuis affeciſſent, atque in ea re dignitatem maxime Bononienſium uiolaſſent, Giliolus Seſsius Imolæ prætor ciuitatis iracundiam ueritus pacem cum Hugolino prætore Caſtrimolenſium pepigit, atque iniurias omnes ei remiſit ab eo tempore, quo patriarcha Aquileienſis in Romaniolam uenerat, promiſitq; Imolenſes neminem ex Caſtro Imolæ in ciuitatem, aut in urbem recepturos, donec Bononienſes, aut Fauentini tutelam eius haberent. Poſtero Cremonenſes Parmenſibus, Regienſibuſque aſſumptis, ut acceptas ab Othonianis ulciſcerentur iniurias, cum exercitu in agrum Placentinum introruperunt, ac caſtris ad Columbæ monaſterium poſitis, effuſe omnia prædati ſe rettulerunt. Mediolanenſes autem, ut amisſi carrocij decus recuperarẽt, Placentinis aduocatis in fines Cremonenſium inuaſerunt, atq; ad Zeneuoltam obuios nacti Nonis Septembris acie cum eis congresſi ſunt. Eo prœlio Cremonenſes, licet fortisſime dimicarent, tamen incumbentium hoſtium molem ſuſtinere non potuerunt. Quare in fugã uerſi plurimis ex ſuis amisſis, proprio etiã carrocio ſpoliati ſunt. Hæc verò tanta clades, Sicardo epiſcopo Cremonenſi auctore, fuit, ut nullo unquam è prælio Cremonenſes afflictiore fortuna exceſsiſſe, teſtatus ſit. Quo facto Placentini fines eorum libere peruagati illatas ſibi populationes felicisſime rettulere. Mediolanenſes inde in Laumellinam tranſgresſi Villecium, Bremidum, aliaque ignobilia caſtella multa Papienſibus ademere. Eo anno Bononienſes. XIIII. Kal. Maias poſtulante Pagano Egidio prætore Fauentino fœdus cum Fauentinis redintegrarunt, atque Idibus Iunij, cum legati Regienſium Bononiam profecti prætoris ſui Iſacij Douariæ nomine, ut fœdus aduerſus Mutinenſes inſtauraretur, petijſſet, uniuerſum una voce Conſilium Rodulfo prætori, ut renouaret, precepit, Tabulis conſcriptis legati iurarunt, ſe effecturos, ut omnia à Regienſium Conſilio probarentur. Feruente inde expeditionis Syriacę apparatu Vbaldus Rauennatum antiſtes Bononiam uenit, atque eam cauſſam in Conſilio Credentię ſumma diligentia nomine pontificis egit. Vbi perorauit, Rodulfus prętor uiuis eorum, qui in Conſilio

(margin, beside "urbem recepturos … tutelam"): 1214

aderant,uocibus incitatus archiepiſcopo promiſit, ſe illis,qui ad Terram Sanctam recuperandam nomina dederant, quo tempore communis à Chriſtianis traiectio fieret, vecturam armorum Bononia Venetias,naulumque Venetijs in Syriam ex ærario ſoluturum. Nonis Octobris Albertinus prætor Ferrariæ, legatis Mutinenſium pręſentibus, Communi Mutinę omnia damna remiſit bello aduerſus Salinguerram ad Pontem Ducis geſto hominibus Pontis Ducis illata, aut ciuibus Ferrarienſibus, qui ibi erant, tum cum caſtrum ipſum à Mutinenſibus eſt exciſum. Eodem anno Mutinenſes iterum arma Friniatibus intulerunt, atque eis, licet ualde reſiſtentibus, caſtrum Monzonis eripuerunt. Otho etiam cum Philippo rege Francorum acie congreſſus, & victus plurimum ut uirium, ſic auctoritatis amiſit. Se-
1215 quenti, Mediolanenſes Placentinis adiunctis cum carrocio aduerſus Papienſes egreſsi pridie Nonas Febr. Parpaneſum, ac Roueſcallam, licet foſsis, ualliſque munitam, diruerunt. Inde Bardonicium, Bonaſcum muris item firmatum, & caſtrum Nigrinum eadem felicitate ſtrauerunt. Demum traducto in Laumellinam exercitu, Gargalaſco capto ingentem hominum, pecudumque numerum abegerunt. Poſt rogatu Vercellenſium, Thomaſino Subaudię Comite,quem ſibi fœdere iunxerant,cum mille equitibus adiuuante, ad Caſale S. Euaſij prodierunt, atque oppidum primo obſidione, deinde oppugnatione preſſerũt, qua cum magnam murorum partem aperuiſſent, ciues exterriti XIII. Kal. Septembris habitu ſupplicantium ſumpto ad eos in caſtra uenerunt, ac ſe obedienter illorum imperata facturos dixerunt. Mediolanenſes autem Vercellenſium inimicorum iracundię indulgentius obſequuti, illis in uincula traditis, oppidum exciderunt. Inde Thomaſino petenti gratificantes in Monteinferratum exercitum promouerunt, atque armis ad ſingula oppida conferendis Marchionem ſuppliciter pacem poſcere coegerunt. Demum aduerſus Cremonenſes conuerſi Caſtrum nouum ad Os Abduæ per dies decem arctiſsima obſidione circundederunt. Eo etiam anno Venetorum cum Patauinis arma emicuêre, eius belli ab leui ſane re occaſio eſt oblata. Superiore anno Taruiſini ludicrum huiuſmodi uicinis ciuitatibus ſpectandum indixerant. quippe caſtellum ligneum fecerant, idque pellibus, ueſtibus, & margaritis om-

nis

nis generis pretioſiſsimis communiuerant, neque oppugnari niſi malis, dactylis, arancijs, floribus, & aquarum odoratarum ampullis poſſe voluerant. defenſio autem caſtri mulieribus honeſtiſſimis, oppugnatio iuuenibus nobiliſsimis data fuit. Ad hanc rem viſendam cum tota Marchia confluxiſſet, multi etiam Veneti cum ſuis coniugibus acceſſerunt, ex quibus aliqui etiam participes eſſe ipſius certaminis voluerunt. Commiſsis ludis, ac telis ſpeciosis hinc inde iactis, atque reiectis eò demum eſt ventum, vt porta caſtri expugnaretur. cum autem certatim Veneti, ac Patauini illud ſibi decoris aſciſcere properarent, Patauinus à Veneto pulſus vexillum eius temere lacerauit. Quæ res ſic animos Venetorum offendit, vt ludo dimiſſo veri tumultus ſpeciem excitarint. Itaque ſtatim relicto ſpectaculo ſuas quiſque domos male animati repetierunt. inde gliſcentibus odijs commercia inter illas ciuitates ſublata. quin etiam proximi Patauinorum agri infeſtis incurſionibus à Venetis diuexati. Quæ incommoda acerbiſsime Patauini ferentes hoc anno per autumnum exercitum verſus Clodiam adduxerunt, atque ad Turrim Baibarum conſtiterunt, ſperantes ea ſe breui, ac facile potituros, verùm æſtu maris à ventis incitato vltra ſolitum excreſcente ex locis paluſtribus, in quibus conſederant, excedere coacti, domum verſus ſe rettulerunt. Quos Veneti cum Lembis Clodienſibus conſequuti multos eorum ceperunt, ac pleriſque alijs incommodis affecerunt. Per eoſdem dies Aldobrandinus Patauium profectus firmo amicorum ſuorum robore ſibi aſcito, inde in Marchiam Anconitanam cõtendit, eo animo, vt quemadmodum titulum eius gerebat, ſic etiam imperium compararet. Ei aduenienti Gualterus Comes Celani, qui partem eius Marchiæ obtinebat, ſe obtulit. verùm plus animo, quam viribus nixus, primum Aldobrandini impetum ferre non potuit, ac, licet multis vtrinque captis, & cæſis, in fugam conuerſus, atque interfectus poſſeſsionem Marchiæ integram Aldobrandino reliquit. Eodem anno Nouembri menſe Innocentius concilium epiſcoporum, quod biennio ante indixerat, habuit, cuius decreta edita facile cognoſci ab omnibus poſſunt. in eo diem Kalendarum Iuniarum ſequentium ad conueniendum conſtituit omnibus, qui contra Saracenos arma ferre ſtuderent, eóſque aut Brundiſij, aut Meſſanæ, vbi ipſe ſe affuturum quoque pro-

miſit, conuenire mandauit. Cum autem Mediolanenſibus offenſus eſſet, quòd non ſolum Othonem fouerent, ſed vicinas etiam ciuitates Eccleſiæ ſocias aſsiduis incurſionibus, ac certaminibus agitarent, eos adeſſe Romæ præcepit, atque, vbi affuerunt, rogare inſtitit, vt Othonem Eccleſiæ hoſtem defererent, & ſocios Eccleſiæ ne attingerent. Cui ipſi ſpecioſa reſponſa dederunt, atque in ſua ſententia perſtiterunt, ea ſpe nixi, ſe hac ratione, cum opibus præpollerent, Lombardiæ imperio facile potituros. Quod eorum conſilium haud omnino reprehendendum fuiſſet, ſi ipſi, vt imperium parare didicerant, ſic libertatem retinere cũ imperio potuiſſent. Ad idẽ concilium Dominicus Calarogenſis, quem iam ante duodecim annos Toloſæ aduerſus hæreticos Albigenſes pugnaſſe commemorauimus, à Fulcone epiſcopo Toloſano deductus venit. Cum ſodales ille Toloſæ aliquot viros eruditos, & probos coegiſſet, quorum opera fidem Chriſtianam multis in Italia hæreſibus tentatam fulciret, rem ad pontificem rettulit, atque ab eo inſtituti à ſe comprobationem Ordinis poſtulauit. Pontifex, quòd Dominicus poteſtatem in primis ſibi, ſodalibuſque ſuis Euangelij ex loco ſuperiore populis prædicandi poſceret, difficilem ſe primo eius petitioni præbuit, mox nocturno quodam viſo commotus, conceſſurum, ſi diſciplinam aliquam vitæ ſoda-
1216 libus ſuis compoſuiſſet, oſtendit; atque ita illum dimiſit. Sequenti anno, hiems omnium atrociſsima fuit: vites, atque arbores vi frigoris aruerunt, Padus ad quindecim cubitos congelauit. qua re animaduerſa, homines non ſolum carribus, & iumentis ſine metu tranſibant, ſed etiam per luſum ſuper glacie ſecuri ſaltabant, atque incitatis equis aduerſis inter ſe ſpiculis concurrebant. Notatum præterea eſt, cum in die Purificationis in agro Regienſi domus quædam incendio fortuito conflagraſſet, ignem ipſa dolia combuſsiſſe, vinum autem liquefactum non eſſe, immo ita concretum remanſiſſe, vt diſſolui niſi valido ictu ſecurium non potuerit. Innocentius Aldobrandino Marchiam Anconitanam ab Aeſi ad Leaſtrum amnem affirmauit. Quæ res tantam illi apud Comites Celani conflauit inuidiam, vt corrupto illius familiari illum veneno ſuſtulerint. Aldobrandinum inde Azo frater eius, quem Nouellum uocarunt, excepit. Interim menſe Maio Innocentius

duos

duos Cardinales legatos Mediolanum cum mandatis præcipuis miſit, qui Conſilio aduocato nomine pontificis denunciarunt, ſe, niſi Othonem reliquiſſent, ac vicinas ciuitates vexare, ac ſolicitare deſiſſent, fulmina in eos eccleſiaſtica contorturos. Quæ cum illi ſpreuiſſent, tum ſolemni Eccleſiæ more ciuitati ſacris interdixerunt, ac ciues communione piorum exterminarunt. Quę res vbi minuere Mediolanenſium iram debuit, multo vehementius auxit. Siquidem delectu acriore habito Padum haud ita multo poſt cum carrocio traiecerunt, atque irruptione in regionem Papienſium facta Nonis Iulijs caſtrum Simarchi, & Golferontij validiſsimum expugnarunt. Inde Montemcaluum, Turrim guardię, ac totum eius tractum vaſtarunt, &, cum Aronam tentatam capere nequiuiſſent, pręda onuſti in Laumellinam ſe intulerunt, eamque multo, quàm ante, fœdius lacerarunt. Quibus malis Papienſes impulſi rurſus ſe iuſsis eorum obedituros aſſeruerunt. Per eoſdem dies Bononienſes bellum memorabile Ariminenſibus intulêre. Ariminenſes, cum pręlio Cęſenatum exercitum profligaſſent, mille ſeptingentos è Cęſenatibus ceperant, eoſque in arcem S. Archangeli coniecerant, atque ibi pręfecto Antonio quodam Tarentino cuſtodiebant. Cęſenates captiuos ſuos recuperare cupientes proprijs diffiſi opibus ad Bononienſes confugère, atque ab eis opem duriſsimo ſuo tempore petiêre. Bononienſes ad honorem ſuum rati pertinere, ſupplices ſocios pro viribus ſubleuare, pręſto ſe futuros reſponderunt, &, quòd Ariminenſes à Piſaurenſibus, Faneſtribus, Vrbinatibus, alijsq; adiuuari ſciebant, è ueſtigio Regienſium, Fauentinorum, & Ferrarienſium prętores, ac copias acciuerunt, atque ex eis, & maximo delectu ciuitatis exercitum firmiſsimum contraxerunt, & carrocium educendum decreuerunt. Vicecomes prętor cum hoc apparatu egreſſus VIII. Idus Auguſti ad S. Archangeli caſtrum peruenit, idq; omni ope oppugnare inſtituit. Pręlijs cum hoſtibus conferendis, agro vaſtando, atq; oppido omni tormentorum genere quatiendo res in exitum mẽſis extracta eſt. Tandem expugnatum oppidum muris deiectis, & hoſtibus profligatis in ditionem cum Tarentino peruenit. Kal. Septembris in caſtris ad carrocium pax cum Ariminenſibus his legibus ſcripta eſt. *Ariminenſes captiuos Cæſenates, & qui modò de exercitu Bononienſium*

capti

capti ſunt, reſtituunto Vicecomiti prætori Bononiæ in caſtris, in quibus nunc ſunt Bononienſes, ad carrocium, aut tabernaculum prætoris, prout ei placuerit. vexillum Bononienſium in caſtro S. Archangeli poni permittunto. Bononienſes, & Cæſenates captiuos Ariminenſibus reddunto. Atque his rebus tranſactis Otho Mandellus prætor Ariminenſis nomine ciuitatis ſuæ iniurias omnes Vicecomiti prætori Bononiæ, Vidoni Lambertino prætori Fauentiæ, Bernardo Cornazano prætori Regij, Rodulfo Borgognono prætori Ferrariæ nomine ſuarum ciuitatum recipientibus condonauit. Vicecomes prætor Bononiæ nomine ciuitatis iniurias remiſit Ariminenſibus, Faneſtribus, Piſaurenſibus, Vrbinatibus, Montis Feretri, & Carpaniæ Comitibus, & omnibus, qui auxilio Ariminenſium fuerant. De Antonio Tarentino capto, eiuſque ſocijs extremum ſupplicium ſumptum. exercitus cum carrocio, & captiuis domum victor reductus. Acris Cæſenatum defenſio, ac magnifica de tot, tamque longinquis populis relata victoria ciuitatis auctoritatem incredibiliter auxit, expreſſaque indubitata confeſsio, vt Mediolanenſes Lombardiæ, ſic Bononienſes Romaniolæ armorum potentia principatum tenere. Pugnabant adhuc magnis inter ſe viribus Piſani, & Genuenſes. Quorum diſcordiam ſacræ expeditioni aduerſam eſſe, Innocentius pontifex ſentiens, eos ante pacificandos putauit, ac propterea Piſas verſus ire intendit. Verùm Peruſiam progreſſus XVII. Kal. Auguſti moritur. in eius locum Honorius III. ſubrogatur, qui fuerat Cencius Sabellus presb. Card. tt. S. Pammachij. Is Peruſia Romam reuerſus Petrum Antiſiodorenſem Imperatorem Conſtantinopolis deſignatum, atque eò contendentem in baſilica S. Laurentij extra muros Auguſtalibus inſignibus exornauit, ac ſacræ expeditionis, quæ imminebat, legatum Ioannem Columnium Cardinalem Portuenſem declarauit, qui ſtatim Brundiſium deceſsit, quò Petrus quoque Imperator, atque omnes cruceſignati conuenerunt. Quo facto, reliqua, quæ Innocentius inchoauerat, perficere aggreſſus, vt Saracenos, & Othonianos, illos Chriſtianis, hos Eccleſiæ Romanæ infeſtos euerteret, & crucem Chriſtianis indixit, & Hugolinum Cardinalem Oſtienſem epiſcopum, legatum Lombardiæ, ad eam pacificandam, atque aduerſus Saracenos concitandam miſit. Eo anno Dominicus Calarogen-

ſis, de quo ante diximus, Toloſa Romam reuertit, ac ſe antiqua, & probata regula D. Auguſtini contentum fore aſſeruit. Quam Honorius pontifex approbauit, & Dominico, ac ſodalibus eius, quos ab officij genere fratres Prædicatores uocabat, ſedes ad D. Xyſti conceſſit. de quibus ſic abbas Vſpergenſis eius memoriæ æqualis: *Fratres Prædicatores ſtudio, & lectioni ſacræ ſcripturæ iugiter inſiſtentes tantum in ſcribendo libros opus faciebant, & eos diligentiſſime à magiſtris ſuis audiebant, ut cum ſagittis, & arcu, & omni armatura fortium poſſent ingredi, & ſtare pro defenſione Sanctæ matris Eccleſiæ, & ex aduerſo aſcendere, & ponere ſe murum pro domo Iſrael, dum fidem roborant, uirtutes inſtruunt, ſtatuta Eccleſiæ docent, & collaudant, vitia hominum, & prauitates redarguunt, & caſtigant. nihilominus ſedi apoſtolicæ in omnibus obediunt, à qua auctoritatem præcipuam trahunt.* Proximo Mediola- 1217
nenſes ſocijs adiuuantibus carrocium aduerſus Cremonenſes duxerunt, ac Romanengum oppugnare cęperunt. ibi rurſus cum occurrentibus Cremonenſibus ſummo prælio eſt certatum. Quo Cremonenſes fuſi deintegro carrocium amiſerunt. Ita Romanengo expugnato ad Zeneuoltam eſt uentum. qua excisa ager uniuerſus vſque ad tertium ab urbe lapidem eſt percurſus. Epiſcopus cum multis alijs captiuis ſummæ nobilitatis uiris Mediolanum cum carrocio eſt reductus. Inde adulto autumno in Parmenſes item Eccleſiæ amicos belli terrore conuerſo montes Salſum, & Gręcum adorti ſubegerunt, ac Rodilicum, Varanum, multoſque alios pagos incendio peruaſtarunt. Hoc anno Italici crucesignati in Syriam Ioannis Columnij legati pontificij ductu frequentes quarta Orientali expeditione ſuſcepta tranſiêre. Proximo uerò, ut Soldano dolorem af- 1218
ferent, in Aegyptum iuſſu pontificio prodiêre, atque urbi Damiatę obſidionem admouêre. Mediolanenſes primo uere Padum iterum traiecerunt, atque inter Pontenurum, ac Fontanam caſtra poſuerunt. inde in Pratum regis tranſgreſſi ibi Pentecoſtem celebrauerunt. tum VIII. Idus Iunij in agrum Parmenſem cum Socijs euecti, caſtrum S. Crucis cum Domigono cremarunt, ac poſtridie Gibellum obſidione cinxerunt. Quibus Parmenſes Cremonenſibus, Mantuanis, Regienſibus, & Mutinenſibus aduocatis occurrerunt. cum utrinque accenſi ad rem ſummo certamine experiendam animi eſſent, haud

mora pugnandi eſt facta. XVII. Kal. Auguſti extremo prælio à tertia uſque ad ueſperas decertatum. quo magna utrinque cæde edita tamen Mediolanenſes ſuperiores fuiſſe iudicati ſunt. Etenim poſt pugnam longius eucti oppida Buxeti, Ceni, Riuiſanguinarij, & triginta alia Parmenſium, ac Regienſium exciderunt. In Chronicis Parmenſium inuenio, prȩlio confecto Regienſes ad ueniſſe. Inde Parmȩ prouerbium, Regienſium ſubſidium, in eos, qui in tempore non occurrunt, increbruiſſe. Quȩ mala ubi Honorius pontifex audijt, Hugolino Cardinali legato negocium dedit, ut omnino eas ciuitates ad pacem, concordiamque redigeret. Qui Mediolanum profectus, legatis etiam Bononienſium ſe interponentibus, rem haud ægre confecit, atque utraque parte apud ſe pacem iurare iuſſa Mediolanenſes interdicto leuauit. Parmenſes item cum Regienſibus fœdus iunxerunt, ac mutuo ſe adiuturos contra hoſtes ſuos auxilio ſpopōderunt. In Romaniola Foroliuienſes bellum cum Fauentinis maiore, quàm ante, conatu redintegrarunt. Fauentini à Foroliuienſibus conflictati rebus ſuis timentes ad Bononienſium expertum ſæpe duris ſuis temporibus auxilium confugerunt. Bononienſes, antequam res ad arma deduceretur, experiri volentes, quantum auctoritate apud utranque ciuitatem, ualerent, miſsis legatis ab utraque petierunt, ut integram cauſſam arbitrio, iudicioque ſuo permitterent. haud irrita eorum poſtulatio fuit. Ineunte Iunio Iacobus Foroliuienſium, & Talamatius Fauentinorum prætores ex utriuſque ciuitatis conſenſu promiſerunt, ſe ſtaturos Albergheti prætoris arbitrio ſuper ijs rebus, de quibus armis inter ſe diſceptarent. IX. Kal. Auguſti Alberghetus utrique prætori, ac legatis eorum ad ſe uocatis præcepit, ut indutias inter ſe vſque ad diem III. Kal. Octobris haberent, atque eo die coram ſe Bononiæ ambo adeſſent. Quæ cum dies veniſſet, atque illi paruiſſent, indutiarum tempus uſque ad Kal. Ianuarias diſtulit. Per eoſdem dies Otho V. Kal. Maij nulla re geſta inſigni, & propria erga Eccleſiam impietate infamis uita ceſſit. De cuius morte, ac pœnitentia, quod apud neminem ueterum comperi, ſic Albertus Crantzius, homo Germanus, ſcriptum reliquit: *Otho Imperator cum magnis diu laboribus per annos pene viginti in Regno, & Imperio laboraſſet, nihil adeo ſenſit infortunatum, quam Eccleſiæ rebellionē unde factum eſt, ut nunquam poſtea felix ſucceſſibus eſſet. Cum autem morbo laboraret,*

qui uitam illi abſtulit, nimium facti pœnitens, & ineffabili contritione compunctus in arce Hartesburg manſitabat. A Sfrido Hildeſemenſi epiſcopo abſolutus in pace quieuit, quam abſolutionem Honorius papa confirmauit. tanta autem fuiſſe fertur morituri pœnitudo, vt coquinarijs ſuis præciperet collum ſuum calcaneis premere, & viliſſimam Dei creaturam omnino ſupplantare. Optima autem ſpes ſalutis in tanta contritione.

FRIDERICO II. REGE ET IMPERATORE.

OTHONE mortuo Fridericus regnum ſine controuerſia tenuit, ac ſtatim res Germaniæ componere ſtuduit, quò maturius, ac liberius rebus vacare Italiæ, atque ad coronam Imperij accipiendam accurrere poſſet. ac poſtero anno menſe Februario apud Spiram Haſtenſes priuilegio decorauit. Eodem menſe quieſcente ab armis Italia Bononienſes ſocietatem cum Regienſibus inſtaurarunt. nec multo poſt, cum Fauentini priuatis offenſionibus incitati infeſtas in fines Imolenſium copias induxiſſent, pro uetuſto fœdere uocantibus affuerunt. Dum autem Imolenſium uaſtatur ager, Iacobus epiſcopus Taurinas, Friderici legatus, cum Gulielmo marchione Montisferrati aduenit, ac ſtatim Henrico prætore ad ſe accito duas ab eo res Friderici nomine poſtulauit, vnam, vt Bononienſes agrum Imolæ, quem poſt mortem Othonis inuaſerant, reſtituerent, alteram, ne Imolenſibus aliquid præbuiſſe negocij uellent. Prætor, ut in re nec opinata deprehenſus, incertus quid reſpondere deberet, dixit, ſe non credere, illum Friderici eſſe vicarium, propterea que ſe non ipſi, ſed Friderico agrum Imolæ reddere uelle, ad eumque ipſum hac de re prouocare. Quibus rebus auditis Iacobus vſque adeo ira excanduit, ut ſe proſcribere ciuitatem pronunciarit: atque hoc dicto ilico ſe vrbe proripuit. Eo profecto exercitus uterque ſtatim Imolenſium urbi admotus. uerùm cum de compoſitione agi poſt eſſet cœptum, Fauentinus, & Imolenſis, ut finem armorum facerent, Henricum prætorem arbitrum adegerunt. Henricus per Hubertum iudicem ſuum in caſtra miſſum, exactis obſidibus ab Imolenſibus, facile rem compoſuit. Imolenſem inde ſe

in

in Henricum compromiſſum feciſſe pœnituit, ſibique ab eo, & à Bononienſibus iniuriam factam expoſtulauit. Quibus rebus Henricus commotus exeunte Septembri nuncium ad eos ex Cõſilij ſententia miſit, qui prætoris, & ciuitatis nomine, cum Conſilium poſtulaſſet, percontatus eſt, num uere, ut ſermo hominum ferebat, prętorem, aut ciuitatem de re tranſacta cum Fauentinis arguerent? adiecitque, ſi qua in re ſe Bononienſibus obſtrictos ſentirent, eos ſe ab Kal. Ianuãrijs proximis liberare. Tum Guarinus prętor eorum, ac pręcipui è Conſilio reſponderunt, nemini omnium veniſſe in mentem, neque de obſidibus, neque de vlla alia conditione queri, neque abſolutionis denunciationem ſe neceſſariã iudicare, cum nulla inter Imolenſes, & Bononienſes de illa re obligatio interceſſiſſet. Bononienſes item, & Piſtorienſes, cum diu de agri finibus contendiſſent, ut modum bellorum facerent, omnem controuerſiam ad legati arbitrium detulêre. ab eo III. Non. Octobris ita decretum: *Bononienſes Piſtorienſibus, Piſtorienſes Bononienſibus pacem reddunto, de omnibus bellis, litibus, damniſque vltro, citroque oppidi alicuius cauſſa illatis. Bononienſes Foſſatum, Tribum, Turrim, Monticellum cum ipſorum iuribus Piſtorienſibus, Piſtorienſes pagos, caſtraq; quæ ſunt in diœceſi Bononienſi Bononienſibus dimittunto. Vtrobique ius Imperij, atque Eccleſiæ integrum eſto. Piſtorienſes Sambucanis iniurias omnes remittunto. atque in hanc pacem ſucceſſores prætorum, aut conſulum ſuorum iureiurando adigunto.* Ita utrinque ab armis receſſum. Extremo uerò anno cum prætor Bononienſis, ac Piſtorienſis in Montibus cõueniſſent, ad locum, qui Muſcaela dicitur, vt compoſitioné hãc confirmarent, queſtus eſt Bononienſis, quòd Piſtorienſes in poſſeſsionem oppidorũ quorundam iniuſſu ſuo miſiſſent, & quòd Pauanenſes captos in uincula conieciſſent eo nomine, quòd ſe prætori Montano Bononienſi pariturós iuraſſent. Piſtorienſis reſpondit, ſe poſſeſsionem eorum oppidorum iniſſe, quę legatus decreto ſuo ſibi adiudicaſſet. Pauanenſes autem non ciuitatis, ſed epiſcopi iuſſu fuiſſe comprehenſos. Multis uerbis utrinque factis, ac tabulis compoſitionis prolatis res haud longius eſt progreſſa, quàm ut decreto legati pareretur. Eodem menſe Sambucanis eſt conſultum, qui Piſtorienſi bello oppidum deſeruerant, atque ad Bononienſes cum ſuis familijs ſe contulerant. Cum prętorem adijſſent, atque omnia ſe illi damna ſua condonare dixiſſent, placuit Conſilio, ut locus eis ad

habitandum cum immunitate concederetur, negociumque prætori Montano datum, ut eis hominibus Muſcaclam munirent. Extant etiam datæ ſuper ea re litteræ: *Significamus tibi, Conſilium Credentiæ, & appendicem eius, ac magiſtros artium, collegiorum, & parochiarum ad occentum campanæ, ac per nuncios conuocatos maximo conſenſu decreuiſſe, vt Sambucani noſtri Muſcaclam incolant, & ibi idoneo tempore caſtrum pro honore ciuitatis conſtituant, & ipſi, ceterique, qui eò commigrarint, ſoluti ſint à functionibus publicis perinde ac ciues Bononienſes ſunt. Quare mandamus tibi, ut eos in eo loco conſtituas, prout ipſe eſſe è rep. iudicabis*. Profectus inde Romandinus ad Muſcaclam eos nomine ciuitatis inſtituit his uerbis, quæ tum ſolemnia erant in rebus omnibus publicis inſtituendis: *Quod honori ſit Ieſu Chriſto, & B. Mariæ virgini matri eius, & S. Petro, & omnibus ſanctis Dei, & Henrico Comiti prætori, & Gulielmo Puſterlæ futuro à Kal. Ianuarijs primis vſque ad Kal. Ian. ſequentes, & omnibus ſucceſſoribus eorum, & omnibus magiſtratibus vrbis Bononiẽſis, qui pro tempore fuerint. Quod item honori, magnitudini, & incremento ſit vrbis Bononienſis, ego te inſtituo Albertum Grillum, Boudium Zanum, & Benedictum Moncum conſules eorum, qui exceſſere de Sambuca, & Pauana, & qui in fide Bononienſium perſliterunt, recipientes nomine ſuo, & eorum, qui venerint ad incolendam Muſcaclam, ut habitent eum locum, & ibi ſedeant, & ſint ſoluti à functionibus Communis Bononiæ, atque ipſa ciuitas in perpetuum*. Atque his dictis vexillum in manibus eorum collocauit. Bertoldus homo Germanus ex archiepiſcopo Colonienſi patriarcha Aquileienſis effectus. Eodem anno Corradinus Soldani Babiloniæ frater acri Damiatæ obſidione accenſus tanta rabie mœnia Hieroſolymorum inuaſit, ut uix templo, ac Sepulchro Domini temperarit. Inde VI. Idus Nouembris Damiata à Cruceſignatis eſt capta. cui uictorię S. Franciſcus interfuit, & de fide cum Soldano diſſeruit. Poſtero Regienſes Cremonenſibus, & Parmenſibus aſſumptis Gonzagam oppidum obſederũt, quod à Comite Alberto Caſaloldo pa- 1220
tricio Mantuano detinebatur. Hoc ubi Mantuani cognouerunt, Mutinenſibus, & Cremonenſibus aduocatis caſtrum ſibi defendendum ſuſceperunt, atque, hoſtibus obſidionem relinquere coactis, ipſum ſibi iure Caſaloldorum incolumi uindicarunt. inde cum ſocijs menſe Iunio ad caſtrum Bondeni Ferrarienſium progreſsi redegerunt in poteſtatem.

CAROLI SIGONII
DE REGNO ITALIAE
Liber Decimus ſeptimus.

SEQVITVR Friderici poſterioris Imperium non ſolum Eccleſiæ, ſed etiam cuncto Regno, atq; adeo etiam Italiæ vniuerſæ calamitoſum, neque enim aliud fuit, quàm aſsiduum cum tribus pontificibus, & cum ſingulis Italiæ ciuitatibus bellum: quos omnes tanto odio, ac tantis uiribus oppugnauit, ut in eo Henricum patrem ſuperarit, auum verò Fridericum æquarit. Ex pontificibus autem alter altero acrior, & iuris Eccleſiæ retinentior, nunquam contumaciæ illius reſiſtere deſtiterunt, donec Alexandri tertij exemplo ipſum fractum, abiectumque uiderunt. Hoc vero malum cumularũt etiam Lombardi, & præcipue Mediolanenſes, & Bononienſes, qui nunquam cum eo in pace fuerunt, illi veteribus, hi nouis iniurijs irritati. de quibus poſt ſuo loco dicemus, ſi prius pacatum, ac fauſtum eius aduentum in Italiam, atque Auguſtalem conſecrationem expoſuerimus.

Fridericus menſe Aprili, cum in Italiam ad inſignia Auguſtalia ab Honorio capienda uocatus uenire conſtituiſſet, Conradum epiſcopum Spirenſem, & Metenſem, cancellarium ſuum cum liberis ad omnes ciuitates mandatis præmiſit, eique ut, perinde ac ſibi, in omnibus rebus dicto audientes eſſent, præcepit. Litteræ in hæc verba ſcriptæ adhuc apud Bononienſes ſeruantur, quas in hos annales intexere, ad multas res viſum eſt pertinere: *Fridericus Dei gratia Romanorum rex, & Siciliæ, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, ceteriſque eccleſiarum prælatis, marchionibus, Comitibus, Capitaneis, valuaſoribus, & nobilibus poteſtatibus, conſulibus, ſeu rectoribus, & Communitatibus omnium ciuitatum, & oppidorum, ſimul & rectoribus, atque*

populo, & uniuerſis per Lombardiam, Romaniolam, & Tuſciam, atque per totam Italiam conſtitutis gratiam, & bonam uoluntatem ſuam. Poſt multas Imperij perturbationes, poſt obitum Henrici patris noſtri Imperatoris, ſedatis Teutonicis ſeditionibus, & pace ubique conſtituta, cum iam ſimus accepturi benedictionem imperialem, vt inde propoſitum reformandæ pacis, & vnitatis, & concordiæ nobis, & Imperio admodum neceſſariæ per Lombardiam, Romaniolam, Tuſciam, ſeu totam Italiam firmiter habeatis, præmittimus ad vos legatum noſtrum à latere epiſcopum Spirenſem, & Metenſem Conradum noſtræ Imperialis aulæ cancellarium, vt ipſe fidelitates, & alia iura à vobis recipiat, & diſcordijs tollendis nobis uiam planam faciat, quatenus adire ad coronam poſſimus. Notum facimus vobis, quòd huic legalem dedimus poteſtatem ſupponendi ciuitates, burgos, caſtra, uillas, marchiones, Comites, Capitaneos, & Valuaſores, ſeu quoſlibet per uniuerſam Italiam, & partes eius conſtitutos banno noſtro, & extrahendi, faciendi conceſſiones, pœnas etiam exigendi, conficiendi tabelliones, dandi poſſeſſiones, & reſtituendi, habendi etiam ius animaduertendi in facinoroſos; necnon vicibus noſtris agendi, prout commodum, & honeſtum erit Imperio, ratum habituri quidquid ille ſtatuerit, decernimus, ne ab eo fiat appellatio, mandamus etiam vt ei, tanquam nobis obtemperetur. Datum in Francfort in curia ſolemni an. Domini MCCXX. XV. Kal. Maij. Is cum veniſſet, dum ipſe iura Lombardiæ cògnoſcere, eaque ſacramentis accipiendis conſtituere ſtudet, nuncios Bononiam menſe Auguſto Anſelmum Spirenſem Friderici Mareſcallum, & Hugolinum Parmenſem Romaniolæ Comitem miſit. Poſtridie cum Anſelmus in aula Palatij conſediſſet, in qua prætor ſolitus erat cum curia conuenire, multis verbis factis à Gulielmo prætore poſtulauit, ut loca agri Imolæ, & Caſtri Imolæ redderet, quæ ciuitas ad Imperium pertinentia poſsideret. Cui Gulielmus, Ego uerò, inquit, & regis, & cancellarij gratia haud inuitus facio, ut ea dimittam, ita tamen, ut ius retineam, quod ciuitas in ijs propter aliquod priuilegium, aut conſuetudinem habeat. Poſt aliquot inde dies Conradus accedens ſolemne ſacramentum exegit, atq; eximio ciuitatis gratulantis erga ſe ſtudio cognito cum ſuperiores mulctas omnes deleuit, tum ipſam in gratiam recepit, his verbis: *Nos Conradus Metenſis, & Spirenſis epiſcopus, Imperialis aulæ cancellarius, & totius Italiæ legatus ſacramento fidei à Gulielmo Puſter-*

la Bononiæ prætore, & ab ipſa Bononiæ ciuitate recepto, atque eorum fide & beneuolentia erga Fridericum regem noſtrum perſpecta, auctoritate legationis, qua fungimur, eximimus Commune Bononiæ illo banno, quo mulctatum eſt ab epiſcopo Taurinate, tunc regalis curiæ vicario, atque a Gulielmo marchione Montisferrati, & quocunque alio, in quod incurriſſe videri poſſet tempore regis, item omni pœna, qua ab eis, aut ab alijs regia auctoritate affecti ſunt, remittimuſque omnino omnes redditus, fructus, conditiones, vſus, operas, tributa, boaterias, mulctas, banna, pœnas, ac res alias vniuerſas, quas Commune Bononiæ habuit de oppidis, & hominibus Imperij, ac præcipue de agro Imolæ aliquo ſuperioribus annis modo. Inde exeunte Auguſto Fridericus paratis rebus omnibus Alpes traiecit. Veronam progreſſus III. Non. Septembris à Mediolanenſibus petijt, vt ſibi vrbis introitum, & regia ornamenta deferrent, prout patri, atque auo ſuo dediſſent. quæ populus reuocata veterum aui eius in ſe maleficiorum memoria diſertiſsime abnuit. Quare offenſione diſsimulata Mantuam prodijt, ac caſtris in agro eius poſitis, Septembri exeunte, aliquot priuilegia uicinis epiſcopis, ac ciuitatibus contulit. Inde Mutinam prouectum Rambertinus Buallellus prætor, & oratores Genuenſium adierunt, ac priuilegiorum ſuorum confirmationem poſtulauerunt, neque obtinere, licet à Conrado cancellario comiter habiti, potuerunt. Albertus autem Magdeburgenſis antiſtes ipſius legatus Regienſes, & Mantuanos ad compoſitionẽ pacis adegit, acriter inter ſe de Gonzaga oppido contendentes. Inde Bononiam progreſſus caſtra ad Rhenum locauit, ac Nonis Octobris prætorem, & conſules Genuenſes tabellionum inſtituendorum iure donauit. Imolam inde, Fauentiamque profectus vetera priuilegia Caſalenſibus affirmauit. tum Rauennam eſt uentum, atque ubique ſolemne ſacramentum expreſſum. Magdeburgenſis, cum in Conſilium ueniſſet, præſentibus Cremonenſium, ac Mutinenſium oratoribus iureiurando Rauennates adegit, ſe Bononienſibus, Fauentinis, eorumque ſocijs bellum facturos, ſi Friderico, legatiſq; eius dicto audientes eſſe, recuſauiſſent. Demum Romam omnium ferme ciuitatum legatis honoris gratia comitãtibus adijt. ibi verò ingenti animorum alacritate à clero, populoq; receptus X. Kal. Decẽbris in baſilica S. Petri Auguſtalia inſignia manu Honorij pontificis ſumpſit, atq; inter ſolemnia primum ſolitum omnibus Imperatoribus ſacramentum ſuſcepit, ſe

iura,ac poſſeſsiones Romanę Eccleſię bona fide pro viribus tuta turum; deinde nouum illud publice concepit,ſe ad certam diem à pontifice præſtituendam ad recuperanda Hieroſolyma profectu-rum,atque iterum Crucis ſignum ad eam expeditionem ex manu Hugolini Cardinalis Oſtienſis accepit.quæ res ingentē omnibus Chriſtianis lętitiā attulit, ac ſpe haud dubia rei bene in Syria aliquando gerendæ repleuit. Ita pompę illi modus impoſitus,quam clariſsimi Italiæ principes,ac legati, qui de induſtria ad illam ho neſtandam conuenerant, illuſtrem in primis, ac ſpecioſam fecerunt. Egreſſus inde vrbe, cum caſtra in Monte Malo vrbi imminente haberet, ac ſumma decoratus auctoritate vetera de more priuilegia populis inſtauraret,V I I. Kal. Decembris Bononienſibus legatis petentibus hoc indulſit: *Conſiderantes eximia, quæ pro honore, & commodo Imperij Gulielmus prætor, & Commune Bononiæ nobis præſtare poſſunt, obſequia, concedimus, & confirmamus quæcunque habuit, tenuit in iuriſdictionibus cauſſarum ciuilium, & criminalium, ordinariarum, & extraordinariarum, magiſtratuum creationibus, & ceteris rectis conſuetudinibus, & poſſeſſionibus habitis, aut obtentis temporibus aui, & patris noſtri Friderici, & Henrici Imperatorum, quæ nunc habet ciuitas in vrbe Bononiæ, aut in diœceſi.* Atque alio epiſcopum quoque ciuitatis ornauit. Inde in agrum Sutrinum profectus V. Kal.Conradum legatum Italiæ cum poteſtate pari Imperatoriæ fecit. Legi etiam diplomata Kal. data in caſtris apud mōtem Roſulum prope Sutrium anno regni eius Romani V I I I. Siciliæ X. Imperij primo. Quibus rebus effectis inde in Apuliam aduerſus Ricardum, & Thomam Soræ, & Celani Comites nouis rebus ſtudentes perrexit. Damiatam in Aegypto à Cruceſignatis ſuperiore anno exeunte receptā, qui egregiè operam nauarant,inter ſe diuiſerunt. Itaque Bononienſium duces cum Conſilio ſuo cupientes aliquem ad Commune Bononiæ fructum ex ſua fortitudine peruenire,vrbis,quæ ipſis contigerat,portionem certa pecunia in ærarium Bononiæ referenda locarunt. Cum Florentini primi mænia conſcendiſſent, ac vexillum ſtatuiſſent, id domum rettulerunt, ac diu in memoriam virtutis domeſticæ conſeruarunt. Eodem anno S.Dominicus ad res ordinis ſui conſtituendas ex omnibus locis fratres ſuos Bononiam aduocauit, atque ex omnium ſententia paupertatis ſtudium, quod ſemel ſuſceperant, retinendum, atque colendum eſſe decreuit,

eaq; prima Prędicatorum comitia, capitulum ipſi appellant, fuêre. Sequenti X. Kal. Februarias Conradus Italię legatus Bononię cum eſſet, epiſcopo Bononienſi Henrico indulſit, vt ipſe, & ſucceſſores eius in perpetuum plenum ius haberent exercendi, & conferendi omnes legitimos, & voluntarios actus, vt adoptiones, manumiſsiones, emancipationes, interpoſitiones decretorũ in terris pertinentibus ad Bononienſem eccleſiam. Quinto autem Kal. Honorius pontifex litteris ad eundem datis nunciauit, ſe paullo ante impoſita Friderico Romę corona ſocietate piorum exturbaſſe omnes, qui conſtitutiones libertati eccleſiaſticę contrarias obſeruarent, proinde hoc decretum per diœceſim ſuã diuulgandum, ac cuſtodiendum curaret. Eodem anno Mediolani ingens diſcordia inter Nobilitatem, & Credentiam orta. Nobilitas Valuaſoribus, & Capitaneis, Credentia opificibus ipſis continebatur. Cum irritatis animis ad arma diſcurſum eſſet, Henricus archiepiſcopus cum parte nobilium vrbe exire coactus, atq; in exilio eſſe iuſſus Canturium occupauit, atque ibi ſe pręſidijs, ac munitionibus confirmauit. Iampridem Salinguerra maximas ſibi opes in vrbe Ferrarię Icilini Monachi affinis ſui nixus auxilio compararat. quare legato pontificio ſpreto Azonem Ateſtinum partes pontificias conſtanti fide aſſerentem exegit. Quam iniuriam Azo iniquiſsimo animo ferens Bononienſes, & Romaniolos cum Eccleſia ſentientes acciuit, ac Ferrariam à parte Padi magna mole obſedit. qua re Salinguerra permotus ſibi diffidens Azonem in vrbem recepit. deinde amoto armorum metu populum vſque adeo in eum incitauit, vt rurſus inde exire cum aliqua ſuorum cęde compulerit. Fridericus rebellibus Ricardo, & Thoma armis in Campania vindicatis, atque oppidis ſuis eiectis inde in Siciliam aduerſus Saracenos ſæuientes proceſsit, eoſque varie profligauit. poſt collectas eorum relliquias in Apuliam tranſtulit, ac Luceriam habitandam attribuit. ad extremum ſuſcepto Germaniam verſus itinere Genuam, atque inde ad Alpes ſe contulit. Bononiæ Giufredus Pirouanus vrbis prætor, vt cauſſam Friderici ciuitatis nomine tueretur, legatis ad Imolenſes ex Conſilij ſententia miſsis rectores Caſtri Imolę ſacramento adegit, ſe oppidum ipſum, & iura Imperij, & vectigalia, quę ibi Imperator haberet, pro ipſo Friderico cuſtodituros, neque ea alicui ſoluturos iniuſſu prætoris Bononienſis, aut

1221

ſine permiſſu ipſius Imperatoris. quo officij genere Imolenſium caſtro illi imminentiũ animos ita irritauit, ut repente paratis armis caſtrum ipſum aggreſsi ſint,ac leui admodum certamine potiti,ne ſacris quidem templis conſeruatis euerterint,atq; incolas ciuitate donatos Imolam omnes traduxerint. qua in re neque Friderici, neque Gottifredi Blanderariæ tum Romaniolę Comitis, & Friderici legati, rationem habuerunt. Eodem anno quieſcente domi, foriſque ciuitate urbs multis, magnificiſque operibus publicis,ad memoriæ commendationem eſt culta.Nam ædibus D. Nicolai Fratribus Prædicatoribus aſsignatis opportuna piorum hominum benignitate aliquid eſt acceſsionis adiunctum, ubi S. Dominicus alterum Fratrum conuentum habuit, Petro Veronenſi ſcholari, qui poſtea martyr uocatus eſt, habitum tribuit,ac demum ipſe mortem oppetijt.Nam Mediolano reuerſus, cum adhuc de uia langueret, per totam noctem cum Ventura Priore,& Rodulfo procuratore de ſtatu ordinis conſultauit.ac poſtridie uehementi tentari febri cępit. quod ut ille ſenſit,uitæ ſibi adeſſe finem intelligens, fratres aduocauit, ac teſtamento facto res familiæ ſuæ compoſuit. Inde ingraueſcente morbo à fratribus propter cœli ſalubritatem ad S. Mariam in monte perlatus deterius ſe quoque habuit. Quare ab eiſdem ad monaſterium relatus ibi eſt mortuus. Exequiæ, ut ſancto dignum erat uiro, ſummo honore concelebratæ. in primis Hugolinus legatus manibus ſuis corpus eius ſepulturæ mandauit, atque ipſum uniuerſa præſente ciuitate pro concione laudauit, admiranda de pietate hominis narrans, ac multis ſe ſpectante miraculis Romæ editis ſubinde confirmans. funus autem Patriarcha Aquileienſis, epiſcopi,atque abbates plurimi,atq; ingens religioſi populi multitudo cohoneſtauit.Mortuus eſt VIII.Idus Auguſti.Ceterum Caſtrũ Imolæ ab Imolẽſibus dirutum maxima Gottifredum indignatione accẽdit.Itaque ineunte Ianuario Bononiam uenit,atq; à Giufredo, cui prætura in alterum annum continuata erat, in aula Prætorij contendit, ut Fauentinis adiunctis bello Imolenſes aggrederetur, ut qui cum aliàs ſibi,atque Imperatori iniurias intuliſſent, tum proxime Caſtrum Imolę diruiſſent, neque ante pacem, aut inducias illis daret, quàm Caſtrum Imolę reſtituiſſent, & mandatis ſuis obtemperaſſent, atque urbe, & ſuburbijs emiſiſſent eos,quos recepiſſent ab eo tempore,quo Patriarcha Aqui- 1222

leienſis

leienſis pro Othone Imperatore in Italiam introijſſet, ſimul promittens, ſe daturum operam, ut Fauentini in gratiam Friderici reſtituerentur &, ex albo proſcriptorum eximerentur, atque omni ope ſua cum omnibus ſuis Romaniolæ populis bellum internecinum Imolenſibus illaturum, neque pacem, neque inducias, iniuſſu Friderici facturum, ac Caſtrum Imolæ receptum Bononienſium, ac Fauentinorum cuſtodiæ relicturum. ac demum ſuper hac re Conſilium Credentiæ poſtulauit. Conſilio dato palam omnibus audientibus eſt profeſſus, ſe eo ueniſſe, ut Imolenſes proſcriberet, (hoc illi bannum dare dicebant) quia Caſtrum Imolæ deleuiſſent, atque inſigni ſe, & Fridericum iniuria prouocaſſent. Quo poſtulato audito Giufredus haud mediocriter cum toto Conſilio perturbatus, atqui gratisſimum, inquit, omnibus nobis Gottifrede feceris, ſi alibi hanc ſententiam aduerſus Imolenſes pronunciaris: qui & uicini ſunt noſtri, & ſępe de nobis haud pesſime meriti. verùm ita te rogamus, vt tamen in auctoritate tua futuri ſimus. Tum Gottifredus, Immo ęquum eſt uos, inquit, quibus nulli alij magis Friderico ſunt dediti, mandata eius ęquis auribus audire, pręſertim uerò aduerſus Imolenſes, qui quanquam uicini, ac bene, ut pręfertis, de vobis meriti ſunt, hoſtiliter tamen ſe erga illum in caſtro ſibi acceptisſimo euertendo geſſerunt. Quare placere ſibi, adiunxit, ad honorem Imperatoris, ac ſuum, ſententiam in eos promulgare, ac ſtatim ita pronunciauit. *Cum Imolenſes Caſtrum Imolæ locum acceptum Imperio in contemptum Friderici Imperatoris; & Gottifredi Romaniolæ Comitis fideliſſimi nuncij ita diruerint, vt ne ſacris quidem ædibus pepercerint, pluſque damni Friderico, & Gottifredo attulerint, quàm ſi quodcunque aliud caſtrum Romaniolæ deleuiſſent, ob eam rem Gottifredus Romaniolæ Comes Imperatoriæ legationis auctoritate, qua fungitur, Imperatoris nomine, & ſuo, Imolenſes hoſtes proſcriptos pronunciat, niſi ad ſex dies proximos mandatis ſuis paruerint. quos ſi abire permiſerint, de proſcriptis eximi nequeant, niſi ſibi decem millia marcarum argenti perpenderint, & omnibus in rebus Imperatori, & ſibi dicto audientes fuerint.* Atque his ex ſcripto recitatis ad Conſilium conuerſus ſubiecit. *Audiſtis mulctam qua a me mulctati Imolenſes ſunt; ſi illi ad auctoritatem meam ante diem prædictam redierint, faciam quod ex dignitate Imperatoris eſſe putauero, ſin minus, peto à vobis nomine Imperatoris, & pro officio ſacramenti, vt eos pro proſcriptis hoſtibus habeatis, & bellum inferatis qua-*

cunque ope poſſuis.His rebus peractis bellum decretum eſt,ſimulque ut de eo gerendo cum Fauentinis pactio firmaretur, ſtatutum. Quamobrem haud ita multo poſt Conſilio Credentiæ iterum cõuocato, cum Leonardo Fauentinorum prætore,qui Bononiam ea de cauſſa uenerat, nouũ fœdus percuſſum eſt,fide ultro, citroque data, bellum ſe omni conatu Imolenſibus illaturos,neque pacem, neque inducias iniuſſu Friderici, aut Gottifredi facturos, neque aliquid ſibi de urbe,aut ſuburbijs priuatim nolente altero quæſituros, captiuos ad communem utilitatem reddituros,aut inter ſe partituros, in ceteris à fędere antiquo non receſsuros. Poſt ſex dies Gottifredus reuertit, ac populi concione poſtulata, atque occentu campanæ conuocata dixit, Imolenſes præſcriptam diem paſſos eſſe abire in contemptum Imperatoris, ac ſui: rogauitque Imperatoris nomine,ac ſuo Giufredum,& Leonardum prætores, qui in concione aderant, ut pro honore Imperatoris, ac ſuo, & pro uindicanda Imperatoris iniuria bellum inirent. atque ita initum eſt. In Chronicis priuatorum inuenio (nam quæ hactenus ſcripſi,ex Actis publicis omnia ſumpſi)Bononienſes hoc anno ter in agrum Imolenſium incurriſſe, primum Ianuario menſe, unde poſt biduum redierint, iterum Martio, quo tempore per uiginti dies agrum uniuerſum fœda populatione uaſtarint,tertium menſe Auguſto, tum uero carrocium unà cum Fauentinis eduxiſſe, ac per dies circiter triginta quinque agrum tectis, arboribus,uineiſque nudaſſe, & Linario,Ceſtula, Caſula,Trentula, & Bagnaria caſtris expugnatis demum urbẽ ipſam circumſediſſe uſque ad XVI. Kal. Septembris. Dum autem caſtris ad Santernum amnem poſitis acri urbem obſidione premunt, Deoteſaluus Capellus Papienſis,ac prætores Parmæ, & Cremonę,cum Brixianorum, Veronenſium, Mantuanorum, Regienſium, & Mutinenſium oratoribus in caſtra adueniunt, ac Conſilium Credentię poſtulant. Conſilium confeſtim per pręcones, nunciòſque in Caſtellario, quod olim Sancasſiani fuerat, eſt coactum. Ibi primum Deoteſaluus loqui ingreſſus, Magdeburgenſis archiepiſcopi nomine, irrogata mille drachmarum auri mulcta pręcepit prętori, & ciuitati Bononię, uti obſidionem Imolę ſoluerent,atque exercitum intra finem mẽſis (is autem erat Auguſtus) inde abducerent. Ea re audita Giufredus admirationis plenus palam denunciauit, ſe non credere, eum Magdeburgenſis antiſtitis nuncium eſse, nec ſibi mulctam

dicere poſſet. Quod ſi poſſet, ſe ad Fridericum Imperatorem, & Honorium pontificẽ prouocare. Quibus rebus dictis prætores, & legati ciuitatum, qui aderant, ſubſequuti una omnes uoce nomine Magdeburgenſis ſummis contendere precibus cæperunt, ut ab obſidione recederent. Exequente inde Giufredo, ſe mirari, quòd cum precandi cauſſa Conſilium poſtularint, mulctam Deoteſaluus intenderit, excepêre illi, ſe ignoraſſe, Deoteſaluum mulctam eſſe dicturum, nec, ſi ſciuiſſent, permiſſuros fuiſſe, & ſe nihil tale eum mandati habere putare. atque his uerbis factis abiêre. Profectis illis Giufredus urbi acrius inſtare, atque omni expedito apparatu aſperius oppugnare. Quo metu tandem Imolenſes adducti legatos ad eum miſerunt, pacemque petierunt. Tum uerò Giufredus prætorem Fauentinorum adijt, atque ut ſaluo ſacramento de pace cum Imolenſibus componenda tractare poſſet, poſtulauit. Qua re ſimul etiam à Giufredo conceſſa legatos ad ſe uocauit. Progreſſi legati nihil aliud dixerunt, niſi ſe imperata Bononienſium, & Fauentinorum eſſe facturos, foſsas completuros, de agro ſuo tantum utriſque, quantum eis uideretur, daturos; pedeſtrem, atque equeſtrem operam eorum arbitrio nauaturos, atque Bononienſibus, & Fauentinis ſui cuſtodiam permiſsuros. illud tantum ſe eos orare, ne, dum exercitus apud Imolam eſset, foſsæ urbis replerentur, ne qua militaris in urbem irruptio fieret. Cõſilio utrinque agitato acceptę conditiones ſunt. Adiecére tãtum Fauentini, ut homines Caſtri Imolę Imola exirent, & ciues Imolę eſſe deſinerent, & ad ſuas poſseſsiones redirent, & pręcipue Caſtellarium Caſtri Imolæ habitarent, ſimulque in Generale Bononienſium, & Fauentinorum Conſilium compromiſſum facerent, atque in hæc uerba conſcriptæ tabulæ ſunt. Quo facto Giufredus à Coxio prætore Imolæ, ſuo, & Fauentini prætoris nomine poſtulauit, ut in concionem Bononię conuocandam progrederetur, ac ſecum homines de Conſilio Imolæ, & centum de primoribus ciuitatis ad pacem iureiurando firmandam adduceret. Negante autem, id ſe facturum eſſe, ac ſe magiſtratu abdicante Coxio, contraque Giufredo, ne abdicaret, intercedente, tum Imolenſes, qui aderant, interfati. Immo abdicet, inquiunt, ut primo quoque tempore prætorem Bononienſem, aut Fauentinum adipiſcamur, ac ſinguli omnia, quæ ſupra dicta ſunt, promiſerunt ſibi rata futura. Tum Giufredus conſenſu Leonardi, obſides centum quadragin-

ta, ne-

ta,neminem puerum,imperauit,captiuos Bononienſes,ac Fauentinos dimitti iusſit, &, ut intra Kal. homines Caſtri Imolæ, qui ab Imperio defecerant, urbe dimitterent, & in poſſesſionibus ſuis conſtituerent, & fidelitatis ſacramentum præberent, foſſas explerent,ualuas portarum urbis Bononienſibus,& Fauentinis permitterent.pręterea mulctas à Gottifredo irrogatas probauit,Imolenſes duobus millibus librarum Bononienſium condemnauit. Atque hæc omnia acta ſunt in caſtris iuxta Santernum in concione militum hoſtiliter apud Imolam conſiſtentium per præcones Bononienſium conuocata ad uexillum carrocij Bononienſis ibi locatum. Ita foueæ urbis complanatæ,& ualuę Bononiam deportatę. Hæc autem ubi Fridericus audiuit (nam ipſo inſciente facta omnia fuerant) ira percitus aduerſus Bononienſes fremere cępit, ac Giufredum prętorem ad aulam ſuam citari extemplo iusſit. Giufredus haud mediocriter ea re perturbatus, quanquam nullius ſe affinem culpę norat, tamen ire noluit, ſed pontifice appellato ex Conſilij ſententia nuncium, ac procuratorem ciuitatis ad Fridericum deſtinauit, qui ſe,ac ciuitatem apud Imperatorem,& Conſilium eius purgaret,quòd Imolam obſedìſſet,nam ſe ex mandato nuncij eius egiſſe,neque Deoteſaluum Magdeburgenſis antiſtitis eſſe nuncium credidiſſe.Fridericus autem neque prętoris, neque ciuitatis excuſationem accepit, uerùm in iracundia perſiſtens utriſque minitari acerbius inſtitit. Atque hęc res prima Bononienſium animos, quantum perſpici coniectura licet,à Friderici amicitia alienauit. Itaque ſuſpenſa ad harum rerum expectationem ciuitate prętor Septembris initio ex Conſilij ſententia edixit,ut qui aliunde in Bononienſem agrum migraſſent, ad uiginti annos a functionibus publicis immunes, ut ciuęs,eſſent,ſi oppidũ amplius uiginti familiarum conſtituiſſent,in perpetuum immunitate prętérquam boaterię,fruerentur,& conſules crearent,& prętorem acciperent,ut alia oppida agri Bononienſis,atque ordines pedeſtres, & equeſtres inirent à prima prętura Gulielmi Rangoni.Eodem anno ciuitas Mediolanenſis in duas,ut dixi,partes Nobilium, Populariumque diuiſa, illa Othonem Mandellum, hęc Ardigetum Marcellinum ſibi ducem aſciuit, atque agrum ſuum, qui adhuc ab hoſtibus intactus erat, hoſtilibus uaſtare direptionibus, atque incendijs inſtitit,Carrugo, Gluſſano,Pirouano,& Barzanora oppidis, fœdis utriuſque partis in ſemet ſæuientis armis,

opprefsis. Varijs prodigijs inſignis annus fuit. Stella crinita uiſa, Luna defectionem memorabilem paſſa, inaudita aquarum inundatione pecora,tecta,arboreſq; conſumptę.terra non ſolum in genti motu cõtremuit, ſed altisſimo quoq; mugitu concuſſa perſonuit.quo factum eſt,ut montium iuga nutauerint, domus,ac tẽpla multa corruerint, campanę nullius hominis impulſu crepuerint, flumina curſus ſuos naturales retorſerint, atque ad ipſos,unde manabant,fontes recurrerint.multi homines ubique fędа ędiũ ruina colliſi ſint. Pręcipue Bononię pręter cetera ędificia ipſa D. Petri baſilica magna ex parte procubuit. Brixię autem, cum urbs uno permota impetu ruere uideretur,amplius duo hominum millia ipſis parietinis attrita ſunt. Hæc in ipſis Domini Natalicijs diuinis perfectis officijs euenerunt. Fridericus conuentu Herbipoli habito Henricum filium ſuum annorum ferme duodecim regem Germaniæ creandum, ac mox Aquis per Engilbertum archiepiſcopum Colonienſem coronãdum curauit. inde nuncio dę reddita per uim à noſtris Damiata perculſus in Italiam redijt. ac, colloquio Verulis cum Honorio ea de re ſolicito celebrato, iterũ ſe inſtanti pontifici in orientem profecturum die ab Eccleſia Romana conſtituendo iurauit. ac conuentum Veronam de communi conſilio pro recuperatione Terræ Sanctę, & Imperij reformatione indixit. Inde in Apuliam, Siciliamque progreſſus Saracenis, qui defecerant, inſectandis incubuit. Poſtero, Bononienſes
1223 bellum ab eo timentes, rem accuratius conſtituerunt. Etenim, quemadmodum antiquitus urbem in quattuor tribus diuiſerant, ac ſuum cuique vexillum tribuerant,ſic agrum uniuerſum in totidem partiuerunt, ac ſingulas partes ſingulis quaternis tribubus ſubiecerunt. ad eamque rem curatores octo crearunt. Legem pręterea tulerunt,ut pagani pariter,atque urbani tributim ex cenſu exercitum alerent, ad hoc miniſtri parochiarum iureiurando aſtricti edicerent omnibus, qui per ętatem ferre arma poſſent, ut nomina in militiam darent. Terręmotu iterum Lombardia tota labefactata, eoque S. Franciſco in foro Bononię concionante, tecta ipſa aperte tremere uiſa. Per eoſdem dies Ioannes Brenna quondam rex Hieruſalem reddita Damiata,& rebus in Syria perditis anxius ſe in Italiam rettulit.ac Romam progreſſus à pontifice auxilium rebus Orientalibus implorauit,pro re huic expeditioni utilisſima ſuadens, ut rFidericus titulum regni Hieroſolymita-

ni acci-

ni acciperet, ſe illum ultro conceſſurum, ſi Iolantam filiam ſuam ſibi matrimonio ſociaſſet, atque ad regnum ipſum recuperādum ſe contuliſſet: non dubitare, quin, ſi ipſe opes eò ſuas omnes conuerteret, facile urbem Hieroſolymorum ad ius ſuum redigeret. Huic uerò ſic agenti Honorius aſſenſus Fridericum ex Sicilia reuerſum ad ſe Ferentinum acciuit, atque ei auctor fuit, ut Iolantam duceret, ac pro dote regni Hieroſolymitani titulum ſibi aſciſceret, quē ſolum Ioannes retineret. atque iterū ad iter in Orientem ſuſcipiendum hortatus eſt. Quorum illud ſe facturum primo quoque tempore dixit. Orientalem uerò expeditionem ad biennium ſe obiturum nouo ſacramento ſpopondit. inde cōuentu Veronenſi certis de cauſis in præſens omiſſo ſeſe in Apuliam rettulit. Ioannes autem in Franciam ad regem Ludouicum, atque inde in Angliam ad Henricum petendi auxilij cauſſa diſceſſit. Atque hæc quidem ferme in litteris Gregorij IX. pontificis ita ſcripta reperiuntur. Sequenti anno, uarie in Lombardia tumultuatum. 1224
Azo Ateſtinus exul, Ferrarię recuperandæ cupidus, rurſus Bononienſes, ceteroſque Eccleſię ſtudioſos aduocauit, ac nouo apparatu urbem, ut inde Salinguerram eijceret, oppugnauit. Salinguerra verò fraude agens, conſultò uerba de pace intulit, ac Ricardū Sanbonifacium cum alijs Azonis amicis in urbem ad rem tranſigendam admiſit, uerum extemplo ingreſſos adortus in cuſtodiam condidit. Qua re accenſus Azo Ferraria relicta ad Fractam caſtrū eius acceſſit, atque illa in poteſtatem adducta in prēſidium, & loci incolas ſe conuertit, atque ita ipſum ad Ricardum dimittendum, & pacem conciliandam adduxit. Veronēſes, & Ferrarienſes caſtrum Bondeni magno, ſed irrito, conatu circumſederunt. Mutinę ſęuis factionum certaminibus inteſtinum exarſit bellum. in quo pars turrim S. Geminiani occupauit, atque inde aduerſarios à ſe propellere inſtitit: ea res per prætorem mulctis grauiſſimis exactis inde compoſita eſt. Eodem anno VIII. Idus Iunij ſęua adeo grando è cœlo cecidit, ut non ſolum tecta ædificiorum labefecerit, ſed homines etiam multos afflixerit, Proximo, Iolantę 1225
ex Syria aduectæ pontifex coronam regni Hieroſolymitani in Vaticano impoſuit, eamque Fridericus præſens ſibi coniugem copulauit. ac cum biennium ad Orientalem ſuſcipiendam expeditionem ſumptum iam aduentare videret, cauſſis, cur proficiſci nō poſſet, explicitis triennium ad traijciendum popoſcit, inter cete-

ra præſeferens, uereri, ne ſe longe in Orientem profecto tota Lõbardia Mediolanenſium, ac Bononienſium inſtigatione deficeret. itaque rogare illum, ut Mediolanenſes ad ſui auctoritatem adduceret, quos ipſe nulla iniuria laceſſiſſet. Ita põtifex uoluntati eius obſequutus Henricum archiepiſcopum, & Andrigettum Marcellinum ipſarum partium duces Romam accerſiuit, atque eos VIII. Idus Iunij reconciliauit. Qua pace tranſacta, & ipſę domi factiones controuerſijs ad arbitrium prætoris ſui delatis in gratiam redierunt. Eius pacis conditiones à Corio longis effatæ carminibus exponuntur. Inde profecto in Apuliam Friderico, ex procerum ſuorum conſilio, ne tanti ad irritum caderent apparatus, Cardinales duos Pelagium epiſcopum Albanenſem, & Guallam presbyterum tt. S. Martini ad ūetera confirmanda cum Friderico ſacramenta miſit. Qui cum ad S. Germanum ueniſſent, ipſum pridie Idus Iulias præſentibus omnibus ſuis ex Germania principibus promiſſa redintegrare iuſſerunt. Ille uerò ſacris euāgelijs manu tactis iurauit ſe intra biennium menſe Auguſto in Orientem ſine ulla recuſatione properaturum, centũ milites ibi ſuo ſtipẽdio pro ſubſidio per duos annos habiturum, centum millia unciarum auri expenſurum, centum chelendras, & quinquaginta triremes ultra mare ducturum, ac duobus millibus militum crucesignatis ad traiectionem elargiturum, in animam ſuam iurare iubens, ſe hęc ſingula completurum, & ſponte conſentiens, in ſe, & regnum ſuum ſententiam ferri, ſi qua horum conditione temere decesſiſſet. Quo facto Cardinales in conſpectu principum, ac populi circumſtantis anathema in eum auctoritate apoſtolica protulerunt, ſi officio defuiſſet. His actis Fridericus in Lombardiã redire, &, quod nondum fecerat, regnũ illud formare feſtinans, conuentum Cremonam in proximum reſurrectionis feſtum edixit, atque has ad ſingulas ciuitates litteras miſit: *Qualiter iura Imperij pro uarietate temporis præcedentis conculcata iaceant, qualiter eius tranquillitas fuerit olim, & ſit uſque ad hæc tempora perturbata, uniuerſi de Imperio ſentiunt. Volentes itaque iura Imperij in ſtatum optimum reformare, ſubditorum oppresſionibus condolentes apud Cremonam, proximo die feſtiuitatis Reſurrectionis Dominicæ nunc inſtantis, de conſilio principum Palatinorum ſolemnem indiximus Curiam celebrandam. Quapropter uobis ſub debito fidelitatis, quo nobis aſtricti tenemini, firmiter, & diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ueſtros milites armis, & equis, qua conuenit diligentia, pra-*

paretis,

pareus, & , cum ad finitimas partes Imperij noueritis nos feliciter dirigere iter noſtrum, eoſdem ante noſtram præſentiam tranſmittatis de condigna retributione ſecuri, quia uobis, & ueſtris benemeritis curabimus reſpondere. Quia etiam Henricum filium regem ad eundem conuentum cum armato comitatu uenire iusſit, atque Imolenſes mœnia reficere, foſſas purgare, ſeque contra omnes Bononienſium impetus munire mandauit. Quæ quanquam ægre pasſi Bononienſes ſunt, tamen peſtilentia ſęuiente deterriti ſibi hoc anno negligenda duxerunt. uerùm concordiæ ciuili ſtudentes turrim Bartholomæi Baſacomatrę, cum altitudine ceteras ſuperaret, ne propter inuidiam ſeditionis aliquid excitaret, ex decreto Conſilij decuſſerunt. Sequenti ineunte anno, cum Friderici, atque Henrici armatus in Lombardiam aduentus in ore hominum uerſaretur, Mediolanenſes, & Bononienſes, ceterique Lombardiæ, Romaniolæ, & Marchiæ populi, qui non bono erga illum animo erant, de libertate ſua laborare cœperunt, ſi illi duos diuerſis è partibus inſtructos ad ſe exercitus adduxiſſent. ac propterea nuncijs inter ſe misſis fœdus antiquum aduerſus omnes, qui libertatem ſolicitare ſuam uellent, renouandum, atque Henrico ingreſſum in Italiam armis intercludendum cenſuerunt. Itaque legati, ac procuratores ſingularum ciuitatum, quæ fœdus inſtaurare cupiebant, VI. Nonas Martij in æde S. Zenonis ad Moſium Mantuani agri oppidum ex compoſito conuenêre, ac tabulas fœderis in hæc uerba ſcripſère. *Cum Fridericus Imperator Auguſtus Lombardis, Marchianis, Romaniolis, & eorum amicis poteſtatem olim conceſſerit fœderis inter ſe feriendi, &, quoties uellent, renouandi pro libertatis ſuæ defenſione, prout in tabulis ſcriptis Conſtantiæ continetur. atque eandem poſtea Henricus eius filius, & Otho Impp. confirmarint, ob eam rem N & N legati, ac procuratores Mediolani, Bononiæ, Placentiæ, Veronæ, Brixiæ, Mantuæ, Vercellarum, Laudis, Bergomi, Taurini, Alexandriæ, Vicetiæ, Patauij, & Taruiſij inter ſe fœdus fecerunt, idque ad annos XXV. obſeruaturos nomine ſuarum ciuitatum iurarunt. Sacramentum autem à rectoribus fœderis concipiendum erit huiuſmodi: Ego N rector huius, uel illius ciuitatis per ſancta Dei euangelia iuro, me bona fide functurum officio mihi commiſſo, & cum ceteris rectoribus conſenſurum in ijs, quæ ad libertatem, & commoda ipſorum fœderatorum pertinere uidebuntur, daturumque operam, vt hæc bona fide ſeruentur, neque in eorum damnum enunciaturum, neque aliquid aduerſas eos captu-* 1226

rum, lites ad me, & collegas meos delatas intra X L. dies iuſte terminaturum, & ante finem muneris mei ſucceſſorem mihi procuraturum, libertatem fœderatorum pro viribus meis conſeruatorum, nec quenquam niſi ex communi rectorum conſenſu violaturum. Eidem etiam fœderi Gottifredus Romaniolæ Comes, & Bonifacius Montisferrati marchio ſubſcripſerunt. Hæc acta inde à ſingulis confirmata ciuitatibus ſunt, communique conſilio, atque auxilio, Henrico ad Alpium ſaltus progreſſo aditus in Italiam eſt occluſus. Inde rectores ab eis creati Aprili menſe Mantuæ conuenerunt, atque hæc decreta fecerunt: *Nemo ex ciuitatibus fœderatis Imperatoris Friderici aula, aut aulicorum aliquo vtetur, neque iniuſſu rectorum ad eos ſcribet. prætor à fœderatis niſi ex numero fœderatorum non aſciſcetur, niſi aut Romanus, aut Venetus. ne quis quid ab Imperatore, aut à ſuis capiet. ſi quis fœderatorum aliquem violarit, perpetuo exilio mulctabitur, neque reſtitui poterit, niſi maior pars rectorum aſſentietur. qui ſecus fecerit, iram fœderatorum ſubibit. Nulli cum alio paciſci in damnum fœderatorum licebit. qui à fœdere publico diſcedet, pro publico hoſte habebitur. ſi qua ciuitas bello externo opprimetur, reliquæ omnes auxilium ferre, &, ſi feuda, aut poſſeſſiones ademptæ erunt, ad ea repetenda adeſſe rectorum arbitrio tenebuntur. nemo ex fœderatis intra annum prætor Cremonam, Parmam, & Mutinam ibit. qui ſecus fecerit, bona ſua amittet.* Dum autem hæc aguntur, Fridericus haudquaquam eorum ignarus ex Apulia in Romaniolam uenit, ac Rauennæ Paſcha celebrauit. Rauenna inde acceſſit Imolam, ac Bononia omiſſa Medicinam, ac Perſicetum eſt prætergreſſus. Lombardiæ inde fines ineunti ſoli Mutinenſes, Regienſes, Parmenſes, Cremonenſes, Haſtenſes, & Papienſes præſto fuerunt, atque antiqua officia præſtiterunt. Poſtremo Cremonam progreſſus conuentum, quem indixerat, ſed infrequentem, habuit. Iunio inde menſe adijt Parmam, ubi à multis nobilibus, & Comitibus, Lucenſibus, ac Piſanis, præcipue autem à marchionibus Malaſpinis eſt aditus, ex quibus aliquot equeſtri dignitate donauit. Inde Burgum S. Domnini legato pontificis Beurando epiſcopo Portuenſe comitante proceſſit. Cum inde Mediolanum proficiſci ad regiam coronam accipiendam uellet, à Mediolanenſibus auitas rurſus iniurias memorantibus repudiatus eſt. Itaque poſtquam gratiam ſe recuperare fœderatarum ciuitatum æquitate, ac blanditijs non poſſe uidit, ad acerbitatem conuerſus uniuerſas

Impera-

Imperatorio banno proſcripſit, ac per legatum pontificis ſacrorum interdicto ſubiecit. præcipue autem Bononienſibus gymnaſij ius ademit, ſtudioſoſque litterarum iuuenes Bononia abire, ac Neapolim ſe conferre præcepit, ubi gymnaſium collocauit, uerùm nemo ei dicto audiens fuit. inde beneficia, fidemque erga ſe Mutinenſium ſummam teſtatus p ronunciauit, ſe ſententiam, arbitriumque ſuperioribus annis de finibus agri inter Mutinenſes, & Bononienſes per Hubertum prætorem Bononiæ latum reſcindere, ac Mutinenſes in integram pagorum ſuorum poſſesſionem redigere, terminos utriuſque agri ueteres reſtituere, atque aquarum agri ſui unde, & quò uellent, auertendarum, ducendarumque ius dare. demum conuerſo itinere Reate ad pontificem ſe recepit, ac querelis ſuis de Lombardis expoſitis inde in Siciliam tranſijt. Quas res ipſe ferme in epiſtola ſic expoſuit: *Ferentini cum Papa collatione habita Curiam apud Cremonam indiximus, ad quam filium noſtrum cum multis Principibus Imperij noſtri vocauimus cum decenti militum comitatu, nihilominus de Italiæ partibus ducentes nobiſcum milites, prout Imperialis excellentiæ decus, & tantum negocium condecebat. Ex quo Lombardi nobis, & honori noſtro rebelles in ſpiritu contradictionis aſſumpti, & reprobum ſenſum dati, palliata occaſione timoris, propterea quòd armatorum conſortio fruebamur, nobis intendere, tanquam ipſorum legitimo domino contempſerunt, & ingreſſu in Italiam uiarum diſſicultate prohibito filium, & principes à noſtris aſpectibus ſubtraxerunt. inde ad exaggerationem nequitiæ adhuc occultæ malitiam manifeſtam adiecerunt, quòd contra nos, & Imperium conſpirantes nobis præſentibus, & contemptis coniurationes nefarias contraxerunt, & ſic deſiderata filij noſtri viſione fraudati in Apuliam redeuntes, quia præparatio paſſagij tranſmarini, ad quod tenebamur ex voto, tunc nos arctabat, cauſſam ipſam de ſatisfactione nobis, & Imperio facienda arbitrio ſummi pontificis commiſimus terminandam.* Eo profecto Bononienſes rati, Mutinenſium ciuitatem de recuperando agro ſibi à Friderico adiudicato cogitaturam, ut mature ei rei occurrerent, caſtrum in finibus ad Mutinam poſitis aduerſus quoſcunque eorum in ſe impetus condidêre. idque credo, quia libertatem ſe in eo bello ſuam tueri profitebantur, Caſtrumfrancum. appellauêre. nec longe inde caſtrum alterum Crepacorium ad diſrumpendum cor hoſtium muniuêre. Eodem anno IIII. Nonas Octobris S. Fran-

ciſcus Aſiſias ingenti miraculorum ſplendore præfulgens Aſi-
ſijs eſt mortuus. Sequenti, Fridericus Catana urbe Siciliæ lit-
1227 teras ad Magdeburgenſem antiſtitem Lombardiæ legatum mi-
ſit his uerbis: *Epiſcopus Mutinenſis à nobis petijt, vt caſtrum Pon-
tis Ducis in diæceſi ſua poſitum, & ad ius ſuum pertinens, quod Mu-
tinenſes, & Ferrarienſes, alijque diruerunt, reficere, & eiectos in-
de homines reſtituere pateremur. Quare tibi mandamus, vt prout
honorificum Imperio, & vtile Eccleſiæ eſſe cenſueris, hanc rem Impe-
riali mulcta indicta perduci ad exitum cures.* Quin etiam idem ſi-
ue ſponte ſua, ſiue pontificis auctoritate edictum indidem Ka-
lendis Februarijs edidit, in quo præfatus, diſcordiam Italiæ
Orientali expeditioni obfuturam, de qua pontifex magnopere
cum fratribus ſuis Cardinalibus laboraret, edixit, ſe propte-
rea ciuitatibus Lombardiæ, Romaniolæ, & Marchiæ, & Co-
miti Romaniolæ, & marchioni Montisferrati aduerſus ſe fœ-
deratis omnes iniurias condonare, priuatim autem Bononien-
ſibus gymnaſij ius exeptum reſtituere. atque ita Montisferra-
ti marchionem, & Gottifredum Comitem ad ſe traduxit. In-
de XV. Kal. Aprilis Honorio pontifice mortuo, Hugolinus Car-
dinalis ſuffectus, ac Gregorius IX. eſt appellatus, vir ſingulari
ſapientia præditus, & cum legum peritiſſimus, tum in publicis
apoſtolicæ ſedis negocijs gerendis exercitatus. Is ſacrum bel-
lum omnino perſequendum eſſe, eamque curam ad Imperato-
rem potiſſimum pertinere, exiſtimans, ſtatim Fridericum admo
nuit, ut quod ſæpius Honorio concepta in ſe religione ſpopon-
derat, neque unquam præſtiterat, aliquando tandem expleret,
atque hanc gratiam à ſe, atque ab omnibus Chriſtianis iniret,
vt ſanctum Chriſti ſepulchrum ex impiorum manibus extorque-
ret. Cuius monitis repugnare Fridericus neſciens, nec tamen iter
ſuſcipere uolens, expeditionem comparare in ſpeciem cœpit, ac
crucesignatos omnes Brundiſium ad diem Aſſumptionis conue-
nire, miſſis circumquaque nuncijs, iuſſit. Qui menſe Iunio fre-
quentiſſimi ex omnibus prouincijs occidentalibus confluxe-
runt. ſiquidem ex ſolo Anglorum regno ſexaginta ſe amplius
millia commouerunt. Quorum alacritatem, atque animorum
ſtudium conſpicatus ex alto Chriſtus ipſe ſe in vigilia B. Ioan-
nis Baptiſtæ è cœlo luce clariſſima clauis, ac lancea perfora-
tum, atque atro cruore perfuſum oſtendit, nihil aliud innuens,

quam ſe promptis eorum ſtudijs affuturum. cuius rei Pariſius auctor eſt. Ceterum, cum ſæuientibus æſtatis caloribus in terra Calabria uerſarentur, plerique graui tentari ualetudine cœpti ſunt. ex quibus magna pars æſtu, morbis, ſiti, atque omnibus incommodorum generibus perijt. inter quos epiſcopi Andegauenſis, & Auguſtanus, & Lantgrauius Thuringiæ emicuerunt. pars uerò grauiter affecta domum repetens in ſyluis, & campis ſtrata interijt. Reliqui nauigandi poteſtate accepta in feſto Aſſumptionis ſoluerunt, pro explorato habentes, Imperatorem ſecum eſſe nauigaturum. Ille uerò cum modico comitatu conſcendit; uerùm per triduum in mare prouectus repentè curſum conuertit, ac ſe neque maris iactationem, neque incommodam ualetudinem pati poſſe, aſſeruit. Qua re comperta X L. amplius millia ijſdem, quibus tranſuehebantur, nauibus in Italiam redierunt. Quod ubi Gregorius audijt, incredibili dolore unà cum omnibus Chriſtianis exarſit, cum uideret, mirificos rerum omnium apparatus ad nihilum unius Imperatoris crimine recidiſſe, ac ſpes, animoſque omnium Chriſtianorum in perpetuum hac ratione debilitatos, ac fractos eſſe. neque ſpem ullam Terræ Sanctæ recuperandæ amplius ſupereſſe. Quare doloris acerbitate compulſus ex conſilio Cardinalium, Fridericum in eas execrationes, quas illi, niſi paruiſſet, Honorius intentarat, incidiſſe pronunciauit, atque in eum hanc ſententiam protulit, atque ad omnes principes miſit: *Imperatorem Fridericum, qui nec transfretauit in termino conſtituto, nec illuc in taxatis paſſagijs præſcriptam pecuniam deſtinauit, nec mille duxit milites per biennium tenendos ad ſuum ſtipendium pro ſubſidio Terræ Sanctæ ibidem, ſed in tribus articulis manifeſte deficiens in deſcriptæ excommunicationis laqueum ultroneus ſe ingeſſit, excommunicatum quanquam inuiti publice nunciamus, & mandamus ab omnibus arctius euitari, contra ipſum, ſi contumacia eius exegerit, grauius proceſſuri. Confidimus tamen adhuc fore, ut recurrat ad matrem Eccleſiam, per humilitatem debitam, & ſatisfactionem congruam ſalutis remedia recepturus.* Qua re accepta Fridericus accenſus contumeliam ferre non potuit, ac protinus litteras ad eoſdem principes miſit, ſe purgans, & cauſſam omiſſi officij in aduerſam ualetudinem referens, Gregorium uerò acriter increpans, & de omnibus pontificibus Romanis grauiſſime, atque atrociſſime ſcri-

bens . quarum litterarum argumentum ex Vſpergenſis repeti hiſtoria poteſt . atque hæc prima pontificum extitit cum Friderico contentio , prout ipſe quoque in epiſtola ad regem Francię miſſa teſtatus eſt : *Gregorius nonus* , inquit , *ſub ea occaſione , quòd nos in termino nobis dato infirmitatę grauati tranſire nequiuimus ultra mare , contra iuſtitiam primitus excommunicationi ſubiecit* . Ex quo apparet , quę à quibuſdam contra Fridericum acta per Honorium referuntur , uana prorſus , ac commenticia eſſe . Eo anno Bononienſes Caſtrumfrancum paullo ante belli cauſſa inchoatum , uallis ita, ut defendi poſſet , firmarunt . Qua re permoti Mutinenſes caſtrum & ipſi contra id alterum obiecerunt , quod Leonem dixerunt . Sequenti inde ineunte anno uetus Veronę ſeditio in-
1228 ſtaurata . Icilinus à Romano à Monticulis quieſcere neſcientibus accerſitus itinere per uias niue altisſima obſitas inito, occulte Veronam acceſſit , atque eorum ope urbem ingreſſus Ricardum Comitem Sanbonifacij cum factione ſua deiecit , ac ſtatim pręturam urbis inuaſit . Quo audito prętores , ac rectores Lombardię ilicò aduolarunt , ac ſe pacis arbitros pręſtiterunt . Vterque & Icilinus , & Ricardus compromiſſo in Lanfrancum de Ponte Carali Mediolani prætorem facto indutias ad eius arbitrium pepigerunt . Icilinus inde domicilio Veronę conſtituto Vicetiam cum ſuis inuaſit , eaque potitus , Albergeto prętore depulſo, Albericum fratrem ſuum impoſuit , atque hinc clarere in Marchia nomen eius incœpit . Ceterum de huius origine hęc accepimus . Conrado I I. regnante Icilinus cognomento Balbus , origine Germanus , non modicas in Patauino agro opes , in primiſque caſtrum Onariam habuit . Hunc uerò Icilinus alter cognomento Monachus conſequutus paternæ ditioni Basſianum, & Romanum oppida adiecit , ac filios duos reliquit, Icilinum hunc, quem præcipue à Romano uocarunt , & alterum Albericum . Icilinus anno M C X C I I I I. natus potentia omnibus , atque immanitate præiuit . I I I. Idus Februarias . Gottifredus Romaniolæ Comes , tum Friderici partium fautor , Manciollinum Romaniolę caſtrum de Bononienſibus , præfecto inde deiecto cepit , præfectus Bononiam reuerſus homines triſti rei illius nuncio per ſe ſatis irritatos multo ſua pręſentia magis ex-

acerbauit. Populus caſtrum illud prætoris, atque Nobilitatis, penes quos reſp. eſſet, culpa amiſſum, non hoſtis potentia criminatus, uehementius in ipſum prætorem, ac totam Nobilitatem incenſus eſt, ac duce Ioſepho Tuſco ad prætorium ipſum clamore ſublato procurrit, atque ab Huberto, ut uexillum traderet, & ſe prætura abdicaret, efflagitauit. Quod cum ille ſe facturum negaſſet, Ioſephus ſub noctem in prætorium introrupit, ac refractis oſtijs, ſcrinijſque diſiectis tabulas publicas extraxit, ac campanam tumultuoſe percuti, prætore, atque militibus fruſtra reluctantibus, iuſsit. Concione autem populi aduocata placuit nouam reip. formam in ciuitatem inuehere, ac Populum inſtituere. Populum autem uocarunt remp. in populi poteſtate, atque Imperio poſitam, quæ Communi (id enim optimatum erat) opponeretur. Itaque ab hoc tempore, ut utraque reſp. comprehenderetur, Commune, & Populus Bononiæ dici cœptum. Magiſtratus autem, qui huic præpoſiti reip. ſunt, fuêre prӕfectus, quem Capitaneum populi appellarunt, Antiani, conſules mercatorum, & magiſtri collegiorum, ſiue ſocietatum. Conſilia uerò, quæ illam tenuerunt, fuêre Paruum, & Magnum, ſiue Populi, & Maſſӕ populi dictum. Ac Paruum quidem, ſiue Populi Conſilium inierunt Antiani cum conſulibus mercatorum, atque argentariorum, quos illi campſores uocabant, magiſtri ſocietatum, artium, atque armorum, uexilliferi populi, eorumque conſiliarij. Magnum uero, ſiue Maſſӕ populi ingreſsi ſunt miniſteriales, conſiliarij, ſocietates artium, armorum, argumentariorum, & mercatorum. Vulgo autem cum vtrunque complecti Conſilium voluerunt, Populum, & Artes dixerunt. De prӕfecto, & Antianis illud poſſum dicere, Florentinos, & Genuenſes populari rep. inſtituta per hӕc tempora & ipſos prӕfectum, & Antianos in remp. induxiſſe. Prӕfectus autem in populari rep. idem ualuit, quod prӕtor in optimatum. Antianos uerò in urbibus Italiӕ inſtitutos ſcribit auctor libri de regimine principum, qui D. Thomӕ Aquinati tribuitur, cum tamen tempora D. Thoma citeriora commemoret, ut prӕſidio eſſent plebeijs, perinde atque Romӕ fuêre tribuni plebis. Hӕc autem Conſilia prӕfectus ad occentum campanӕ, uocemque prӕconis aduocauit, aut prӕfecti permiſſu etiam prӕtor. Has duas reip. formas in alijs quoque Italiӕ ciuitatibus initas, ſatis conſtat.

Itaque

Itaque in urbibus adhuc multis Poteſtas, & Capitaneus iura populo moderantur. Atque hæc quidem cęcis uetuſtatis latebris abdita adeo ad eruendum difficilia ſunt, ut à nemine cognoſcantur. Nam & commentarij, quibus res huiuſmodi mandabantur, aut nulli omnino ſuperſunt, aut, ſi qui ſunt, nullam rerum ignotarum explicatam narrationem continent. à ciuitatibus uerò tanta quaſi religione ſeruantur, ut nemini eorum copia præbeatur. Interim Fridericus probris indigne iactis in pontificem non contentus, ſubinde ſeſe non ad emendandam culpam, ſed ad uindicandam iniuriam contulit, atque inſidias pontifici, & ditioni pontificiæ comparauit. Nam Frangipanes, atque alios nobilitate, opibuſque in vrbe præſtantes ad ſe vocatos Imperij beneficiarios ſe inſtituere uelle oſtendit. quod cum illi annuiſſent, tum omnia caſtra, ac prædia eorum pretio perſoluto coemit, ac mox eadem illis feudali ſacramento aſtrictis donauit. inde tacitum mandatum dedit, ut Gregorium urbe occaſione quæſita deijcerent. Quare illi expectato tempore, dum pontifex in cœna Domini execrationem in Fridericum ex inſtituto redintegraret, populum in eum concitarunt, atque urbe exactum Peruſiam confugere compulerunt. Ex altera uerò parte ipſe Eccleſiam, atque homines Eccleſiæ deditos uarie diuexare, Patrimonia apoſtolicæ ſedis per ſaracenos inuadere, Hoſpitalis, & Templi manſiones per Thomam Comitem Acerranum expilare, ac priuilegijs pontificijs ſpoliare, demum bellum in Etruria, Ducatu Spoletano, & Beneuentano, & Anconitana Marchia concitare, atque earum regionum oppida uarijs impreſſionibus oppugnare: prout ipſe Gregorius in epiſtola ad legatum ſuum miſſa conqueſtus eſt. Gregorius uerò haudquaquam ſe in tanta rerum iniquitate deferens Ioannem Brennam, ſocerum eius, qui ad famam Syriacę expeditionis accurrerat, iampridem illi infenſum, Romaniolæ, Marchięque tuendæ præfecit, qui rem bene prompto Lombardorum auxilio geſſit. Menſe inde Auguſto Fridericus Iolanta coniuge amiſſa, magna copiarum parte in Sicilia ad Eccleſias conuellendas relicta, Syriam uerſus contendit, & in vigilia Natiuitatis B. Mariæ ad Acon vrbem peruenit. Quod vt Gregorius audijt, multo uehementius inflammatus, quòd ſine recuperatione eccleſiaſticę gratię, & ſine diligenti rei maritimę apparatu ad tantum bellum profectus eſſet, Apuliam

per Ioannem Brennam contra Rinaldum Ducis Spoletifilium uicarium ad affligendas eccleſias ab eo relictum inuaſit. prouincias uerò ſuas per alios duces defendere inſtitit. Quin etiam idem Lombardos fœderatos ad amicas eius ciuitates belloadoriendas legato Gaufredo presb. Card. tt. S. Marci Mediolanum miſſo accendit. Itaque ab hoc tempore Italia aperte in duas partes diſtracta, alijs Imperij, alijs Eccleſiæ auctoritatem ſequentibus. quorum Guelfi hi, Gibellini illi vulgo uocati. quę factiones nuper ex Germania traductę Italiam per multos poſt annos obtinuêre, atque ad ultimum exitium redegere. Neque enim ſolum alię ciuitates Imperatorem, aliæ pontificem ſequutæ infeſtis inter ſe animis decertarunt, ſed in ipſiſmet etiam urbibus eò furoris, ac ueſaniæ proceſſerunt, ut alij Eccleſiæ, alij Imperatori ſtuderent, ac ſe inter ſe pellere vrbibus, & ſpoliare bonis, inexpiabili odio ſtimulante, contenderent. Rectores autem Lombardiæ, cum tempus ineundæ cum Lombardis ſocietatis præſcriptum abijſſet, Alexandrinis, ut Haſtenſes in numero hoſtium haberent, Bononienſibus, ut Mutinenſes bello aggrederentur, mandarunt. Ita Bononienſes ſedata ſeditione, ac leuatis ex pręſentis æſtatis fructibus ſuperioris anni calamitatibus, arma Mutinenſibus intulerunt, atque initium ab oppugnatione Badiani ſumpſerunt. Badianum caſtrum eſt ad radicem Apennini cis Scultemnam locatum, iam inde à Bonifacij Mathildæ patris temporibus notum, eo uerò tempore in ditione Mutinenſium ſitum. Ineunte Octobri Ioſephus præfectus cum carrocio exijt, atque eò & copias ſociorum, & domeſticum apparatum omnem abduxit. carrocij cura Fabio Lambertacio erat commiſſa; caſtrum cum ualido Mutinenſium præſidio teneretur, maxima obſideri diligentia cœptum. Hoc nũcio accepto continuo Badiani auxilio Mutinenſes, Parmenſium, & Cremonenſium aſſumptis equitibus, accurrerunt, atque non longe a caſtris Bononienſium conſederunt. Dum autem utrique ad Badianum exercitus ſedent, atque occaſionem bene gerendæ rei in dies expectant, Bononienſes miſſis cohortibus, ac turmis aliquot Vincolam Mutinenſibus, Mutinenſes re cognita Plumatium Bononienſibus VI. Idus Octobris eripuerunt. atque utrique continuo Badianum repetierunt. Manente autem adhuc obſidione Mutinenſes extremum tentare auxilium decreuêre. Itaque enixe adiuuantibus ſocijs tantum uirtute perfece-

re, ut inuitis hoſtibus Badianum nouis præſidijs, commeatibuſque muniuerint. Quare lętitia, ac cupiditate elati ſuos, & ſociorum equites in agrum Bononienſem induxerunt, ac uillis omnibus eorum comburendis uſque ad Rhenum peruenerunt, ibique per ocium, nemine ex vrbe occurrente, aquati ſunt. Inde cum ad Badianum prope ludibundi redirent, in pago S. Mariæ in ſtrata in equitatum Bononienſium, qui eos à Badiano conſectatus erat, præter opinionem inciderunt. Primum agmen Cremonenſium erat, qui a Bononienſibus recentibus, atque iratis petiti, cum impetum ſuſtinere non poſſent, in fugam ſe coniecerunt. ac ſine dubio deleti omnes fuiſſent, ni Parmenſes, qui proxime ſequebantur, ſtatim, & poſtremo Mutinenſes ſubſidio ſuccurriſſent. Pugnatum eſt autem, ſi quando aliâs, acriter, nec per hæc tempora pugna alia equeſtris fuit aut fama nobilior, aut ſtrage accerbior, multis utrinque captis, non paucis etiam vulneratis, atque occiſis. X V I. inde Kal. Decembris Mutinenſes tædio diuturnæ ad Badianum ſeſſionis affecti Parmenſibus aſſumptis ad Spilambertum ſe rettulerunt, & caſtrum Montis Budelli captum cremarunt. Quo facto Bononienſes felici ſucceſſu hoſtium perturbati, atque imminentis hiemis difficultatibus territi, ſequenti nocte Badiano receſſere, atque ibi præ aſperitate uiarum bellicum omnem, & tentoriorum, & machinarum apparatum reliquêre. XIII. inde Kal. Ianuarias cum ad Caſtrumuetus oppugnandum contendiſſent, pariter accurrentibus Mutinenſibus inani incœpto abiêre. Re haudquaquam ad Badianum ex ſententia geſta populus Bononienſis tantum indignationis, atque iræ contraxit, ut Rolandum Formainum Plumatij præfectum ſequenti menſe in urbem reuerſum, cum Plumatium Mutinenſibus pretio accepto prodidiſſe vulgo argueretur, in curia Communis inuaſerit, ac per tumultum fœde confoderit. Bonifacius marchio Montisferrati Mediolanum ad dicendam cauſſam citatus, ubi non affuit, exilio, boniſque mulctatus eſt. Icilinus poſt Veronam, & Vicetiam in Patauinos conuerſus eos caſtro fontis orbauit. Quod illi inultum ferre nolentes repente carrocium ad Basſianum eius oppidum oppugnandum cum exercitu adduxerunt. atque admotis caſtris neque Ducis Venetiarum, neque Rectorum Lombardiæ auctoritate inde recedere, niſi caſtro fontis ſibi reddito, uoluerunt. Eo anno Gregorius Peruſia Aſiſium progreſſus magnitudine mira-

culorum à S. Franciſco mortuò editorum commotus ipſum menſe Iulio in numerum Diuorum conſecratione ſua redegit. Proximo, Fridericus indutijs cum Soldano in decennium pactis uaſtatam urbem Hieroſolymorum ab eo, templo S. Sepulchri excepto, recepit, atque in die Annunciationis illud ipſum ingreſſus ex ara maiore regiam ſibi coronam impoſuit, atque ibi Paſcha peregit. Inde certior à ſuis factus de bello cõtra ſe in Apulia concitato VI. Non. Maias furore ardens è Syria ceſsit, atque extremo menſe in Apuliam reuerſus armis rebelles, & aduerſarios perſequi ſuos cœpit. atque hunc finem quinta Orientalis expeditio habuit. Eodẽ anno fœderatæ ciuitates Veronam legatos ad conuentum miſerunt, ac cõmuni decreto uetera cum aduerſarijs populis cõmercia ſuſtulerunt, eiuſque obſeruandi curam prætoribus ciuitatum ſingulis commiſerunt. Bononienſes autem duo bella cum duobus uicinis populis, & quidem Friderico amicis, Imolenſibus, Mutinenſibuſque geſsêre. Imolenſis obſcurior fama eſt, illud enim tantum in Actis inuenio, Aliprandum prætorem ineunte Aprili facultatem Carneuario prætori Fauentino ineundi Imolenſis agri dediſſe, atque ab eo uiciſsim accepiſſe. Cum Mutinenſibus res geſtæ ut maiores, ſic hominum memoriæ commendatiores. Bononienſibus, Badiani oppugnatione omiſſa, caſtrum alterum in eadem regione, nomine Sancęſarium, uiſum eſt adoriri. Itaque exeunte Auguſto aduocatis ſociorum auxilijs, & carrocio educto prætor eò perrexit, ac maiore, quàm Badianum, rerum omnium apparatu oppugnare inſtituit. Neque uerò Mutinenſibus ad defendendum ſtudium, atque alacritas defuit. profecti etiam ad eius rei nuncium propere Cremonenſes, & Parmenſes ſocijs animos addiderunt. Parmẽſes carrociũ quoque eò ſuũ adducere, atque Bononienſi opponere uoluêre. Prætor cum ſe firmo aduerſus hoſtium impetum uallo ita muniſſet, ut ab eis lędi non poſſet, machinis, operibuſque admotis oppidum uerberare adortus uſque eò contendit, ut paucis diebus in conſpectu hoſtium expugnarit, atque omnes, qui in præſidio erant, in poteſtatem adduxerit. Eius rei dolore Mutinenſes, ſocijque accenſi ſequenti nocte ultro uniuerſi in Bononienſes impreſsionem fecerunt, ualloque ſuperato ad prælium compulerunt. Ita magno utrinque animorum ardore pugnari cœptum. Bononienſes haudquaquam de ſe ueriti iam inde ab initio Parmẽſium car-

1229

rocium ſibi expugnandum animis deſtinarant (nam magna pars laudis tum in potiendo carrocio uerſabatur) itaque machinas, quas manganellas uocabant, nouo exemplo in plauſtra impoſuerunt, atque ijs ad carrocium admotis tela omnis generis in eos, qui in carrocio erant, contorquere cœperunt. Quod cum aſsidue per aliquot horarum ſpatium effeciſſent, omnes ex eo cuſtodes præter unum Iacobum Houerium deturbarunt. is cum à ſuis, ut deſcenderet, demonſtrato mortis periculo, moneretur, reſpondit, ſe nolle deſcendere, ſed pro ſuę honore reip. uelle in curru patrio mortem obire. Dum autem Bononienſes carrocium captiuū abducere parant, Cremonenſes citato agmine aduolant, atque in Bononienſes inuadunt, & carrocium ijs, qui tenebant, diſiectis recuperant. Hos propere Parmenſes ſequuntur, prœliumq; coniunctis cum Cremonenſibus armis redintegrant, ac machinas Bononienſibus omnes eripiunt. Neque ſegnius Mutinenſes ex altera parte ſe inferunt, & quod Bononienſes à Parmenſibus, & Cremonenſibus iam premi, atque in fugam dari videbant, ad carrocium eorum tanti parandi decoris cupidi pergunt, atque inclinata iam Bononienſium re, facile in poteſtatem adducunt. Ita Bononienſes machinis, carrocioque amiſsis domum ex re male geſta mœſti redierunt. Mutinenſes Sancęſario conſeruato erecti cum carrocium Bononienſium nobilis uictoriæ monumento abducere uellent, Parmenſium auctoritate permoti deſtitêre, cum dicerent, illuſtrem ciuitatem non eſſe tanta ignominia afficiendam, neque grauiore iniuria prouocandam. Ita carrocium magna ex parte diſiectum Plumatij ab eis relictum. Parmenſes autem neglectis, quas Mutinenſibus tradiderant, officij, atque modeſtiæ legibus, machinas à ſe partas Parmam deuexerunt, eiſque Baptiſterium, Epiſcopium, & Baſilicam non obſcuræ gloriæ gratia exornarunt. Quibus rebus haud contenti Mutinenſes, ut Bononienſium ſata corrumperent, ingentes Scultemnę amni moles obiecerunt, atque alueo nouo effecto aquam eius auerterunt, & in agros hoſtium immiſerunt. His cladibus ultro, citroque allatis uehementer Gregorius pontifex perturbatus Nicolao epiſcopo Regienſi mandauit, ut has ciuitates ad concordiam, quoad poſſet, adduceret, litteris ad eum in hanc ſententiam datis: *Conſiderantes quam multa ex bello, quod inter Bononienſes, ac Mutinenſes geritur, præter ſtrages corporum, diſpendia fortunarum, & pericula anima-*

rum,

rum, alia praterea immineant detrimenta, his apoſtolicis litteris tibi pracipimus, vt vtranque ciuitatem adeas, eamque monitis, ac precibus ad pacem, aut certe longas indutias paciſcendas adducas, qui uerò tua pracepta reſpuerint, in eorum ciuitatem interdictum, in pratores, ac Conſilium ſacram deteſtationem omni appellatione remota intendas. Peruſia III. Idus Octobris pontificatus noſtri anno III. Quibus litteris Nicolaus obediturus vtranque ciuitatem adiuit, & cum earum prætoribus in Conſilijs Generalibus colloquutus, ut ſe præceptis ſuper hac pare ſuis obſequuturos iurarent, euicit. Exeunte Nouembri in palatio Communis Bononiæ præſentibus Henrico epiſcopo, & magiſtro Tancredo archidiacono, fratre Gualla ordinis Prædicatorum, Ventura Priore fratrum Prædicatorum S. Nicolai, & alijs, Aliprandus Faba prætor, cum curia, & Conſilio Generali ad ſonum campanę more ſolito aduocato uoluntate, & iuſſu totius Conſilij, & ipſum Conſilium totum conſtituerunt D. Mercatantem Iudicem, & Ioannem Tanſum procuratores ſuos ad recipiendas obligationes pro Communi Bononiæ à prætore, & Communi Mutinæ, & à Conſilio Generali, & ab omnibus ciuitatibus, quibus epiſcopus Regienſis præciperet, ſeruare indutias pro ſe, & Communi Mutinę. ſtatueruntque ut quidquid illi egiſſent, prætor ratum haberet, & curia, & Conſilium totum. Quibus rebus perfectis Nicolaus XI. Kal. Ianuarias ita pronunciauit: *Ego Nicolaus epiſcopus Regienſis ex mandato D. Gregorij pontificis ad pacem, aut longas indutias inter Bononienſes, & Mutinenſes componendas delegatus receptis à pratoribus, & Conſilijs vtriuſque ciuitatis ſolemnibus ſacramentis de indutijs inter ſe ſeruandis, & captiuis reſtituendis, ex formula compromiſſi dico, pracipio, arbitror, & iudico ab hodierno die uſque ad Kal. Ianuarias primas, & à Kal. Ianuarijs primis uſque ad octo annos expletos, ipſi indutias inter ſe ſeruent, ita ut nec ſe inter ſe detrimentis vllis afficiant, & tutos tranſitus prabeant. Legantur etiam ab vtraque parte bini, qui lites, ſi qua inciderint, iudicent. caſtrum nullum nouum intra tempus indutiarum iuxta fines per duo millia paſſuum conſtruatur. exules in finibus uerſari non permittantur, neque adiuuentur, qui arma alteri horum intulerint, ſi bellum in finibus erit. Mutinenſes, Parmenſes, & Cremonenſes, qui contra Bononienſes ſteterunt, proſcriptorum numero à Bononienſibus eximantur. itemque Bononienſes à Mutinenſibus. Mutinenſes aquam Sculternæ, quam in agrum Bononienſium detorſerunt, coerceant vſque ad Kalen. Ian. proximas, & per*

ipſum indutiarum tempus ſuo manare flumine ſinant. Qui uerò non obtemperauerint, pontificia auctoritate à piorum communione ſuſpendo, Actum ſupra limen ædis S. Egidij ad Mutiam præſentibus fratre Gualla legato pontificis in Lombardia, Raymundo abbate Nonantulano, Tancredo archidiacono Bononienſi, Benedicto abbate S. Petri Mutinæ, Hugone Lupo prætore Cremonæ, & Caualcaboue Parmæ, ac Parmenſium, Cremonenſiumque legatis. VI. Kalen. in Generali Conſilio Aliprandus prætor nomine ipſius Conſilij induțias ſe ſeruaturum promiſit. poſtridie uerò eodem Conſilio per campanam à prætore aduocato idem præcepit omnibus de Conſilio, qui ſacramentum procuratori Communis Bononiæ de tuendis induțijs dixerant, ſecederent in partem occidentalem Palatij, & facta ſeceſſione, qui erant in parte Orientali eodem, quo prætor, ſponſionis ſacramento ſe obligarunt. Inde ab armis ocium per quadriennium fuit. Hæc tam accurate ex Actis utriuſque ciuitatis expreſſi, non quòd tantam diligentiam ad rem præſentem admodum pertinere putarem, ſed ut conditionem, ac morem illorum temporum minutis his rebus, ut ſæpe aliàs, perſequendis, uerisſimis Actorum teſtimonijs comprobarem. Varijs hæreſibus ex Gallia Mediolanum tranſlatis, ex Conſilij, & Gaufredi legati ſententia Bonacurſius prætor omnibus hæreticis exilium indixit, qui in urbe, agroque poſiti eſſent: ſtatuitque ut ab omnibus comprehendi libere poſſent, domus eorum euerterentur, fortunæ publicarentur, atque ij, apud quos eſſent, certa pecunia mulctarentur, & ut bini in ſingulis tribubus fratres ex ordine Prædicatorum, & Minorum à præfectis ſuis dati conſtituerentur, qui auctoritate archiepiſcopali ipſos indagandos, & corripiendos curarent; prætor autem eos impenſis publicis perduceret, quò archiepiſcopus ſtatuiſſet. Per eoſdem dies Icilinus Taruiſium tentare uolens ciuem ſe à Taruiſinis aſcribi curauit: ac mox populum illum ad diripiendos agros Feltrini, & Bellunenſis epiſcopi duxit. Quod ubi Patauini cognouerunt, ad quos illorum agrorum defenſio pertinebat, tantam iacturam ſibi non eſſe ferendam putantes Kalen. Maij ad Taruiſinos ulciſcendos cum carrocio prodierunt, ac mox agro eorum fœde uſque ad urbis mœnia populato, neque hoſte ullo inuento domum ſe receperunt. demum Fratre Gualla epiſcopo Brixiano pontificio legato, ac Rectoribus Lombardiæ ſe interponentibus, ſartis utrinque damnis ab armis diſceſſum. Pacata inde Marchia

opportune frater Antonius Vlyſiponenſis ordinis Minorum, qui poſtea S. Antonius Patauinus eſt appellatus, aduenit, ac concionibus ſuis doctrina, ac pietate refertis plurimum omnes ad colenda mutua caritatis officia incitauit. Ceterum Veronæ prior ſeditio rurſus exarſit. Quippe in die Paſchatis factiones duę quietis impatientes armis inter ſe in campo Martio concurrerunt, ac cruento utrinque certamine edito ſuas quiſque domos ſe rettulerunt. Rinerius autem Zenus prætor, uerens, ne nouis miſcendis prœlijs urbs extremo diſcrimine uaſtaretur, principes partium urbe exire præcepit, ac Ricardum cum ſuis Venetias, Icilinum uerò cum Monticulis in alias ciuitates dimiſit, neque inde iniuſſu ſuo abire mandauit. IV. Nonas Decembris moderatores, prætores, ac legati ciuitatum fœderatarum Mediolani conuenêre, atque in pręſentia Henrici archiepiſcopi, Gaufredi Cardinalis legati apoſtolici, & fratris Guallæ de fœdere rettulere. Dictis ab omnibus ſententijs, uniuerſi conſenſu maximo cenſuere, ut fœdus renouaretur ijſdem conditionibus, quibus ad S. Zenonem ictum annis ſuperioribus fuerat, atque in id ſingularum ciuitatum moderatores, legati, prætoreſque iurarunt. Patauini tamen, & Veronenſes, licet adeſſent, iuraſſe non referuntur. Ineunte inde anno MCCXXX. Fridericus à marchione Montisferrati, & Comite Subaudię accerſitus in Romaniolam uenit, ac Foriliuij Papienſibus creandorum conſulum poteſtatem ſacramento apud ſe, & ſucceſſores ſuos dicendo conceſsit. inde Rauennam progreſſus XIX. Kalen. Februarias ſociarum ciuitatum oratores, ac prætores de aſsiduis, ac grauibus fœderatorum in ſe iniurijs conquerentes audiuit, ac ſe, ubi primum res cum pontifice compoſuiſſet, eorum temporibus non defuturum, oſtendit, tum in Apuliam reuerſus in Quadrageſima finem oppidis ſuis recuperandis impoſuit. ac conuentu Capuæ acto ex principum ſuorum conſilio indutias à pontifice poſtulauit. quibus impetratis haud ægre inde pacem quoque obtinuit. Ita cum pedes ipſum Anagniæ conueniſſet, non ſolum ab eo inflictis execrationibus abſolutus, ſed ad conuiuium etiam per triduum comiter eſt adhibitus. Mediolanenſes interea, conatibus hoſtium exploratis, Placentinorum auxilijs accerſitis in fines Montisferrati duxerunt. ac caſtro Mombaruccio in-

(margin: 1230, beside "Ineunte inde anno MCCXXX")

genti mole oppugnato marchionem ad ſua facienda imperia compulerunt. inde Haſtenſium agrum ingreſſi ipſum uſque ad urbis mœnia peruaſtarunt. tum Pedemontio contra Comitem Subaudiæ inito ſummo cum eo prælio conflixerunt. uerùm Huberto Ozeno duce amiſſo domum reuocati ſunt. Veronæ autem cum Matthæus Iuſtinianus prætor primores ciuitatis eò redire uellet, quò Zenus relegarat, atque ea de re tumultuoſius à partibus ipſo præſente in palatio ageretur, Icilinus omnis prorſus fœderis neſcius incautum ab huiuſmodi fraude Ricardum comprehendit, atque in carcerem condidit, & Matthæum ipſum honore præturę deiecit, eique Salinguerram ſubſtituit. Extorres cum ſe Sanbonifacium contuliſſent, Fr. Gerardum Rangonum ſpectatæ uirtutis uirum prætorem Mutina accerſiuerunt. Is Matthæo aſſumpto Patauium ad Stephanum Badoarium prætorem acceſſit, atque ab eo, ut iuſta arma pro Ricardo liberando, & Matthęo reſtituendo caperet, impetrauit. Ita Badoarius menſe Septembri cum carrocio Liniacum proceſſit, agrumque late ita uaſtauit, ut unum clibanum tantum reliquerit. Inde Ripaltam aggreſſus cepit. nec tamen his detrimentis Icilinum ad ęquitatem adducere aliquam potuit. Quod ut frater Antonius Vlyſſiponenſis animaduertit, miro ſtudio caritatis accenſus Veronam ilico properauit, ac ſummas pro Ricardo preces ingeſſit. uerùm nè ipſe quidem quicquam profecit. Quare Patauium progreſſus in paupere tugurio prope pagum S. Petri conſedit, atque in arboris opacę ſinu conſiſtens ibi ſacra uolumina lucubrare perrexit. Bononienſes Caſtrumfrancum lapideis muris munire, ac Crepacorium bello euerſum inſtaurare cœperunt. Mediolani Henricum archiepiſcopum uita functum Gulielmus Rozulus archidiaconus eſt ſequutus. Eo anno uniuerſa Lombardia ab aquarum inundatione fuit infeſta. nam imbribus continuis amnes ita creuerunt, ut agros prope omnes obruerint, ſegeteſque corruperint. Poſtero, Mediolanenſes, ut Huberti ducis ſui ne-
1231 cem ulciſcerentur, ad Padum cum ſocijs prodierunt, ac, claſſe marchionis Montisferrati intercepta, traiecto amne, caſtella eius plurima occuparunt. Inde cum oppugnationem Cliuaſio applicuiſſent, Ardico Marcellino amiſſo domum repetere iuſſi ſunt. Azo uerò Ateſtinus ultorem ſe Ricardi profeſſus,

Patauinis, ac Mantuanis adiunctis, à duabus partibus in agrum Veronenſem inuaſit, eoque direpto urbi obſidionem admouit, neque eam ante ſoluit, quam Icilinus Ricardum liberauit. Qua re Patauini, & Veronenſes erecti legatis Mediolanum miſsis petierunt, ut ſe iterum fœderi ſociarent, idque Icilino aſſentiente facile impetrarunt. Bononiæ Fridericus Lauellongus prætor nonnullas Lombardorum familias aduerſariæ factionis potentia domo pulſas, cum Bononiam commigraſſent, in urbem accepit, atque eis Altedenſem, & Minerbianum agrum pretio duarum millium librarum accepto aſsignauit, ac loca in urbe ad ædes conſtruendas attribuit. Iam enim ſimultates Guelforum, & Gibellinorum ita exarſerant, ut una ambo contineri urbe non poſſent. Atque hæc peſtis præcipue ſocias Friderici ciuitates inuaſerat, Mutinam, Regium, Parmam, Cremonam, Derthonem, & Papiam. ex quibus, qui Eccleſiæ ſtudebant, potentia aduerſariorum oppreſsi tandem eiecti ſunt. Bononienſem uerò ciuitatem diuerſa longe ſeditio fatigauit. Henrico epiſcopo decimas frugum inueterato iure exigenti ciuitas occurrere ſtatuit. Ea de re epiſcopus ad pontificem confugit. pontifex arbitrum ad id cognoſcendum Palmerium canonicum S. Auguſtini à Campaneola dedit. Palmerio autem arbitrium aduerſus ciuitatem pronunciare cunctante, accidit, ut cædes in caſtro Perſiceto commiſſa ſit. Quod ubi epiſcopus audiuit, continuo miniſtros ſuos ad eam rem inquirendam immiſit. Prætor autem, ut ius ſuum retineret, ſuos & ipſe miſit, ac miniſtris epiſcopi mulctam, niſi incœpto deſiſterent, atque inde recederent, dixit, homineſque amplius centum ex caſtro ad ſe uenire, & apud ſe ſacramentum dicere iuſsit. Tum Gregorius harum rerum certior factus Idibus Martij litteras ad Palmerium dedit, eumque ſine cunctatione pronunciare præcepit. Quibus de rebus incenſus Fridericus prætor ex Conſilij ſententia omnia epiſcopi caſtra inuaſit, Perſicetum, Vnciolam, Maxumaticum, Podium, Doliolum, Caſtrum epiſcopi, & alia, itemque ripaticum ei Dolioli eripuit, & hoſpitali pontis noui Rheni rectorem nouum, uetere ab epiſcopo dato remoto, impoſuit, &, ne quis laicus in caſtris epiſcopi pro epiſcopo Gaſtaldiatum exerceret, nec clericis more ſolito nuncij ad repetendas decimas darentur, edixit. ob eam rem Palmerius arbiter

in Fridericum prętorem, totamque cohortem eius, prętereain conſiliarios ciuitatis, Antianos, magiſtros artium, armorum, & uicorum execrationis, epiſcopus uerò etiam interdicti ſententiam promulgauit, ac ciuitatem peroſus, pariterque eidem inuiſus Regium circa Kalen. Septembris receſsit. Eodem anno legati, & Rectores ciuitatum fœderatarum vnà cum Azone Ateſtino, & Ricardo Sanbonifacio Bononię conuenêre, ac nemine diſſentiente fœdus inter ſe aduerſus Fridericum nouo iureiurando ſanxêre. Quod ubi pontifex comperit, quòd iam Friderico reconciliatus pacem in primis, ociumque ſpectaret, legatos duos in Lombardiam decreuit, Iacobum epiſcopum Prænestinum, atque Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum, datis mandatis, ut Lombardos quacunque ratione poſſent, ad concordiam cum Friderico redigerent. Fridericus item poſt res tranſmarinas, & Apulas conſtitutas, & recuperatam pontificiam gratiam, nihil aliud ſibi ſupereſſe arbitratus, quàm ut Lombardos ſibi adiungeret, ex Gregorij auctoritate Rauennam iterum conuentum ciuitatibus ad rem componendam indixit. atque eò Henricum etiam filium, & principes ſuos ex Germania euocauit, atque ad priorem armorum eximendam ſuſpicionem inermis, atque aulico tantum comitatu ſtipatus acceſſit, uarijs ſecum ad ludum, & delectationem populorum generibus belluarum adductis, nunquam ante, aut certe raiò admodum in Italia uiſis, elephanto, Leonibus, Leopardis, camelis, & auibus rapacibus, quę per multos dies mirificum omnibus ſpectaculum prębuerunt. Eo anno frater Antonius Idibus Iunijs Patauij mortuus eſt, magna in animis hominum ſanctitatis ſuę
1232 opinione relicta. Sequenti, Gregorius pontifex Reate V. Idus Ian. litteras ad legatos ſuos in Lombardia manentes miſit, ut nouum prętorem Rainerium, & Commune Bononię ad reſtituenda ſua epiſcopo caſtra cohortarentur, ne ipſe in eos durius conſulere cogeretur. eis autem ille adeo non paruit, ut ex Conſilij ſententia prętores in omnia eius caſtra miſerit, atque omni illum iuriſdictione diſpoliarit. Quare Gregorius III. Nonas Iulij Spoleto Parmenſi, & Mantuano epiſcopis per litteras imperauit, ut prętorem Rainerium, & Fridericum, & cohortes eorum, atque totam Bononię ciuitatem cœtu piorum expellerent, atque amotos in omnibus Lombardię,

Romaniolæ, Marchiæ, & Tuſciæ urbibus diuulgarent ſimulque ſcholaribus animaduerſionis eccleſiaſticæ denunciatione mandarent, ut urbe excederent, neque ante feſtum S. Michaelis redirent, atque in die Pentecoſtes magna celebritate B. Antonium miraculorum magnitudine præfulgentem in ſanctorum numerum retulit. Lombardi uerò haudquaquam ſimulata ad tempus Friderici comitate fidendum rati non ſolum ad conuentum Rauennatem non adierunt, ſed etiam, ut ante, Henricum, ac principes anguſtias Alpium, quas iam tum Cluſas uocabant, penetrare, ac Rauennam adire prohibuerunt; Veronenſes uerò, & Icilinum, quia defectione ad Fridericum facta, prætorem Mediolanenſem retinere nolebant, adorti carrocijs eductis oppugnare, licet Friderico in propinquo poſito, inſtiterunt. Quod ubi Fridericus cognouit, plane omnem de pace componenda cogitationem abiecit, neque legatos pontificios propterea ſibi amplius expectandos putauit. uerùm decreto ex conſilio prætorum, qui ex ſocijs conuenerant ciuitatibus, facto, ne prætores in poſterum ex aduerſarijs populis ſumerentur, medio iam Quadrageſimæ ſpatio Rauenna diſceſſit, ac Venetias profectus inde nauibus Aquileiam proceſſit: atque ibi cum Henrico filio, Leopoldo Duce Auſtriæ, cæteriſque principibus, qui eò ex compoſito uenerant, conuentum peregit, & cum eis omnes belli ſuſcipiendi rationes explicuit. Quo facto, Henrico in Germaniam remiſſo, paratis triremibus, in Apuliam ſe recepit. Quam rem ipſe ad amicos ſcripſit his uerbis: *Redeuntibus nobis de partibus Tranſmarinis, ac inter nos, & Eccleſiam diſſenſione ſedata, de reformatione ſtatus Imperij concepto propoſito inhærentes apud Rauennam iterum de conſilio Beatisſimi patris Gregorij indiximus curiam generalem ſub inermi tantummodo, & domeſtico comitatu, ut timor armorum, & occaſio friuola tolleretur. In qua nedum Lombardi deuotionis, & obedientiæ nobis ſigna prætenderunt, immo in oculis noſtris ferè ciuitatem Veronæ, & Icilinum de Romano tunc temporis ad noſtræ fidelitatis obſequium nouiter reuocatos extractis eorum carrocijs violenter inuadere nixi ſunt. Acceſſum etiam filij noſtri ad nos, vel noſtrum ad eum per terras Imperij denuo prohibuerunt, ita quod patris oculus tunc etiam filium non vidiſſet, niſi quòd nauali præſidio amore paterno ſtimulati nos Aquileiam contulimus, ut eum, & principes, qui ad nos deuote ſe contulerant, uideremus.* Legati uerò pon-

tificis reliqua perluſtrata Lombardia cum Veronam ueniſſent, factiones inteſtinis diſcordijs ſæuientes ad concordiam redegerunt. uerùm profectis illis ipſę rurſus ad inſaniam rediêre, atque Ricardo egreſſo agros mutuis uexare maleficijs perrexêre. Eo anno ſata, uineaſque Lombardiæ locuſtæ, ac grylli immenſa multitudine populati ſunt; deinde ſæuæ grandinis procellę funditus euerterunt. Padus etiam à Cremona
1233 Venetias uſque conglaciauit. Infelicem annum multo infelicior alter excepit ciuitatibus alimentorum omnium, ſed maxime uini ad tantam difficultatem adductis, ut etiam ſponſalia ſine uino celebrari neceſſe fuerit, quò omnis ferme nuptiarum hilaritas continetur. Veronæ Icilinus nocte Paraſceues caſtro Ricardi Caldario cum occulte ignem ſubijci curauiſſet, continuò eo quaſi ad opportunum, ut in re improuiſa, præſidium aduolauit, ac mox Ricardus eodem cum Vicetinorum cohorte contendit. ubi in conſpectum eſt uentum, accenſis utrinque animis nulla prœlio mora eſt facta, in quo Ricardus eſt pulſus. Qua re Mantuani, Bononienſes, Brixiani, & Fauentini irritati repente, contractis domeſticis copijs, in agrum Veronenſem incurrerunt, atque ignem multis caſtellis implicuerunt. Bononiæ manente adhuc ſacrorum interdicto Gregorius Idibus Ianuarij epiſcopo indulſit, ut clauſis templi portis, mutiſque campanis, ac uocibus ſummiſsis diuina officia celebranda curaret. Res inde inter epiſcopum, & ciuitatem, quòd ad decimas pertinebat, conuenit. Epiſcopus Centum, & Plebem caſtra ab ea oblata, rerum capitalium cognitione ipſi relicta, decimarum loco recepit, ac lite remiſſa ſimul ciuitatem interdicto exemit, atque in urbem ingenti populi fauore reuertit. Mœſtam interim multis de rebus ciuitatem opportunus religioſi hominis in urbem aduentus plurimùm confirmauit. Hic fuit Ioannes Vicetinus ex ordine Prędicatorum theologus, qui concionibus populum erudire ingreſſus adeo homines mira doctrinę, & ſanctitatis ſpecie cepit, ut breui uniuerſam ciuitatem in poteſtate habuerit. Nam urbani, agreſtes, artifices, militeſque cum uexillis, & crucibus religionis pleni uulgo eum ſequebantur, ei uni ſe dabant, in eius unius arbitrio ſe eſſe profitebantur. nullaque lis erat, quę non per

eum

eum facile dirimeretur, nulla diſcordia, quæ non ſedaretur. Neque uerò ſolum priuati homines ultro ſuas ad eum controuerſias deferebant, ſed ciuitas etiam ipſa, & epiſcopus, cum diu inter ſe contendiſſent, de capitali iuriſdictione in caſtris exercenda, ipſum totius controuerſiæ arbitrum adegerunt. ſeque haudquaquam ab eius ſententia receſſuros mille drachmarum auri ſacramento XIII. Kal. Maij compromiſerunt. Quin etiam idem carcere patefacto obæratos omnes, ipſo non ſolum patiente, ſed etiam annuente magiſtratu, dimiſit, nouas tabulas æquisſimis creditorum animis intulit, egregia inſtituta multa in ciuitatem induxit. quorum memorabile illud, ut in omnibus ſalutationibus familiaribus ſalus à Deo nunciaretur, ut matronæ limbos aureos, & ſerta laſciuiora, & redimicula pretioſa dimitterent, ac capite uelato prodirent. Leges ciuitatis conſenſu eius correxit. pridie Idus Maij ſupplicationem per urbem ſolemni cum pompa agens uniuerſam ſecum ciuitatem traxit nudis pedibus incedētem. poſt biduum, cum in Conſilio ſtaret, atque ibi uerba de ciuium concordia faceret, uiſus eſt è fronte lumen effundere. quod diuinitatis argumentum multo magis auctoritatem eius adauxit. Alio die pro concione cum in fœneratores agere inſtituiſſet, ita uehementia, atque aſperitate orationis ſuæ populum incitauit, ut mox tumultu facto ad ædes Landulfi cuiuſdam fœneratoris inſignis aduolarit, eaſque malum Landulfo imprecans diſturbarit. Cum oſſa B. Dominici humili, atque obſcuro in loco recondita haudquaquam eam ſedem tenerent, quæ creditę de homine ſanctitati conueniret, auctor fuit, ut inde eruerētur. Ea uerò res geſta eſt in hunc modum. Ante diem decimum Kal. Iunias Iordanes, qui B. Dominicum ordinis magiſter exceperat, aduocato archiepiſcopo Rauennate, Bononienſi, Mutinenſi, ac Brixiano epiſcopis, atque unà cum prætore, ipſis proceribus ciuitatis, ac multis fratribus (nam generalis habebatur ex more conuentus) acceſſit ad locum, ubi conditum corpus fuerat, atque egeſta terra capſam inuenit tanto odore fragrantem, ut omnes ſtupore, ac religione perculſi ſtatim humi ſe Deum collaudantes abiecerint. atque illa aperta cum naribus odor multo adhuc ſuauior afflaretur, ſacra inde oſſa in aliam tranſtulit, eamque clauis, ut prior fuerat, obfirmauit. poſt octo inde dies eadem prætori, & multis honeſtisſimis ciuibus, qui tranſlationi nō affuerant, indi-

cauit,

cauit, ac præterea ſancti oſculandi capitis copiam fecit. Inde XII. Kalen. Iulij in Conſilio Generali, & ſpeciali, conſulibus argentariorum, & magiſtris artium, & armorum aduocatis, arbitrium aduerſus epiſcopum ſecundum ciuitatem pronunciauit. Poſtremo fruſtra à Conſilio cupido retinendi rogatus urbe diſceſsit, atque inter Caſtrumfrancum,& Caſtrumleonem longam de pace cõcionem ad milites utriuſque loci præſidiarios habuit. Interim Gregorius pontifex infinita mala in dies magis in ciuitatibus ex ſuſceptis factionum certaminibus gliſcentia contemplatus, omni ſibi ratione prouidendum exiſtimauit, ut huic peſti, uel ueneno potius, omnia,quæ poſſet,remedia admoueret. Quare pacem, quam tot Cardinalium auctoritate haud præſtare potuerat, ſibi procurandam ſuſcepit per fratres Prędicatores, & Minores illa tempeſtate doctrina, atque integritatis opinione præſtantes, ne, ſi Fridericus, quod uulgo iactabatur, in Lombardiam armatus inijſſet, diſsidentes,atque odijs inter ſe flagrantes ciuitates nactus facilius iugum eis ſeruitutis imponeret. pręcipue autem Fr. hunc Ioannem legatum in Marchiam deſtinauit, quòd ſummam eius eloquentiam, atque incredibilem apud populos auctoritatem acceperat. nam multa etiam ab eo in Chriſti nomine miracula edita, Pariſius auctor eſt. Itaque illę Bononia Patauium, ac Veronam progreſſus pacem demum hac ratione confecit. In primis Patauium aduentanti populus cum carrocio obuiã longe extra urbem proceſsit, atque ipſum carrocio exceptum in urbem prope triumphantem induxit. Hic qua erat dicendi copia prędítus, multas de pace conciones cum ingenti approbatione populi habuit, illa uerba frequentans: *Beati pedes pacem portantes.* Pręcipue autem omnibus Marchiæ principibus aduocatis longã in Pratouallis orationem inſtituit, qua pacis bona,& belli detrimenta, & diuina mandata complexus facile omnes ad concordiam ineundam adduxit. Quod ut ſibi proceſsiſſe ex ſententia uidit, Lombardos, ac Marchianos omnes cum epiſcopis, & cleris, prætoribus, & Rectoribus ciuitatum certa proximi Auguſti die inermes adeſſe in campis Veronenſibus imperauit. Inde Mantuam progreſſus ibi quoque homines eodem pacis ſtudio inflammauit. tum perſpectis partis Sanbonifacię animis haudquaquam à compoſitione auerſis Veronam acceſsit. Ibi ſummo quoque honore exceptus pacem, quanta maxima contendere eloquen-

tia po-

tia potuit, in foro perſuadere perrexit, atq; ita oẽs oratione ſua
permouit, vt Icilinus ẽt, qui oẽs homines morũ immanitate hoc
ſeculo ſuperauit, vnà cum Vidone rectore ciuitatis manantibus
lacrymis promiſerit, ſe arbitrio eius ſtaturũ de omnibus contro-
uerſijs, quę inter ſe, & Ricardum Comitem intercederent. Quod
idẽ Ricardus quoque in vrbem fide publica accepta reuerſus ſe
ſeruaturũ eſſe, iurauit. XII. inde Kal. Auguſti idem carrocium Ve
ronenſe conſcendit, ac deintegro de conciliatione concordię tã
ta cũ oĩum approbatione diſſeruit, vt à populo dux, ac prętor ac-
clamaretur. Quem cum ille honorem iniſſet tãtum, ſexaginta ho
mines hęreſeos conuictos cremauit. Interim ad diem dictam con
uenêre populi oẽs cum carrocijs, epiſcopis, prętoribus, lęgatis,
& proceribus ſuis, in quibus erant ẽt Bononiẽſes, quibus ille Ho
ſtiliam cuſtodiendam reliquit; numerum, qui inierunt, ad quadra
ginta millia fuiſſe aſſerunt. Tum altiorem quendam ſuggeſtum
inter ciuitatum carrocia excitatum aſcendit, atque ita diſſerere
cępit: *Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis*, inde multis
verbis de pacis, & concordię ſanctitate, atque vtilitate ſubiectis
pacẽ nomine Ieſu Chriſti, & vicarij eius Gregorij pontificis om
nibus cõmendauit, laudans eos, qui illã amplexi ſeruaſſent, ac de
teſtans, qui in cõtraria ſententia permanſiſſent, ac poſtremo ho
ſtes Eccleſię, qui Imperatoris parti ſtuderent, enũciauit. Quibus
rebus tantum omnibus ſtudiũ religionis iniecit, vt pię gaudio la
cryme audiẽtibus pleriſq; manarẽt. Qua oratione abſoluta inde
pacẽ inter duas partes tranſactã pronunciauit, legibuſq; eius re
citatis ipſam oſculis vtrinq; oblatis cõfirmari iuſſit. Iũ matrimo
nium inter Rinaldũ Azonis Ateſtini filiũ, & Adeleidẽ Alberici à
Romano filiã, vnde vinculũ magnũ cõcordię ſperaretur, indixit.
Quibus de rebus gratulatione ingẽti inter oẽs celebrata domos
ſuas vniuerſi repetiuerũt. Hęc res vna oĩum maxime memorabi-
lis vniuerſis eſt viſa. Neq; verò ſolus Fr. Ioãnes hoc tẽpore ſacro
hoc concionãdi, ac pacificãdi munere floruit, ſed multi ẽt alij ex
his familijs in alijs ciuitatibus extiterũt, qui labẽtes populos ſu
ſtinerent, erranteſq; ad pęnitentiã ingentibus, atq; aſſiduis clamo
ribus reuocarent. Neq; .n. grauis populariũ actionũ materia dee
rat, nouę, vt dixi, populorũ diſſenſiones, inaudita factionũ certa-
mina; corrupta ĩ oĩ genere vetus Chriſtiani nominis diſciplina, q̃
indiſertiſſimũ quenq; eloquentiſſimũ reddidiſſent. p̃ſertim verò

cum hęc Deo ipſi improbari ſignis manifeſtisſimis, è cęlo editis appareret, quibus ſuſpēſę mortalium oīum merito mentes erāt. ſatis enim cunctorū opinione conſtabat, terrę motus, diluuia, peſtilentiā, penuriam in Lombardia nulla unquam ætate grauiora fuiſſe. ex quibus nihil aliud peti declarabatur, quàm pęnitentiam hominum, & emendationē peccatorum. Quare cum hæc homines religioſi mortaliū auribus ſingulari dicendi grauitate, ac copia identidem intonarent, facile eos conuertebant ad uota ſuppliciter facienda pro diuini numinis ira placenda. Itaque eorum etiā vocibus matutinis, ac pomeridianis plurimi incitati, ac tacita quadā religione perfuſi in vrbibus, caſtris, agriſque omnium ętatū, ſexuum, ordinumq; homines laudes diuinas per vias incedentes canebant, ac gratias Deo agebant, cruces, & uexilla pręferētes, ac ramos, & cereos accenſos tenentes. ex quo hic annus vulgo generalis deuotionis annus eſt appellatus. atq; ab hoc initio cū ſacrę laicorum ſodalitates ad diuinas laudes celebrandas inſtitutę, tū ad pacificandas ciuitates nouus militum ordo, qui S. Marię Glorioſę vocati ſunt, factus, auctore Fratre Bartholomæo Vicetino Prędicatorij ordinis, qui poſtea ad epiſcopatū Vicetinū aſcendit. de quo ordine poſtea diſſeretur. Quin etiā Mediolani hęreticis in dies magis furentibus Fr. Petrus Veronenſis, qui poſtea S. Petrus martyr eſt appellatus, eò acceſſit Inquiſitionis auctoritatem adeptus, ac cum multas conciones vtiles in maximo concurſu populi habuit, tum plurima contra hęreticos decreta ſeuerisſime fecit. Mutinę autem Fr. Gerardus Rangonus ordinis Minorum, & aliquādo S. Franciſci ſocius, ciues pariter inter ſe capitali odio disſidentes reconciliauit, atque omnes quacunque de cauſſa publice exulantes reducendos curauit. Vir fuit tanta prudentia, vt propterea à Parmenſibus prętor aſcitus, & domi natu ciuitatis affectus ſit, tanta ſanctitate, vt poſt mortem multa ſigna ediderit. Ipſius tamen in ęde Minorum ſepulti vetuſtas non monumentum ſolum, ſed nomen etiam ingrata non minus ciuium, quā ſodalium obliuione deleuit. Demū Gregorius pontìfex certior factus de mirandis operibus, quę ad ſepulchrum edi B. Dominici Bononiæ ferebantur, ipſum ex Cardinalium ſuorum auctoritate in ſanctorum numerum rettulit, ac Natalicia eius celebrari mandauit, misſiſque per omnes regiones litteris hoc factum Chriſtianis omnibus nunciauit. Sequenti anno
1234

uaria prodigia uiſa oculos,ac mentes hominum minima quæque ſeruantium ſumma formidine perculerunt. nã hiems ſolito aſperior inhorruit. ex quo maxima pecudum, arborumque pernicies conſequuta, quæ magnam uictus inopiam,& inopia grauem peſtilentiam importauit. Monſtrum in Apennino natum, gemini pueri corporibus ad umbilicum inter ſe nexi,quorum alter ſimulac natus eſt,alter poſtridie eius diei mortuus eſt. Lupi etiam vrbes ingreſſi capti, atque ſuſpenſi ſunt. Prodigium autem omniũ truculentiſſimum illud fuit, quòd populi pacem, quam priore anno rigãtibus ora lacrymis in nomine Ieſu Chriſti iurarant,ferme omnes uno tempore cruentandis mutua cęde manibus uiolarunt. Pręcipue Bononię Albertus Lambertacius Gabrieli Sanctio inimico ſuo in foro occiſo tumultum ingẽtem in urbe conciuit, &, quanquam Alberto in exilium miſſo, leuata ſeditio in præſens uiſa eſt, hæc tamen res magnis, quę poſtea eruperunt, diſcordijs materiam præbuit. Populus autem, antequàm pręſtitutum tempus induciarum exiret,arma inferre Mutinenſibus occupauit. Quippe cum exercitu in eorum fines euntes carrocio in Samodię ripa relicto Bandianum,& Sancęſarium petierunt, ac tractum illum vniuerſum igne, ferroque exeunte Iunio deuaſtarunt, neque tamen caſtra ipſa, quòd ualidis cuſtodiri præſidijs cernerent,aggredi uoluerunt. Fridericus belluas,quas Rauennę reliquerat, Cremonam adduci iuſſit. Hæ per amicas urbes adductæ peruẽnere Parmam. quibus Cremonenſes auxilijs Mutinenſium,Regienſium,Parmenſium, & Papienſium fulti obuiam prodierunt,atque eas in fines ſuos adduxerunt. Quã de re certio res facti Mediolanenſes menſe Iulij ad Zeneuoltam armati ſe obtulerunt, eaſque eripere contenderunt. Verùm Cremonenſes pręlio fortiſſime facto tutati in urbem incolumes deduxerunt, atque inde in fines Brixianos inuecti Cornionum ceperunt. Parmenſes itẽ,Cremonenſibus aſſumptis,Placentinos adorti in Valle Tari acie ſuperarunt. Qua re animaduerſa Mediolanenſes, & Brixiani in agrum Cremonenſiũ inuaſerunt,ac pręd‌ando magis, quam pręliando Cremonenſes ex agro Placentino ad ſua defendenda ſe recipere coegerunt. Pręlio inde ad Delmam commiſſo vtriq; ſe rettulère domũ. Poſtremo interponẽtibus ſe fratribus Pręd‌icatoribus,& Minoribus pax vtrinq; ſacramẽto firmata eſt. In Marchia verò Icilinus,Taruiſinis aſſumptis,Camini dominos

ciues Patauinos adortus multis damnis affecit, ad quę vlciſcenda Patauini egreſsi in agros Icilini hoſtiliter irruperunt: inde in Taruiſinos conuerſi igne, ferroque omnia miſcuerunt: demum arbitrio Venetoru ̃ pacem cum Taruiſinis fecerunt. Ex altera parte Brixiani, & Mantuani carrocia aduerſus Veronenſes duxere, atque agro direpto ingentem prædę numerum rettulere. Icilinus autem cum Monticulis egreſſus caſtra Sanbonifaciorum inuaſit, uerùm cum traiecto Atheſi Coloniam iter intenderet, Azonem obuium habuit, cuius ut impetum euitaret, ſeſe Veronã recepit. Ita Ricardus loca Monticulorum pro arbitrio peruaſtauit. Quibus rebus cognitis Gregorius anxius fratri Ioanni duos collegas epiſcopum Taruiſinum, & Parmenſem ad paces redintegrandas adiecit. Qui Veronam profecti comitate, atque eloquentia obtinuerunt, ut ambę factiones ſacramentum pontifici dicerent, & noua pace fœdus ſancirent. Ita Ricardo recepto rogatu pontificis Rinerium Bagarellum Perufinum prætorẽ acceperunt, atque apud eum ſe Eccleſię mandatis obedituros iurarunt. Patauini autem cum bellum à Friderico metuerent, Othonem Mandellum Mediolanenſem virum ſummi conſilij, ſummęque uirtutis accerſiuerunt. Gregorius uerò, qui in alienis populis pacificandis tantum ſtudium adhibebat, & ipſe cum Romanis in gratiam redijt: uerùm eam diu admodum retinere nõ potuit. Nam Romani cum lites quaſdam de iure vrbis illi intentas obtinere non potuiſſent, ipſum nuper in urbem reuerſum cum Cardinalibus expulerunt, ac quædam eius ædificia diruerunt. Itaque Peruſiam profectus proprijs copijs, ac Friderici auxilijs uſus villas Romanorum euertit. Romani verò VIII. Idus Octobris urbe cum ingenti militum numero eruperunt, ac Viterbium pontificium oppidum inuaſerunt. uerùm à pontificijs excepti, & ſummo prędio decertare compulſi ingenti clade accepta inceptum reliquerunt, ac pacem rurſus cum pontifice confirmarunt. Interim Henricus Friderici filius rex Germaniæ contra patrem cum principibus Germaniæ pluribus coniurauit, ac multas ciuitates partim ui, partim beneuolentia ad ſuam auctoritatem attraxit. ſunt etiam, qui ſcribant, Mediolanenſes ei tacite coronam Italiæ, quam patri denegauerant, promiſiſſe, ac fidele obſequium obtuliſſe, ſi in Italiam fęderatarum ciuitatũ auxilio traieciſſet. Qua re accepta Fridericus ſubito ex Sicilia, quo propter

ſubortam Mamertinorum ſeditionem abierat, Ariminum cum legatis pontificijs, & primoribus Apuliæ adijt, atque inde per forum Iulium in Germaniam properauit. Poſtero anno Cremonenſes, ut inſigni Brixianorum agrum detrimento afficerent, ingentem alueum manu, opereque foderunt, atque in eum aquam Ollij aduerſus Ponteuicum exonerarunt: quin etiam Ponteuicanos, & Vrceenſes enixe opus illud impedire conantes in fugã, multis eorum etiam interemptis, dederunt. Inde ſe in Mediolanenſes, & Brixianos fines ſuos irruptione anniuerſaria diuexantes uerterunt, & cum eis ad Moſium exeunte Maio prœlio depugnarũt. In altera uerò parte Bononienſes item arma Foroliuienſibus, & Mutinenſibus intulere. Fauentini à Foroliuienſibus bello exagitati auxilium à Bononienſibus poſtularant. Confeſtim Rauennas, & Proculeia tribus egreſſa Solarolum, quod ex diœceſi Fauentina à Foroliuienſibus fuerat occupatum, recepit, atque ingenti inde præda abacta ſimul Fauentinos bello Foroliuienſium liberauit. Inde Fauentinis aſſumptis aduerſus Mutinenſes maiore animorum alacritate perrectum. ibi nuſquam acie dimicatum, excurſionibus, & populationibus res eſt uniuerſa confecta. Primo montes adière, ibique Maranum, Cilianum, & Plebem Trebij uaſtauère. deinde in campos degreſſi, Nonantulano, & Panſanenſe agro percurſo, ac populato, terrore, ac fuga omnia repleuère. Poſtremo Scultemna amne traiecto, ac Mutinenſibus ad foſſam altam ſecundo ab urbe lapide in fugã coniectis uſque ad Siclam amnem effuſa excurſione penetrauère. Quibus rebus exaſperatus Mutinenſium populus, Parmenſium, Cremonenſium, Placentinorum, & Pontremolenſium auxilio nixus, foſſam prope Sabinianum inſtituit, in eamque Scultemnæ aquam nouis flumini ſeptis obiectis induxit, eo conſilio, ut recto curſu delata in Caſtrumfrancum incideret, atque illud ipſo torrentis ex alto decurrentis impetu deturbaret: cui operi tãto ſtudio incubuerunt, vt nemo vllius conditionis, ſexus, atque ętatis exciperetur, qui non aut fodiendę, aut egerendę terrę uacaret, Neque ſegnius aduerſus friniates, qui rebellauerant, ſe geſsère. nam Moncioni caſtrum ex ijs unum, quę ſe Bononienſibus dediderant, obſederunt, eoque in ditionem redacto, pœnas de ſex capitaneis proditoribus graues expetiuerunt. Quibus de rebus perturbati Bononienſes poſthac bellum diligentiore ſi- 1235

bi cura, ac maiore conatu gerendum ſtatuerunt, eiuſque rei cauſſa tributum urbanis, atque agreſtibus imperarunt. Dum hęc in Lombardia geruntur, Fridericus bellum in Germania contra Henrícum filium geſſit, à pontifice auxilio non leuisſimo ſubleuatus. qui litteris ad principes Germaniæ ſcriptis pleroſque ab Henrici partibus auocauit. Itaque tanto copiarum numero cum Henrico contendit, ut eodem tempore decem oppida militari corona complexus ſit. in quorum uno cum filius eſſet, ubi ſe in extremum expugnationis diſcrimen adductum uidit, ad caſtra patris progreſſus, flens ſeſe ad pedes eius abiecit, ac fidem eius, & miſericordiam implorauit. Indulſit illi quidem Fridericus, verùm ferox iuuenis ingenium ueritus ipſum in vincula tradidit, ac ſecum Vormaciam duxit: ubi ipſum ueneni ſibi parati conuictum durioribus uinculis obligauit, ac Duci cuidam cuſtodiendum, atque in Apuliam deducendum attribuit. Inde XIII. Kal. Auguſti in eadem urbe nuptias cum Iſabella Henrici Angliæ regis ſorore ad ſe ex Anglia nuper adducta celebrauit. quà in re pontifex uoluntati quoque morem illius geſſit, cum matrimonium, quod ſaluis propter affinitatem legibus contrahi non poterat, ratum auctoritate pontificia fecit. Inde Conradum minorem natu filium regem Germaniæ in locum Henrici abdicati deſignandum, ac Coloniæ coronandum curauit, atque in Italiam cùm eodem reuerſus Gregorium pontificem Reate conuenit, atque ipſum præſentem ei, tanquam reconciliatæ fidei obſidem, obtulit. Cupientem inde Lombardos, qui à ſe defecerant, armis perſequi, Gregorius ſpe facta compoſitionis, & pacis retinuit. & cum iam octauus indutiarum annus eſſet, quas Fridericus cum Soldano in decennium pepigiſſet, vetus crucis indicendæ decretum redintegrauit. atque omnes Chriſtianos rurſus ad ſacram expeditionem ſuo tempore repetendam accendit. litteræ Spoleti pridie Non. Septembris datæ ſunt. Fridericus inde quibuſdam rebus in regno conſtitutis ad exercitum, quem in Germania reliquerat, occulte bellum Lombardicum moliens, redijt.

CAROLI SIGONII
DE REGNO ITALIAE
Liber Decimus octauus.

SEQVENTI libro bellum omnium maximum ſcripturus ſum, quę aut Eccleſia cum Imperio, aut ciuitates cum regibus, aut ipſi inter ſe populi geſſerint, uel ſi clades vltro, citroque allatæ, uel ſi ipſa malorum, quę inde profecta ſunt, initia perpendantur, quæ tanta, ac tam multa fuêre, ut hæc una perdendis Italiæ vrbibus, ac tyrannis in eas inducẽdis aditum aperuerint. Hinc enim nouæ populorum diſſenſiones, hinc inſanæ ciuitatum factiones, hinc inſignes rerum publicarum mutationes manarunt. quas res nulla unquam ætas ſine maxima priuatarum, communiumque fortunarum pernicie uidit. Cuius belli exitus Hencij Friderici filij Sardiniæ regis calamitas fuit, quem Bononienſes non ſolum acie ad Mutinam ſuperarunt, ſed etiam captiuum in triumpho duxerunt: atque inde uana minitantis Friderici territamenta ridentes poſt per annos viginti duos in cuſtodia habuerunt.

Poſtero igitur anno Fridericus conſtanti rebellione Italicorum exacerbatus litteras ad pontificem ſcripſit, ſe iniurias Lombardorum ultra ſuſtinere non poſſe; proinde illum orare, ut aut omni ſuo, & Cardinalium ſtudio pacem ab eis Imperio decoram, utilemque præſtaret, aut ſibi auxilio aduerſus Mediolanenſes huius defectionis auctores, & hæreticorum fautores ad officium redigendos adeſſet, gratiamque ſibi aduerſus hoſtes ſuos eam referret, quam ipſe aduerſus rebelles ipſius durioribus temporibus præſtitiſſet. Quas litteras ut pontifex legit, mirifice cũ toto Cardinalium ordine diuerſis curarum agitari fluctibus cępit. atque ita reſcripſit, caueret omnino, ne in Italiam armatus 1236

inirer, aut certe Lombardos inuaderet, quòd adhuc indutiæ illis pro Terræ Sanctæ ſubſidio comparando datæ manerent. quòd ſi quam aduerſus eos cauſſam offenſionis haberet, ſe de ea cogniturum, ac reuocato ad ſe litis arbitrio, prout æquum uiſum fuiſſet, accuratiſſime tranſacturum; atque ad hęc poſcenda Cardinalem Prænestinum legatum primo quoque tempore miſit: ad quæ Fridericus in hæc uerba reſcripſit: *Italia hæreditas eſt mea, & hoc notum eſt toti orbi. anhelare ad aliena, & propria relinquere, ambitioſum eſſet, & enorme, præſertim cum Italicorum, præſertim Mediolanenſium me iniurijs laceſſiuit inſolentia, in nullo mihi debitam exhibens reuerentiam. Præterea Chriſtianus ſum, & qualiſcunque ſeruus indignus Chriſti accinctus ad Crucis inimicos debellandos. Cum igitur tot hæreſes non tantum pullulent, immo ſyluescant in Italia, & iam zizania ſegetes incipiant ſuffocare per ciuitates Italicas, præcipue Mediolanenſium, tranſire ad ſaracenos hoſtiliter expugnandos, & illos incorrectos pertranſire, eſſet vulnus infixo ferro omentis ſuperficialibus delinire, & cicatricem deformem, non medelam procurare. Item ſolus ſum, & homo ſum, nec ad tantum laborem ſufficio, ut inimicos Crucis ſine magno comitatu adeam, debellaturus incredulos, qui tot ſunt, & tam fortes expugnando. Iterum cum ſine theſauris magnis ad tam arduum negocium conſurgere per me non ſufficiam, opes eiuſdem terræ in opem, & vltionem Crucifixi conuertere deſtinaui. Abundat equidem Italia, armis, equis, & opibus. hoc terra nouit vniuerſa.* Quin etiam litteras in Italiam ad principem amicum ſuum ſcripſit, quibus ſe in Italiam præſenti æſtate uenturum admonuit, atque in die S. Iacobi Parmæ conuentum omnibus Lombardiæ populis habiturum. ac de ſubſidio Terræ Sanctę, & pace Italię tractaturum, atque iura omnibus iniuriam paſſis rectiſſime redditurum. Earum etiam litterarum ſententias aliquot afferemus: *Nos uoluntati Dominicæ diſpoſiti ea perficere in uotis gerimus, per quæ Eccleſia eradicatis zizanijs ſalubriter gubernetur, ſic ut quemadmodum ab orientali zona regnum Hieroſolymitanum Conradi cariſſimi filij noſtri materna ſucceſſio, ac demum regnum Siciliæ præclara materna noſtræ ſucceſſionis hæreditas, & præpotens Germaniæ principatus pacatis undique populis ſub deuotione noſtri nominis perſeuerat, ſic illud Italiæ medium noſtris undique uiribus conculcatum ad noſtræ Serenitatis obſequia, & Imperij redeat vnitatem: neque in hoc prouidere tantummodo commodis intendimus, ſed in hoc Crucis negocium directiſſime procuratur: de in rebellibus noſtris circa partes Italiæ in gre-*

mium

mum noſtra gratia reuocatis diſcordias multorum nobilium deſiderato fine præcidimus. qui uota ſua in aduentu huiuſmodi ſuſpenderunt. ne Crucis ſignaculo præſignitos Chriſtiani cruoris effuſio, licet iuſta, ob debitum, & honorem Imperij, & regni Siciliæ macularet. Ad hæc igitur procuranda æſtate præſente perſonaliter cum principibus noſtris intrare condiximus Lombardiam, ut eradicata in Italia hæretica prauitate iura Imperij reformemus ibidem, & pacem diſcordiarum ſchiſmatibus fatigatam inſtauremus, & quibus ſibet paſſis iniuriam ſine acceptione perſonarum iuſtitiæ copiam miniſtremus, ut ad expiandum inimicorum fidei peculiare flagitium in partibus Tranſmarinis, de communi Tranſmontanorum, & Italicorum conſilio uotis communibus unanimiter aſpiremus. ad quod non ſolum utilitas, ſed ipſa neceſſitas inſtanter inuitat, cum treguarum finis, quas nos in ipſis partibus exiſtentes iniuimus cum Soldano, fere in gremijs habeatur. Quare de noſtrorum conſilio principum apud Parmam ſolemnem curiam duximus indicendam, ad quam ab urbe citra omnes urbium Italiæ nuncios inuitamus, ubi quamplures nobiſcum principes noſtros habebimus & legatos omnium regum occidentalium, ut ſi tanta rebellium fuerit proteruitas, ut nec ad Deum, nec ad decus Imperij, & Eccleſiæ velint habere reſpectum, tam celebris tribunalis in eos materialis gladius exeratur. Ecce autem quòd ante faciem noſtram de principibus noſtris aliquem præmittemus, cui plenariam dabimus poteſtatem uniuerſitates quaſlibet, ac etiam perſonas ſeculares extra culminis noſtri gratiam in partibus Imperij exiſtentes in plenitudinem gratiæ noſtræ recipere. Tu uerò uelut fidelis, & prudens te ipſum ad veniendum ad curiam ſupradictam honorifice præpara, poteſtatibus, Conſilijs, Communibuſque, Comenſibus, Mediolanenſibus, Bergomatibus, Vercellenſibus, Alexandrinis, Brixianis, & Laudenſibus ex parte noſtra præcipiens, vt Ambaſciatores ſuos ciuitatum ipſarum auctoritate munitos in dicta curia ad noſtram ſtudeant præſentiam deſtinare. Nos enim in feſto B. Ioan. Baptiſtæ proximo nunc futuro Aquilarum victricia ſigna mouebimus apud Auguſtam, ſubſequenter in feſto S. Iacobi dictam regere curiam diſponentes. His ſcriptis, inde conſtituto tempore Auguſtam cum ipſo exercitu adijt: cui Icilinus occurrit, atque ipſum ad bellum fœderatis inferendum incendit. Auguſta inde profectus ad ſaltus Alpium uenit, eoſque Mediolanenſibus, & ſocijs tranſitum fruſtra prępedire conatis, traiecit, ac Tridentum primum, deinde Veronam acceſſit, quæ opportune paullo ante, Ricardo Sanbonifacio exturbato, iram regiam reformidans auctore Icilino ſeſe ad ipſum rettulerat. In-

dein

de in agrum Mantuanum prouectus, ubi Cremonenſes, Mutinenſes, & reliquos, qui in fide eius manebant, populos ad Mencium obuios habuit, Moſium, & Marcariam oppida cepit, eaque Cremonenſium cuſtodiæ tribuit. inde agro effuſa populatione percurſo in fines Brixianos tranſiuit, quibus eadem ratione uaſtatis, Cremonam menſe Auguſto, atque inde Parmam acceſſit. Qua in urbe conuentu ſociarum ciuitatum peracto, ut fœderatas in ſuſcepto rebellionis conſilio, & pertinacia permanere cognouit, conſilium demum ineundi aduerſus eas belli expediuit. Dum autem ibi conſultans quieſcit, Azo Aeſtinus Vicetiæ, & Robertus Ghiſolerius Patauij prætores, ut ipſum conſilij adhuc incertum ab adoriendis Bononienſibus auocarent, quibus poſt Mediolanenſes maxime uidebatur infenſus, Patauinis, Vicetinis, & Taruiſinis aſſumptis, Ripaltam Veronenſium mẽſe Octobri cum Patauinorum carrocio obſederunt. Quod ut Fridericus audiuit, iratus Veronam ſine cunctatione ſe rettulit, ac mox hoſtibus Ripalta depulſis exercitum ad Vicetiam urbem propinquam adduxit, ac per aliquot dies uarie oppugnatam demum Kal. Nouembris proditione in poteſtatem redegit, eamque ſine diſcrimine diripi, uaſtari, ac magna ex parte inflammari permiſit. ciuibus tamen ſe illius fidei permittentibus uenia data, atque eædem, quas habebant, immunitates, legeſque relictę. Inde Patauinus ager hoſtili pariter populatione percurſus. Tum obſidio Taruiſinæ urbi admota. uerùm, Petro Teupolo prætore ipſam acerrime protegente, inani prorſus incæpto tentata. Quibus rebus Salinguerra permotus, relictis fœderatis, ſeſe ad eum cum Ferrarienſibus contulit. Interim Fridericus ſuorum litteris certior fit, Ducem Auſtriæ ſeditionem aduerſus ſe in Germania concitaſſe, &, ni mature occurratur, ab illo periculum imminere. Quam rem non negligendam ratus, ſtatim Gaboardum Comitẽ ſueuum in Marcia uicarium cum idoneo numero copiarũ conſtituit, & Vicetiæ Alberico Icilini fratre relicto, ex Italia cedit. Eo profecto Mantuani pridie Natalicia Domini occulte Marcariam petentes cum præſidio Cremonenſium receperunt. Patauini uerò, ut Gaboardum cum exercitu in Marchia relictum uiderunt, libertati ſuę timentes reip. tutelam XVI. primoribus ciuibus, urbis uerò cuſtodiam marchioni Aeſtino mandarunt. Sexdecim uiri, qui libertatis uindices facti fuerant, proditores

euaſerunt.

euaſerunt. Nam nuncijs occulte ad Icilinum miſſis urbem ſe illi tradituros eſſe, ſi propius accederet, oſtenderunt. mox re detecta cum à Roberto prætore Venetias relegati fuiſſent, imperio, ac iureiurando contempto, per caſtella diuiſi aperte ſe hoſtes eſſe ciuitatis profeſſi ſunt. Interim Marinus Badoarius prætor ſequenti anno Idibus Februarijs inijt. Icilinus autem operi ſuſcepto intentus una cum Gaboardo Montemſilicis ex agro Patauino, iuris Cæſarei aſſerens eſſe, cepit. inde VI. Kal. Martias Pataulum conſentiente populo pacate intrauit. Ita Patauini Ciuitatem Gaboardo Comiti nomine Imperatoris recipienti dederunt. quorum auctoritatem ſequuti Taruiſini idem quoque fecerunt. Gaboardo inde ad Fridericum reuerſo, Icilinus omnia pro libidine geſſit. nam trecentis ſaracenis præſidio urbis aſcitis, Montagnanam inuaſit, atque obſides ab omnibus Azonis amicis ſuſpectæ fidei inſimulatis exegit, eoſque in Lombardiam, Apuliamque traſmiſit, domos, turreſque eorum, qui Pataui; ſibi diffiſi occultam fugam arripiebant, euertit, Iordannem S. Benedicti Priorem, & Arnaldum S. Iuſtinæ abbatem urbe eiecit, ac menſe Iunio exercitum ad oppugnandum Sanbonifacium, quod à Leoniſio Ricardi filio tenebatur, magnum numerum militum miſit. Hæc uerò Gregorius pontifex audiens, atque opes fœderatorum in dies magis attenuari intelligens, uehementius de illorum ſalute ſolicitus eſſe cępit, atque ad Fridericum uictoria de Duce Auſtriæ parta elatum, neque aliud, quàm de Lombardorum bello, atque exitio differentem, Gregorium Montelongum protonotarium legauit, admonitum, ut ſi pacem Eccleſiæ, aut gratiam ſuam caram haberet, Lombardos in fidem ijs conditionibus reciperet, quibus auus eius ad Conſtantiam, pace reddita, ſuſcepiſſet, & pater Henricus vltro ſtetiſſet: ac rogatu ſuo aliquid etiam de ſuo iure remitteret, memor, quemadmodum ipſe nuper voluntatem eius in matrimonio Iſabellę conciliando, & in principibus aduerſus filium acuendis fouiſſet. His auditis Fridericus iracundia ſimul, ac ſuperbia incitatus contra à pontifice petijt, ut ſibi in Italiam redeunti contra Mediolanenſes adeſſet, quos non ſolum Imperij, ſed etiam Eccleſiæ hoſtes eſſe, conſtaret propter hæreſes multas, quibus ipſa infecta ciuitas eſſet. Hoc reſponſo accepto Gregorius perturbatus Lombardos tamen haud ſibi deſtituendos putauit, ac pace cum Romanis com-

poſita Romam poſt decennium rediјt. Fridericus autem rebus Germaniç conſtitutis ineunte autumno ſal. us Alpium ſuperauit, atque ad Vacaldum Veronenſis agri locum manſit, dum ſe ex tenui morbo ex itineris labore contracto reficeret. Inde in agrum Mantuanum progreſſus caſtra ad Goitum poſuit, atque, vbi ſociarum ciuitatum auxilia aduenerunt, Mantuam, quæ à Ricardo Comite tenebatur, omni bellico apparatu oppugnare adortus eſt. Mantuani cum ſe per aliquot dies acerrime defendiſſent, ut tantam molem ſuſtinere non poſſe viderunt, antequam ad extrema deſcenderent, oratores ad eum miſerunt, qui urbem, Ricardum Comitem, & amicos eius ipſius fidei tradiderunt, quos ille benigne recepit, ac priſtina illis priuilegia conſeruauit. Res Kal. Octobris ad Goitum in hęc uerba tranſacta eſt: *Fridericus Imperator Auguſtus memor potius antiquæ Mantuanorum erga Imperium fidei, quàm recentis aliorum inſtinctu initæ coniurationis, remittit eis omnes iniurias, atque dãna, quæ ſibi, atque Imperio attulerunt, ac vetera prædeceſſorum ſuorum priuilegia renouat, conſuetudines ſuas, immunitates, & libertatem priſtinam ſancit. poteſtatem prætoris conſtituendi concedit ex omnibus, præterquã ex hoſtilibus vrbibus. Cremonẽſes, Mutinenſes, Parmenſes iureiurando ſoluit, quo pro ſe contra Mantuanos arma gerere tenebantur, ſeque Mantuanos ipſos aduerſus omnes eorum hoſtes defenſurum pollicetur.* Icilino inde à Sanbonifacij oppugnatione dimiſſo, ex agro Mantuano duxit in Brixianum. Ibi Monſclarus Nonis Octobris caſtris circumpoſitis obſideri eſt cœptus, IV. Idus omni tormentorum genere uerberatus, XII. Kal. Nouembris in poteſtatem adductus, & poſt direptionem incenſus: Brixiani multi capti in cuſtodias dati. Inde IV. Nonas Nouembris Gambara, Gottelongum, Pratum Albuinum, & caſtrum pauonis capta, atque omnia iniecto igne deleta. Tum V. Idus Ponteuicum inuaſit, ſecum elephantem Cremona adductum habens, ſuper quem caſtellum inſtar carrocij conſtituerat ſignis in angulis, ac uexillo exercitus in medio poſito decoratum, ipſius elephantis magiſtro, atque aliquot Saracenis ad caſtelli defenſionem impoſitis. Dum autem caſtrum oppugnauit, ſimul etiam agro uaſtationem longe, lateque intulit. nam omnes, & Germanorum, & Apulorum, & Saracenorum, & Lombardorum copias eò quaſi in aleam ſummi certaminis traxerat. Quod ubi Mediolanenſes cognouerunt, de urbe Brixiæ laborantes cum Bononienſibus, Placenti-

nis,atque alijs ſocijs ad ſexaginta millia hominum occurrerunt nec longe ab illo,paruo flumine ſtagnante interpoſito, conſederunt, nec Fridericum prœlio prouocantes, neque illi ſui copiam facientes, quòd ſe vinci numero militum intelligerent, cum hoſtium numerus ad centum millia perueniret. Fridericus autem, vbi ſe illos aperto marte ad certamen pellicere non poſſe vidit, eiuſmodi dolum intendit, Quippe capto,atque exuſto Ponteuico edici per præcones mandauit, ſe Cremonam in hiberna diſcedere, proinde ſociorum copias domos repetere, atque ita ad ripas Ollij iter inſtituit. Quod poſtquam Mediolanenſes uiderunt,illum à latere quaſi fugientem ſequuti ſunt, plane ab incurſu eius propter intercedentis amniculi difficultatem ſecuri. Vbi verò ad Ollium peruenit, in quadam planicie conſtitit, ut experiretur, num illi uadato amniculo rem committere prœlio uellent. Quod ubi non proceſsit,inde Ollium per pontes ſuos tranſmiſit, ac ſocijs domos abeuntibus, iuxta Ollij ripas pergere ad pontes Mediolanenſium remotiores incępit,atque imprudentibus illis quodam in nemore in inſidijs ſubſtitit. Illi verò cum diutius ibi magna rerum inopia morari non poſſent, ubi ad pontes ſuos venerunt, traiecto & ipſi Ollio in apertam planiciem euaſerunt,credentes ſe, ſi forte Fridericus inuaderet, quem longius abeſſe putabant,facile fuga ſubripere illi poſſe,atque ita incompoſiti agminibus abire cœperunt. Qua re perſpecta Fridericus V. Kal. Decembris repente ex inſidijs in eos erupit,atque inopinato impetu omnes adeo terruit, ut ad primum equitum incurſum in fugam ſe dederint,atque ad carrocium,quod ad Curtemnouam ſumma equorum celeritate præmiſerant, properarint. Fridericus inde cum ipſo exercitus robore conſequutus alios fugauit,alios cepit,quoſdam occidit,alijs,ut flumen tranare volentes ſubmergerentur, cauſſam attulit, ita ut captiuorum, aut occiſorum decem millium numerum effecerit.inde cum ad inuadendum ipſum, tanquam ſummum uictoriæ decus, carrocium aduolaſſet, foſſa, ualloque munitum diligenter à Mediolanenſibus protegi repperit. Quare certamine inito,& uallo vi ſuperato,uſque ad temonem proceſsit; quo minus rem conficeret, imminentis noctis tenebræ uetuerunt. Henricus autem Montia, qui carrocij cuſtodiendi curam cum fortium cohorte ſuſceperat,hoſtium impetum ſe ſuſtinere poſſe diffiſus,carrocium diſſo-

lutum in luto (nam tota pluit nocte) reliquit, ac uexillo, & cruce ablata inde ſilentio noctis euaſit. Ita Fridericus ſummo mane ad carrocium expugnandum reuerſus à defenſoribus deſertum inuenit, uertice mali, in qua crux fuerat, detruncato, &, ut ipſe ſcripſit, cruce ipſa in terram abiecta. Quibus collectis, atque in vnum iterum corpus redactis, ſe carrocio potitum Mediolanenſium publicauit. Hæc eſt clades Mediolanenſium ad Curtem nouam accepta, quę maxima tum fuit ab omnibus iudicata. victoria certe hac plurimum gloriatus eſt Fridericus: ſiquidem non ſolum carrocium Mediolanenſium obtinuit, ſed etiam præter ceteros nobiles ipſum eorum prætorem Petrum Teupolum Iacobi Ducis Venetiarum filium captiuum fecit. Quo decore parto poſtridie Cremonam iniuit, ſecum trahens carrocium cum prætore, alijſque captiuis vinctis, atque antemna uexilli ad terram inclinata (carrocium autem uehebat elephas caſtellum, & tubicines cum uexillis Imperij geſtans) quacunque tranſibat, populo frequentiſsimo fauſtis vocibus Imperatori tantam uictoriam gratulante. Proximis inde diebus ad principes magnifice, atque elate adeo de hac uictoria ſcripſit, ut nec occiſis ſepulturas ſufficere, nec Cremonæ palatia multitudinem captiuorum capere poſſe aſſeruerit. Quin etiam aliquot carrocij portiones Romam miſit, iubens, ut eas ad prodendam rei memoriam conſeruarent, quas Romani in eius contumeliam incenderunt. Icilinus inde Patauium, Ricardus Mantuam abierunt. Mediolanenſes autem palati per agrum Bergomatem iter facientes multa à Bergomatibus detrimenta ceperunt. Vnus Paganus Turrianus officium præſtitit, qui in oppido ſuo Valleſaxini eos liberaliter habuit, coluitque faucijs opportune curatis, atque egentibus neceſſario uiatico ſubleuatis. Hac clade accepta omnes ferme ciuitates præter Mediolanum, & Bononiam, ut ſcribit Pariſius, ad Friderici auctoritatem, atque obſequium redierunt. Scholares autem in magnum ſui timorē adducti ſunt, quòd priore anno ab illo moniti, ut urbe diſcederent, præceptis eius parere neglexerant. Ceterùm cum Bononienſes iam ante bellum acriter à Friderico fieri Brixianis audiſſent, ut ipſos periculo tanto eximerent, atque aliò illum auerterent, bellum aduerſus Mutinenſes redintegrarunt, ac Badiano, & Sancæſario in præſens omiſſo, Caſtrum leonem ſibi oppugnandum ſuſceperunt.

Rufinus prætor VII. Kal. Decembris cum ingenti tormentorũ apparatu egreſſus eò duxit, admotiſque machinis locum tanta vi verberare intendit, vt poſt dies octo in poteſtatem cum omnibus, qui in præſidio erant, adduxerit. Quo facto caſtrum ipſum à fundamentis continuo diruit, ac materiam omnem Caſtrumfrancum traduxit, captiuoſq; Bononiam in cuſtodias miſit. Erat ibi lateritia turris altisſima. Hanc, cum in terram deturbata procideret, tanto in aquas foſſæ incubuiſſe impetu ferunt, ut ex ea inuſitatæ magnitudinis, & candoris Lucium piſcem in uiam eiecerit, qui ad prætorem delatus ſit. Huius caſtri humilia adhuc veſtigia Aemilia via eunti ſe offerunt. Ceterùm, qui ad Caſtrumleonem erant, tantæ de Mutinenſibus victoriæ compotes facti vſque ad flumen Scultemnę populabundi procucurrerunt, & cõuerſo in dextram itinere pontem alterum, qui iam tum Pons nauicularum dicebatur, non ſine aliquorum, & maxime Rolandi Gatti ſtrenui militis iactura occuparunt, & traiecto flumine pagos omnes vlteriores fœde diripuerunt, atque uaſtarunt. Proxi- 1238
mo anno Fridericus hibernis Cremonæ actis Vercellas, & Taurinum, & ceteras illius tractus ciuitates per menſem Februariũ, ac Martium adijt, atque eas ſibi iurare obſequium iuſſit. reuerſus inde Laudem, menſe Maio Papiam acceſſit, ibique conuentum egit, in quo principibus, ac ciuitatibus uetera priuilegia renouauit. nam omnes ferme ciuitates ad tributa perſoluenda, & ſacramenta dicenda conuenerant. Qua re perterriti Mediolanenſes, rogante quoque pontifice, pacem ab eo ſupplices petierunt, orantes, ut ſe, tanquam fideles ſuos, in clientelam reciperet, ac ſpondentes, ſe illi poſthac, tanquam Imperatori, ac domino, debita obſequia præſtituros; in præſens autem obedientiæ teſtimonio uexilla ciuitatis illius pedibus ſubiecturos, & auxilio Terræ Sanctæ decem hominum millia præbituros cum eo, ut ciuitatis ſtatum, ac ciuium libertatem incolumem conſeruaret. Fridericus autem inſolentia rerum ſecundarum inflatus illos repudiauit, poſtulans, ut ſe, ac res ſuas, & ſtatum ciuitatis libere ſuæ permitterent uoluntati. Cui ciues reſponderunt, nequaquã ſe facturos, ipſius feritate edoctos, malleque ſe ſub clypeis, gladio, aut ſpiculis mori, quàm laqueo, fame, ac flamma cruciari. Ea res ubi percrebruit, multorum animos à Friderico auertit, atque alacriores ad propriam tuendam libertatem effecit. Mediola-

nenſes autem, cum ſe in extremum diſcrimen adductos viderēt, eò accuratius ſe, atque urbem armis, uallis, ac fœderibus muniuerunt. Conuentu peracto, Fridericus bellum aggreſſus diuiſis copijs, duabus eodem tempore urbibus obſidionem admouit, Alexandriæ, & Brixiæ, eaſque acriter ab omni parte oppugnare cœpit, agrumque aſsiduis populationibus deformauit. quam rem ſic ad Iuſtinianos Apuliæ ſcripſit: *Caſtra in noſtrorum rebellium reliquam populationem defiximus, ac duas de noſtris rebellibus fortiſſimas ciuitates, Brixiam, & Alexandriam eodem tempore diuiſis noſtrorum exercituum copijs ſic inſtanter obſedimus, ſic in totum euaſtauimus è vicino, vt ab obſidientium caſtris ad muros quindenarius pubes, & octogenarius ſenex frequenter inermes proijcere lapidem periculoſum non crederent, difficile non putarent. ad exterminium quorum idcirco tam cito caſtra noſtrarum virium in campos eduximus, ut pubeſcentem ipſorum ſegetem; & lacrymoſos turgentium uitium palmites vaſtationis gladius nullam temporis anguſtiam metuens licentius deuaſtaret.* Dum autem ipſe ad Brixiæ obſidionem erat, queſtus eſt pontifex, quòd is multis in rebus Eccleſiæ iura læſiſſet, nec miſsis vltro, citroque de ſatisfaciendo legatis conuenire vlla ratione res potuit. Alexandria inde capta Brixia eò maiore mole oppugnata eſt. Cuius expugnationem ut Fridericus eximia ciuium conſtantia ſibi non procedere vidit, furore incitatus, caſtellis ligneis mœnibus applicitis, captiuos Brixianorum impoſuit, ac ſuorum iaculantium telis obiecit. Qua crudelitate perſpecta & ipſi Brixiani captiuos Friderici ſumpſerunt, & diſtentis brachijs extra mœnia ſuſpendentes illius item iaculationibus obtulerunt. Interim Mediolanenſes tanta vi in Papienſes inuecti ſunt, ut eos rurſus ad imperium ſuum accipiendum coegerint. Qua re Fridericus impulſus, Brixia poſt tres amplius menſes inani conatu tentata, Cremonam ita diſceſsit, vt quantum de potentiæ opinione amiſit, tantum de ſuperbia concepta remiſerit. Eo anno magni Fauentiæ motus inſtitutarum factionum cauſſa fuêre. Alberghetti quippe, qui & Manfredi dicebantur, Eccleſiæ partem, Acariſij verò Imperij tuebantur. Cum autem præualente Guelforum factione Acariſiorum pars ſemel urbe eſſet exacta, Vido Raulus domo cum factione pulſus hoc anno ad urbem cum ſuis reuertit, ac præſidio interfecto urbem recepit, & inimicos ſuos, inprimiſque Alberghetum Hugonis eiecit. Verùm haud diutur-

na ea lętitia fuit, nam paullo poſt ab Albergheto per uim in urbem reuerſo ipſe cum Acariſio eſt comprehenſus, atque in uincula traditus. Cum autem Friniates ſolicitati à Mutinenſibus in fidem rediſſent, Bononienſes irati, ac certaminis auidi exercitum in Frinianum duxerunt, & uaſtata regione Cilianum inſuper, quod Mutinenſes muniuerant, miſsis per noctem militibus receperunt, atque illato incendio conſumpſerunt, & quòd Fridericum vrbi Bononiæ inhiare compererant, urbem uallis, quâ erant infirmiora, ſepſerunt. Interim Icilinus auctor fuit, ut Veronæ reſp. mutaretur, atque à nobilibus ad populares traduceretur: ipſe uerò præfectus conſtitutus tyrannidem ciuitatis inuaſit. Inde comperto, Azonem à multis præſenti ſtatu non contentis Patauium dedendæ urbis cauſſa uocatum, magno labore illum re cognita repulit, atque in eos, qui uocauerant, crudelius more ſuo conſuluit: tum ſingula eius caſtra adortus haud magno certamine, copijs uſus Imperatoris, ademit. tandem in ſuſpicionem retinendæ ciuitatis propter multos Azonis amicos adductus Fridericum acciuit, ut opportunum turbatis Marchiæ rebus remedium adhiberet: qui Cremonæ cum eſſet, XII. Kalen. Ian. ſe ad Epiphaniam præſto futurum reſpondit. Sequenti anno nouæ litis materia inter Frideri- 1239
cum, & Gregorium data. Etenim, dum Fridericus Cremonæ hibernabat, inſulę Sardiniæ partem, quæ Turrium, & Galluræ nomen obtinet, recuperauit. Quod ut cognouit pontifex, eam, quòd ab antiquo iuris Eccleſiæ Romanæ fuiſſet, repetijt. Fridericus contra ad Imperium ſpectare reſpondit, ſe uerò ad Imperium propterea reuocaſſe, quòd iura eius recuperare iurarit. Henricum uerò filium ex concubina ſuſceptum, quem Itali Hencium Germanice loquentes uocabant, miſit, ut eam, ſibi contra edicta pontificia retineret, eumque Sardiniæ regis titulo inſigniuit. Quam iacturam pontifex ægre admodum ferens animum tandem ad illius damnationem adiecit. Fridericus autem, ut promiſerat, Cremona Vicetiam, ac Patauium in exitu Ianuarij uenit, honeſtiſsimo Italicorum, Germanorum, Apulorum, & Saracenorum comitatu ſtipatus. Cui obuiam Icilinus, ac Patauini equites, & pedites uſque ad quintum lapidem prodierunt, ac carrocium mirifice ad omnem magnificentiam exornatum adduxerunt. plerique eorum ludibundi

cymbala, cytharas, & cetera muſica inſtrumenta tenebant. extremum agmen multę matronæ nobiles ſpecie inſignes, ac ſplendido ueſtitu nitentes in equis phaleratis claudebant. Quam pompam ut Fridericus aſpexit, ad Icilinum ſecum equo uectum conuerſus dixit, ſe in nulla alia terrarum parte, tam egregium, atque ornatum populum conſpexiſſe. Interim unus ex popularibus uexillum carrocij holoſericum ſumpſit, atque ambabus manibus Friderico, adhibita reuerentia, obtulit, inquiens. Hoc tibi potentiſſime Domine Commune Patauij offert, ut per coronam capitis hęc urbs in iuſtitia conſeruetur: quę uerba ille hilari, & lęto uultu accepit. Ingreſſus inde urbem ingenti gaudio ciuitatis ad S. Iuſtinę diuertit, atque inde aliquando uenatum, aut piſcatum, aut aucupatum ſe contulit: nam his ſolatijs eximie tenebatur. Aliquando etiam ad Nouentam, ubi uxor erat, acceſſit. Inde Montemſilicis profectus, & cum Azone marchione ſæpius colloquutus ipſum cupienti Icillino reconciliauit, ac ſecum abbatem S. Iuſtinæ reduxit. In die uerò Palmarum, cum ex conſuetudine ciuitatis in Pratum Vallis ueniſſet, ibi ex alto tribunali ſeſe lętum, atque hilarem uniuerſis oſtendit, & per Petrum Vineam
1239 Apulum, cuius opera in ſcribendis epiſtolis utebatur, populum comiter appellauit. In die uerò Paſchę re diuina in baſilica audita ad S. Iuſtinam regrediens coronatus inceſſit. Dum autem in tanta gratulatione unà cum populo uerſabatur, pro re certa nunciatur, ipſum Romę à pontifice piorum eſſe communione depulſum. Cauſſa uerò huius rei ab hoc fonte manauit. Quidam Sardinię primores, ac Iudices Friderico auctores fuerant, ut terram, & caſtra epiſcopi Sardinienſis inuaderet. Quod ut Gregorius audijt, ſtatim illum nuncijs, ac litteris monuit, ne Eccleſiam ſuis poſſeſſionibus ſpoliaret, uerùm ablata reſtitueret: nam Eccleſiam diuturna temporis pręſcriptione pręditam eſſe. cui ille reſcripſit, atque in eo conſtanter poſtea perſtitit, ſe ex primo ſuo ſacramento Imperij iura tueri, & diſperſa congregare debere. Quo reſponſo Gregorius uehementiſſime perturbatus, ac ſimul multis alijs illius offenſis exulceratus minas eccleſiaſticas, niſi ſatisfeciſſet, intendit. Quibus ſpretis tum in Cœna Domini ipſum pręſentibus Cardinalibus ſolemniter in hęc uerba communione pio-

rum eiecit. *Excommunicamus, & anathematiſamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & auctoritate apoſtolorum Petri, & Pauli, Frtdericum Imperatorem pro eo quòd contra Romanam Eccleſiam ſeditionem inijt in vrbe. per quod intendebat Romanum pontificem, & fratres ſuos à ſede ſua repellere, & contra priuilegia, dignitates, & homines, Apoſtolicæ ſedis libertatem, necnon & Eccleſiaſticam proculcare, contra iuramenta, quibus ſuper hoc Eccleſia Romana tenetur, temere veniendo. Item quòd venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Praneſtinum Apoſtolicæ ſedis legatum, ne in legatione ſua procederet, quam in Albigienſium partes pro corroboratione catholicæ fidei ſibi commiſimus curam, per quoſdam fideles ſuos mandauit impediri. Item, quòd non permittit quaſdam cathedrales, & quaſdam alias vacantes Eccleſias in Regno ordinari, & hac occaſione periclitatur libertas Eccleſiæ, perit fides, quia non eſt, qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas deficiente paſtore. Item quòd in Regno capiuntur clerici, incarcerantur, proſcribuntur, & occiduntur. Item pro eo quod in Regno Eccleſiæ conſecratæ Domino deſtruuntur, & prophanantur. Item quòd non permittit Soranam Eccleſiam reparari. Item quòd nepotem regis Tunicij venientem ad Eccleſiam Romanam pro ſuſcipiendo baptiſmatis ſacramento, detinuit, nec venire permiſit. Item pro eo quòd Petrum Saracenum nobilem ciuem Romanum ex parte regis Angliæ ad ſedem Apoſtolicam venientem cepit, & detinet carceri mancipatum. Item quòd terras Eccleſiæ, ſcilicet Ferrariam, Pingnogomam, Bondoniam, Ferrarienſem diœceſim, & Bandonenſem, Lucanenſem, & terras Sardiniæ occupauit, contra iuramentum, quo ſuper hoc Eccleſia tenetur, temere veniendo. Item quòd terras quorundam nobilium de Regno, quas Eccleſia tenebat ad manus ſuas, occupauit, & deuaſtauit. Item quòd quaſdam Eccleſias cathedrales, & quadam monaſteria ſuis bonis ſpoliauit. Item quòd multæ Eccleſiæ cathedrales, & aliæ Eccleſiæ, & monaſteria de Regno per iniquam inquiſitionem fuerunt bonis ferme omnibus ſpoliata. Item quòd in Regno Templarij, & Hoſpitalarij mobilibus, & immobilibus ſpoliati, non ſunt iuxta tenorem pacis integre reſtituti: Item quòd talliæ, & exactiones contra formam pacis ab Eccleſijs, & monaſterijs pro ipſo extorquentur in Regno. Item quòd in Regno Eccleſiarum prælati, & abbates Ciſtercienſis, & aliorum ordinum compelluntur per ſingulos menſes dare*

certam ſummam pecuniæ pro conſtructione caſtrorum nouorum. Item quòd contra tenorem pacis, hi qui adhæſerunt Eccleſiæ, bonis omnibus ſpoliati exulare coguntur tanquam proſcripti, vxoribus, & liberis captiuatis. Item quòd per ipſum impeditur negocium Terræ Sanctæ, & reparatio Imperij Romaniæ. Omnes autem, qui iuramento fidelitatis ei tenentur aſtricti, ab eiuſdem obſeruatione iuramenti decernimus abſolutos, ne ſibi fidelitatem obſeruent, diſtrictius inhibentes, quamdiu fuerit uinculo excommunicationis aſtrictus; ſuper oppreſſionibus, & alijs grauaminibus nobilium, pauperum, viduarum, orphanorum, & aliorum de Regno, pro quibus idem Fridericus alias iurauit ſtare mandatis Eccleſiæ; ipſum intendimus amouere, & in ipſo negocio, dante Domino, procedemus, ſicut iuſtum fuerit procedendum. porro pro omnibus, & ſingulis ſupradictis, pro quibus dictus Fridericus à nobis diligenter fuerit admonitus, & frequenter, nec parere curauit, eundem Fridericum excommunicationis, & anathematis vinculo innodamus. Ceterùm quia idem Fridericus de dictis factis ſuis, multis clamantibus per vniuerſum quaſi orbem, quòd de catholica fide non recte ſentiat, eſt grauiter diffamatus, nos Domino dante, ſuper hoc loco ſuo, & tempore procedemus, ſecundum quod in talibus requirit ordo iuris. Hac ergo re Pataui, ut diximus, in Paſchate diuulgata, Fridericus ſtatim concionem aduocari in Palatio iuſſit, atque ibi pro tribunali aſſedit. Tum Petrus Vinea ita loqui eſt orſus: *Leniter ex merito quidquid patiare ferendum eſt, Quæ venit indigne pœna, dolenda uenit.* Inde hanc ſententiam ad rem ſuam accommodans addidit, Fridericum merito de Rectoribus Eccleſiæ conqueri poſſe, quòd cum iuſtisſime Imperium gubernarit, tam indigne tractatus ſit. Quòd ſi ipſe ſibi alicuius conſcius criminis eſſet, ſe omnibus modis cenſuras eccleſiaſticas ſubiturum: verùm omnis ſe expertem culpæ eſſe palam facturum. Dimiſſa inde concione Taruiſium adijt, atque eis prætorem Iacobum de Mora Apulum dedit, atque inde exeunte iam menſe Aprili ad Romanos ſcripſit expoſtulans; quòd ſe innocentem condemnari pasſi eſſent. Quin etiam ad omnes principes eodem fermè exemplo litteras miſit, quibus ſemetipſum purgauit, ac uarijs pontificem maledictis aſperſit. Quibus litteris pontifex reſpondit, atque illum apertisſimi mendacij arguit. Quæ litteræ adhuc extant, nec ſine ſummo dolore legi à bonis uiris, & nulla partium maleuolentia tinctis poſſunt. Reuerſus inde Patauium VI.

Idus Maij de eadem re cum Cardinalibus queſtus eſt. Inde fide data uocauit ad ſe Azonem, & Rinaldum filium cum amicis eorum, ac Rinaldum, & Adeleidem ſponſam eius, Alberici filiam, obſidum loco in Apuliam miſit. Inde aliquot ciues Patauinos, qui uenienti marchioni obuiam honoris cauſſa prodierant, Mantuam, tanquam lubricę erga ſe fidei homines, relegauit: atque hæc omnia inſtinctu male reconciliati Icilini peregit. Vicetiam inde profectus ciues Patauinos in carcerem ab Icilino coniectos liberauit. Ibi uerò cum eſſet, Albericus propter filiam, quam vnice diligebat, in Apuliam cum genero quaſi ad ſupplicium amandatam alienatus cum amicis ſuis Taruiſium occupauit, atque uxorem, & filios Iacobi prætoris ipſo fuga elapſo captiuos fecit. Qua re audita Fridericus Patauium redijt, & carrocium, atque exercitum Patauinum ad Caſtrumfrancum Taruiſinorum adduxit, Azone, Icilino, ac nobiliſſimo quoque viro Marchiæ comitatus. Ibi Taruiſinis octo dierum ſpatium ad mandata ſua facienda præſtituit, quo tranſacto Caſtrumfrancum, & Taruiſium à flumine Silis vſq; ad mare populo Patauino donauit: atque hoc priuilegium Theobaldo urbis prętori pręſenti, ac pro Communi recipienti dedit. ac III. Non. Iulias agrum Taruiſinum immiſſis militibus peruaſtauit. Quo facto Veronam verſus recedens Sanbonifacium uenit, atque ibi ab Azone ex ſuſpicione quadam ſuborta ſibi diffidente relictus, amicos eius & ibi, & Patauij corripi iuſſos Veronam, & Cremonam cuſtodiendos dimiſit. atque inde Cremonam ſe rettulit. Azo verò domum reuerſus omnia oppida ſua, quibus ſpoliatus ab Icilino fuerat, menſe Auguſto recuperauit, ac Patauium ad ſe traducere per amicos, quos habebat in urbe, tentauit. Qua re comperta Icilinus eorum alios alia morte, & quidem ignominioſa omnes mulctauit. ex quo res Patauina afflictior eſſe cœpit. Gregorius autem pontifex, ut uidit Fridericum ſpreto anathemate in contumacia permanere, atque aſpere de ſe & loqui, & ſcribere, Venetos, ac Genuenſes pacificatus, cum utriſque, & Lombardis fœdus aduerſus eum percuſſit, ac bello in Apuliam, Lombardiamq; decreto, Lombardię legatum Gregorium Montelõgum pręfecit, qui populos ad bellum, quacunq; ope poſſent, adminiſtrãdum accenderet. Hic Bononiam primum, deinde Mediolanũ acceſſit, atque utrobiq; varia de inferendo bello cõſilia

habuit:neque enim ſatis conſtabat,vnde hoſtium oppugnationē ordiri vtilius eſſet,cum Mutinenſes,& Ferrarienſes æque res Friderici fouentes pariter amoti à ſacris, & piorum communione fuiſſent. obſequutus demum voluntati Bononienſium cum Mutinenſibus rem gerere,& Friniates,qui à fide defecerant,vindicare decreuit. Eam ob cauſſam Huberto Vicecomite prætore ſtatuit ciuitas,ut poſthac prætor,vbi magiſtratum iniſſet,recuperaret à Gualandellis, & Friniatibus, qui proditionē Communi Boroniæ fecerant,omnem pecuniā, quam ab eo acceperant,nomine ſocietatis initę inter Commune, & ipſos Gualandellos,ac Friniates ab eis,ſi poſſet,aut ab eorum prędibus, eamq; auferret ab eis,aut eorum ſucceſſoribus,& poſſesſiones exigeret,quas habebant,tempore cōtractus,eoſquè exilio mulctaret, neque reſtitui poſſent,volente,neque inuito Conſilio. Quin etiam ut maior pecuniæ copia haberetur,ſanxit,ne quis paganus in poſterum à tributo conferendo immunis eſſet, aut ab alijs functionibus publicis eo nomine, quòd haberet equos pro honore ſuo,aut alio modo,niſi eſſet ei imperatus à ciuitate,&,ſi quod Conſilij decretū, aut ſi qua ſententia ſuper eo reperiretur, ne ualeret. III. Nonas Iulij ab hora ſexta vſque ad nonam ſol tanta obſcuritate obductus eſt,ut meridies omnibus ſpeciem intempeſtiuę noctis afferret, quippe cū ſtellas in cœlo perinde ac nocte ipſa nudaret. quare in religionem verſa vulgo homines ita perculſi ſunt, ut multi finem inſtare ſeculi arbitrati ad peccata ſua per confesſionem expianda,& pœnitentiam agendam cōfugerent. alij verò in gratiam cum inimicis ſuis veteribus iniurijs condonandis redire contenderent.Per eoſdem dies Bononienſibus noua præter opinionem rei ad Fauentiam gerendæ occaſio data eſt: quam ſociorum cauſſa haudquaquam prætermittere placuit. Quippe Gibellina factio, ut Vidonem Raulum, alioſque ſuæ partis primarios homines à vinculis liberaret, Gibellinoſque reduceret, Comites Mutilanę,& Balneocaballi, ceteroſque Gibellinos ſolicitauit,ac multis millibus hominum cōtractis ad Fauentię oppugnationem accesſit. Guelfi autem, qui Fauentiæ erant, cum, quanto in periculo uerſarentur, animaduerterent, ſubito auxilium à Bononienſibus petierunt. Qua re cognita Bononienſes ſummo ſtudio tres tribus cū carrocio emiſerūt: atque ad hoſtes profecti protinus acie conflixerunt, atque ipſis ſuperatis hoīes quingen-

tos ce-

tos ceperunt, in primiſque ipſum Mutilianę Comitem Aginulfum, & Rogerium, & Maluicinum, omneſque Bononiam quaſi in triumpho duxerunt. Ferociores deinde ex re bene geſta effecti, ſocietate cum Paulo Trauerſario Rauennate factionis Guelfæ in ea ciuitate principe iuncta, bellum Mutinenſe ſibi perſequendum cenſuerunt. ac prid. Nonas Auguſti Iacopino Prendipartio duce copias in Friniatium fines induxerunt, ac Montem Turturem, Maranum, & Balugolam, cum modicis defenderentur prę ſidijs receperunt, neque longius procedendum rati, ſe Vineolam rettulerunt. Vineola antiquum oppidum fuit (quippe cuius etiã mentio per bella Berengariorum apud Luitprãdum inueniatur) in colle poſitum. Quam hac ætate cum marchionis nomine obtinet uir omnium ſcriptorum prædicatione cõcelebrandus, quippe non minus litterarum, quàm militaris diſciplinæ ſtudioſiſſimus, Iacobus Boncompagnus, Dux Soranus. Hanc igitur omni machinarum genere, cum ſe ſponte non dederet, manganis nempe, & gattis, & briccolis quatere ab omni parte ante exitum Septembris cœperunt. Qua re cognita Fridericus, ut Mutinenſibus opem ferret, Cremona, paucos ibi dies moratus, adhuc Auguſto menſe mouit, ac Bononienſium in fines ingreſſus agros eorum campeſtres uaſtare inſtituit, & caſtrum Plumatij oppugnatum haud magno negocio, quippe uallo ligneo, quo uno munitũ erat, incenſo recepit, atque inde ad Crepacorium duxit. Quod ubi Bononienſes cognouerunt, ut illum à progreſſu auerterent, nocte Mutinam citato curſu cum turmis equeſtribus prouolarunt. Ibi cum omnes ſomno merſos in cubilibus oppreſſiſſent, tãtum tumultum ſuburbijs intulerunt, ut eo audito etiam, qui in urbe erant, trepide ad arma contenderint. inde multis hominibus captis, atque aliquot neci datis, ac ſuburbio portæ S. Petri incenſo domum ſe receperunt, nempe Fridericum timentes, qui Crepacorio capto, atque euerſo, ut Mutinæ ſubueniret, V. Idus Septembris ex agro Bononienſi diſceſſit. Ille uerò, ubi profectos Mutina hoſtes inuenit, Mediolanum ſe contulit. Hæc nos in domeſticis commentarijs ſic acta comperimus. Màtthęus uerò Pariſius omnia in maius in Anglia nunciata ſignificat; ſiquidem his de rebus ita ſcribit: Fridericus cupiens Mediolanenſibus auxilia Bononienſium intercludere, in Bononienſes impetum fecit. Volebant enim auxilio pontificis, & Mediolanenſium ad

opprimendum exercitum Imperatoris accedere, cũ ecce exeuntibus illis occurrit Imperator, atque armatos ſuos inter urbem, & ciues intulit, atque eorum ordines ſubito diſiecit, ita ut ad vrbem refugientes in amnem, quem tranſire debebant, præcipites ſe dederint. poſtquam autem, qui in urbe remanſerant, manus dederunt, exercitum Mediolanum conuertit. Quæ quàm aliena ſint, ex ipſa dicendarum rerum ſerie ſatis apparet. Fridericus inde agrum Mediolanenſium per viginti dies effuſa populatione diripuit. tandem ad Padum delatus ibi Octobri menſe imbribus continuis detentus, repentino fluminis incremento maximum periculum adijt, atque inde incolumis Cremonam euaſit. Tum uerò Mutinenſes Vineolæ ſuccurrere uolentes Parmenſium, ac Ferrarienſium auxilia euocarunt, ac VI. Nonas Octobris eò venerunt, neque ulla interpoſita mora, magna vi, ſe in ipſas eò profectas Bononienſium copias incitarunt. Quorum impetum ubi ſe ſuſtinere non poſſe Bononienſes uiderunt, ilico machinis omnibus relictis pedem rettulerunt, uerùm magno admodum detrimento accepto; quippe militum alijs in prǽlio deſideratis, alijs in flumine, quod forte imbribus intumuerat, raptim traijciẽdo ſubmerſis: atque hoc eſt, quod Pariſius audire in Anglia potuit. Ex agro inde Bononienſi in Mediolanenſem prid. Idus Septembris ſe contulit, ac Melegnanum, Landrianum, Baſilicam Petri, & alios pagos nouemdecim diruit, ac ſecum habens Henricum filium, Germanos, Apulos, Tuſcos, Siculos, & Saracenos tandem ad Plebem Locatis peruenit. Mediolani tum aderat Gregorius legatus, eo præſente conſultatio inita eſt, vtrùm bellum mœnibus, an corporibus propulſare præſtaret. eaque ſententia reprobata, quę patiendam in urbe obſidionem cenſebat, decretum eſt, ut populus armatus aduerſus Fridericum egrederetur. Itaque delectu adeo acri habito, ut legatus clericos etiam ad arma uocaret, obuiam cum exercitu ornatiſſimo itum eſt, cum carrocio ſerico purpureo ſtrato, aurea cruce, inſignique uexillo, Gregorio ipſo, & fratre Leone ordinis Minorum in caſtris agẽtibus, atque omnes ad arma Friderico abſtento acriter inferenda hortantibus. Capitaneorum, & ualuaſorum legio, ut ſigna Friderici conſpexit, ſubito illi malum inclamare cœpit. Inde pugnæ initium introductum. Saracenos à Friderico immiſſos cum Bazariẽſes duce Othone Mandello excepiſſent in fugam haud magno

negocio

negocio conuerterunt, paſſimque ſtrauerunt. Quare Fridericus perterritus caſtra ad Casſinas Scanaſias rettulit: atque eò poſtridie Cremonenſes carrocium adduxerunt, tum demum ſe clades à Mediolanenſibus acceptas relaturos putantes: inde aquarum illuuie caſtra mouere compulſus ſeſe inter Breſate, & Caſorate recepit, è cuius regione Mediolanenſes quoque caſtra ſua fixerunt, ac profunda foſſa effecta, eaque proximis immisſis fluminibus aqua repleta ſeſe aduerſus incurſum Friderici communiuerunt. quinta inde die a Comenſibus deſtituti pauorem, ac fugam ſimularunt, ac relictis caſtris proxima nocte ſeſe in proximis oppidis abdiderunt. Fridericus uerum fuiſſe timorem ratus eos inſequutus eſt: vbi verò ad locum inſidiarum venit, Otho dato ſigno propere in hoſtes erupit, atque inopinato incurſu ita perturbauit, ut pugnæ immemores fugæ ſe mandarent, multis in ipſius foſſæ tranſitu eliſis, plurimis cæſis, & maxime ex Cremonenſibus, & Papienſibus, qui primi ſe traijciendæ foſſæ tradiderant. Fridericus aquam foſſæ exhaurire conatus à Mediolanenſibus prohibitus nequijt: deinde asſiduis ſuorum proditionibus territus in Apuliam, ubi bellum acriter à Venetis gerebatur, redire conſtituit, ac Lombardiæ urbibus firmo præſidio communitis Parmam, & ſuperato Apennino Lucam, ac Piſas peruenit: ubi per aliquot dies moratus Piſanos aduerſus Genuenſes Eccleſiæ deditos inflammauit, atque Etruriæ populos ad ſuas partes traduxit. Inde Hencio Italiæ legato ad occupandam Marchiam Anconitanam miſſo ipſe in Ducatum, & Patrimonium inijt, ac Viterbium, atque alia finitima oppida nullo negocio in ſuam ditionem adduxit. Quibus rebus pontifex in ſummum vrbis timorem adductus ad diuinam implorandam opem confugit, ac clero, & populo aduocato ſacra apoſtolorũ Petri, & Pauli capita protulit, & præmiſſa cruce, cui ligni ſalutiferi portio ineſt, à Laterano in Vaticanum proceſsit. Ibi uerò orationem ex ambone commiſeratione plenam habuit, in qua periculum, quod ab Imperatore ipſi Eccleſiæ inferretur, oſtendit: inde lacrymas populo uberibus lacrymis ſuis eliciens decretum promulgauit, quo præmia ſalutis æternæ omnibus pollicebatur, qui crucem aduerſus Fridericum acrem Eccleſiæ hoſtem ſumpſiſſent, ac multos ad eam ſumendam accendit. Itaque Friderico mox infeſta ad urbem ſigna ferenti legiones crucеſigna-

torum integræ obuiam exierunt, & cum eo pręlium commiſe-
runt: cum autem ille aliquot eorum cepiſſet, rabie efferatus ca-
put eis in quattuor partes diffidit, aut ferro candenti Crucis ſi-
gnum in fronte impreſſit. Inde uaſtatis paſſim circa omnibus,
omiſſa urbe, in Campaniam tranſijt. His de rebus Montelongus
legatus uir acerrimus eò uehementius inſtitit, ut bellum ſumma
ope continuaretur, haud dubia ſpe fretus Friderico è Lombar-
dia profecto occaſionem rei bene gerendæ non defuturam, &,
quoniam ferendum non putabat, Ferrariam, quæ iuris erat pon-
tificij à Salinguerra occupatam aduerſus Eccleſiam ſtare, eam
primo quoque tempore adoriri conſtituit, atque ad fœdus in
eam rem feriendum Venetiarum in urbe inter Venetos, Bono-
nienſes, Azonem, Ricardumque conuenit. Cui Dux Venetiarũ
eò facilius aſſenſus eſt, quòd ſumma Friderici ulciſcendi cupi-
ditate flagrabat, quòd Petrum filium ſuum conſtituto iudicio
vltimo ſupplicio affeciſſet. Bononiæ legiſlatores creati pridie
Kal. Ian. leges duas in tabulas rettulerunt iuſſu Huberti prętoris,
& moderatorum fœderis, & Conſilij Generalis, unam, ne mode-
ratores fœderis, aut alius ex fœderatis Cremonenſem, aut Pa-
pienſem aliquem, aut omnino ex parte Friderici reciperet, alte-
ram, ne cui ex ciuitatibus fœderatis præturam gerere apud ad-
1240 uerſarias ciuitates liceret: vtrique exilij pœna, & publicatio bo-
norum indicta. Anno inde MCCXL. Ferraria IV. Non. Febr.
vndique obſidione eſt cincta. Nam à terra exercitum Montelon-
gus legatus, Mediolanenſes, & Bononienſes, Azo marchio, Ri-
cardus Comes, & Albericus Taruiſij dominus muris applicue-
runt. naualem autem apparatum Ioannes Teupolus Venetorum
pręfectus Pado flumine intulit: atque inde per quattuor menſes
vrbem ualidiſſime oppugnarunt. uerùm Salinguerra opibus Ici-
lini acerrime reſiſtente, atque audacter omnibus ſe hoſtium co-
natibus opponente, nihil profecerunt. Demum Iacobus Teupo-
lus Dux Venetiarum, Ioanne dimiſſo, acceſſit: tũ oppugnatione
ex Ducis conſilio inſtaurata multo arctior res Ferrarienſis eſt fa
cta. Quare Iunio menſe Hugo Rambertus, qui ſecundas poſt Sa-
linguerram in vrbe partes tenebat, magnis hoſtium promiſſis in-
ductus de pace ſermonem inferre non dubitauit. Cui Salinguer-
ra reſpondit: Mihi pax placet, ſed quę hoſtes longe ab urbe pro-
pulſet. Tum Hugo: Ego verò omnino pacem componi uolo. Ita

Salinguerra ad concordiam animū inclinauit, ac fide accepta in caſtra hoſtiū egreſſus conditiones pepigit, tabulaſque confecit. Quo facto legatus, Iacobus, & Azo cum omnibus copijs urbem inierunt, ac Stephanum Badoarium prætorem, Azonē Eccleſiæ uicarium ex pontificis auctoritate conſtituerunt, Salinguerrā autem ſenem quidem Octogenarium, ſed hominem inquietum, ac ſeditioſum, etſi in urbe incolumem relicturos oſtenderant, tamē bono pacis Venetias ablegarunt, atque ad factionem eius deterrendam, domos quoque eius Ferrariç diruerunt. Hugo uerò cū ſe ab interioribus ſegregari conſilijs cerneret, clā urbe profugit, quē plerique ſuorum ſequuti ſunt. reliqui humiliter ſe imperata facturos promiſerunt. Ita Azo ſolus Ferrariam tenuit. IV. Non. Iun. Bononienſes, qui id bellum uiris, armis, opibuſque omnibus iuuerant, ac maximum ad uictoriam propter uicinitatis opportunitatem momentum attulerant, cum Ferrariēſibus prętore ipſo præſente pepigere, vt Ferrariēſes omnes Eccleſiæ hoſtes, prçcipue verò Mutinēſes, & Parmenſes hoſtium numero ducerent, atque eis bellum ſecum inferrent. poſtridie Ferraria diſceſſum. Interim Mediolanenſes, vt Comenſium defectionem vlciſcerentur, in agrum eorum inuecti ipſum vaſtarunt, ac Lucinum caſtrū ſolo çquarunt. Per eoſdē dies cum perlatum in Italiam eſſet, cruceſignatos, qui profecti in Syriā erant, rē ad Damaſcum parum ſecundo ſucceſſu geſſiſſe, Cardinales auctores pontifici fuerunt, vt Conſilium Generale aduocaretur ad remedia laboranti reip. opportuna excogitanda. Itaque Friderico aſſenſum quoque prçbente edictum eſt, vt omnes vbique terrarum epiſcopi Romæ in diem Reſurrectionis ſequenti anno futurum adeſſent. Fridericus autē rebus in Lombardia ruentibus incitatus Apuliç bellum prç fectis ſibi committēdum, atque in Romaniolam ad rebelles deprimendos redeundū conſtituit, atque huius ſui cōſilij certiores Cremonenſes fecit his verbis: *Tantus nos amor, & cura Italiæ ſedandæ ſolicitat, tanta ſolicitudo comitatur curas noſtras de fidelibus noſtris à perſequutione hoſtiū releuandis, vt nullæ Regni noſtri deliciæ, nulla quies, nec aliqua poterunt nos ſolatia detinere, quin expeditis in Regno, & anxietate negocijs ad egreſſum Regni celeriter properantes omiſſa quiete, æſtiuis caloribus, & caſtrenſi pulueri nos daremus accidit autem inter occupationes, & curas publicas perſonam noſtram præ infirmitate corporis incurriſſe dicraſiam, quam cum uirtute uicimus. Quare in priſtinam conualeſcen-*

tiam reſtituti, fortiores facti, & timores æſtiui temporis cõtemnentes cœptũ iter adductis uiribus, & undique potentia noſtra congregata proſequimur, & in Romaniolam procedentes quocunque rebelles occurrerint, per noſtrã potentiam ſub pedibus noſtris oppreſſuri. Itaque itinere per Marchiam menſe Aprili facto, Aſculoque recepto demum in Romaniolam venit. Ibi verò cum Paulum Trauerſarium aduerſę partis principem Rauennę mortuũ cognouiſſet, vrbem illã in primis inuaſit, eamque haud magno certamine XVIII. Kal. Aprilis ſibi adiũxit, neque ita multo poſt indutias vſque ad conſumationem indicti Concilij cũ pontifice pepigit, Mediolanenſibus tamen, & eorũ ſocijs excluſis. Qua re audita Mediolanenſes ſibi timere à Friderico, & Concilio incœperunt, à Friderico, quia rebelles ducerentur, à Concilio, quia hęretici haberentur. Itaque vt famę ſuę conſulerent, & accuſationi Friderici facilius reſpõderent, in multos hęreticos vltimo ſupplicio vindicarunt. Fridericus inde Septembri menſe Fauentiam, quę propè ſola in Romaniola reſiſtebat, acceſſit, eamq; arcta obſidione circundedit. Fauentini verò Fridericum ęgrè bellum continuaturũ aſperis imminentis hiemis temporibus arbitrati, ſe ipſos ad omnem fortiter perferendam iniuriã excitarunt, atq; ita obſidionem in annum alterũ pertraxerũt. Interim Gregorius pontifex duos legatos Cardinales, Iacobum epiſcopum Pręneſtinum, & Othonem diaconũ S. Nicolai in carcere Tulliano trans Alpes miſit, vt epiſcopos frequentes ad Cõcilium aduocarent, & cauſſam pontificiam aduerſus Fridericum obtrectatorem ſuum defenderent. Quo facto Fridericum tacita ſubijt cogitatio, parũ rationibus ſuis idoneum concilium ſibi futurum, cum põtifex inimicus ei pręfuturus eſſet, cuius uoluntati aduerſari epiſcopi, ne ſi uellent quidem, metu abdicationis auſuri eſſent. Quare ad regem Angliæ Septembri menſe ex caſtris Fauentię ſcripſit, vt moneret epiſcopos ſuos, ne ſecuritatis à ſe fiducia freti ad Concilium properarent. atq; inde omnibus etiã epiſcopis idem ſignificauit. Gregorius autem ea re cognita Idibus Octobris ſingulis mandauit, vt cauſſam Dei humanis difficultatibus oĩbus potiorem haberent, atque ad diem dictam adeſſent. Ceterùm Fridericus magnos multis in locis hoc tempore exercitus habuit, vnum, cui ipſe pręerat, ad obſidionem Fauentię, alterum Hencio filio tradidit, vt in mari Tyrrheno legatis, & epiſcopis aditum ad Conciliũ impediret, & in ora Genuenſi fines Ge-

nuenſium, qui à ſe defecerāt, infeſtos haberet: tertium Cōradus filius rex Germaniæ deſignatus cō tra Tartaros omnium maximā adducebat: quartus erat in Marchia Anconæ, & Valle Spoleti: quintus in Terra Sācta cū Rodulfo mareſcallo ſuo ad ea tuenda, quæ acquiſierat. Poſtero vero anno Fridericus litteris Huberti marchionis Palauicini certior factus, Mediolanenſes cum Placē 1241
tinis auxilio Parmenſium, quorum agrum exercitus Friderici uaſtabat, Fidentiolā aduenisse, iactantes ſe ad manum cum Friderico cōferendā cōtendere, motis caſtris aduerſus eos duxit, atque ad Fidentiolā XVII. Kal. Febr. caſtra poſuit. Quod ubi illi cognouerunt, nocte locum reliquerunt. Fridericus inde ad obſidionem Fauentiæ ſe recepit, atque acerbitate hiemis conflictatus, ut primum vis frigoris vere ineunte remiſit, validius muros vrbis verberare ab omni parte uarijs machinarum generibus cœpit: qua in re theſaurum uniuerſum exhauſit. Itaq; cum pecunia illi ſignata deeſſet, nummos è corio factos, & ſigno ſuo notatos præſtito poſt bellum confectum detrimento accipi, & pro bonis expendi præcepit. Muris autem multis in partibus laceratis, cum adhuc obiectis corporibus Fauentini reſiſterent, ac victoriam impedirent, cuniculos agi ſub terram iuſſit; quibus repente patefactis hoſtes in urbem plurimi euaſerunt, uerùm ne ita quidem acriter a Fauentinis repulſi, propoſitum tenuerunt. In his rerum anguſtijs Fauentini ueriti, ne deficientibus in dies magis cibarijs, parum diu ſuſtinere ſe poſſent, tenuiſſimum, ac uiliſſimum quenque ad laxandas annonæ anguſtias urbe excedere compulerunt. Quo remedio non proficiente mox grauius macerati vxores etiā cum ancillis, & liberis emiſerunt. Quæ in conſpectum Friderici profectæ, atque ad pedes eius proſtratæ magno eiulatu maritis ſuis ueniam implorarunt. Quibus ille ſubiratus reſpōdit. Recipite uos ad viros veſtros, qui quia mei aliquando miſerti non ſunt, indignum eſt, vt à me miſericordiam conſequantur, qui me nuper in ſua urbe incluſum clauſis portis ſubito opprimere impetu uſque adeò ſtuduerunt, ut alium mihi ſimilem, & armis meis indutum ſpecie decepti necarint, ac me dominum ſuum interemiſſe credideri nt; matris verò meæ per urbem tranſeuntis mannum, quo inſidens vehebatur, ſine ulla uerecundia mutilarint. Atque ita illas inedia, ac languore confectas in urbem redire coegit. Qua ſpe deiecti Fauentini demum ſacerdotes, atque alios venerandæ au-

ctoritatis uiros miſerunt, petitum, ut ſibi liceret, incolumi ſalute, tantum cum fęmoralibus egredi, quemcunque in locum ille præcepiſſet, in exilium profecturis. Quibus ille dixit: Quia uos me in proſperitate redeuntem agnoſcere noluiſtis, nec ego uos in calamitate clamantes audire volo. Qui enim dum poteſt, quoad poteſt, delinquit, dignus eſt, ut quantũ puniri poteſt, puniatur. Quibus uerbis auditis Fauentini, qui conſumptis cibis omnibus amplius ſe ſuſtinere non poterant, ſqualore, fame, ac deſperatione confecti ingenti agmine facto ad pedes eius uenerunt, atque humiliter ſe abijcientes magna ui lacrymarum miſericordiam implorarunt, atq; ita obſtinatum eius ad ſumẽdum ſupplicium animum expugnarunt. Nam quos morte afficere propter graues ab illis acceptas iniurias conſtituerat, eos & uiuere, & ſua habere permiſit. Hæc XVIII. Kal. Maij acta, ut ipſe in epiſtola ad regem Anglię ſcripſit, quam Pariſius in annales ſuos, a quo hæc hauſimus, rettulit. verba verò Friderici quoque placet adijcere: *Cum ciuitas Fauentiæ ſuis diffiſa meritis, & propria munitione confiſa beneficio temporis hiemalis auſa fuerit noſtræ rebellionis uiribus præſtare repagulum, veris tamen reſtituto tempore hac eadem ciuitate, machinarum noſtrarum incurſione quaſſata, muris ruentibus, & foſſoribus noſtris penetrantibus per meatus ſubterraneos intima ciuitatis, ut manualiter inter ciues, & bellatores noſtros bella concurrerent, & oporteret eos pro minis corpora cominus præſtare gladijs exponenda, ſumpſerunt ſanius pro eorum ſalute conſilium, quibus expugnatio uicinum excidium minabatur, & ad implorandam noſtram miſericordiam continuo clamore ſæpe conuerſi, die Dominico decimo quinto die Aprilis, mandatis noſtris, & beneplacitis ſe præciſe mãciparunt ſubijcientes in noſtram miſericordiam ſuas pariter & perſonas præſtitis fidelitatis debitæ iuramentis, et illicitis iuramentis, ſi quæ fuerunt, abiuratis. Ad quorum receptionem noſtri comes Imperij ſemper indiuiſa, & iuſti arbitra moderaminis clementia nos induxit, quæ victoris animum vicit, vt cum victis miſericorditer ageremus, rati glorioſiorem eſſe uictoriam miſereri conuerſis, quàm in eorum caſu vlciſci miſerabili; pium genus uindictæ putantes ignoſcere noxis, dum potuimus ſerius vindicaſſe. Remiſſa eſt igitur gratis offenſa, licet non minima, & rei Imperialiter abſoluti, ciuium, & ciuitatis ſtatu ſub noſtro, & Imperij iugo, quo nihil ſuauius, aut dignius eſſe probabunt, pro rerum qualitate diſpoſito.* Per eoſdẽ dies Iacobus in Franciam, Otho in Angliam, & Gregorius de Romagia ad Genuenſes legati pontificij Genuæ morabantur,

conſilia de tuto Romam itinere inter ſe volutantes. erant enim cum eis archiepiſcopi, epiſcopi,& abbates plurimi. qui vt minis Imperatoris à traijciendo deterrebantur, ſic mandatis pontificis parere, æquum arbitrabantur. Incertos autem, an~ipiteſue conſilij Genuēſes ea moleſtia liberarunt, profeſſi, ſe eos Romam claſſe incolumes deuecturos. Quos pontifex quoque ſe opportuno ſubmittendo ſubſidio excepturos promittens multo magis ad traijciendum accendit. Quod ut cognouit Fridericus, eos ad terreſtre iter per regiones ſuas faciendum promiſſa ſecuritate inuitauit, cupiens eos de ſtatu rerum ſuarum cōmonefacere, ac cauſſam eis ſuam probare, çum diceret, ſe à pontifice indicta cauſſa fuiſſe damnatum,& pro hęretico diuulgatum, neq; æquum uideri, vt cauſſa ſua ab inimico homine, atq; eius amicis rem ignorātibus iudicetur. ſe, ſi facultas ſibi data eſſet, ad eos uēturum, atq; omnia coram demonſtraturum fuiſſe. Quibus petitionibus poſt habitis, ac promiſſis Genuenſium magna omnia pollicentium ſacri proceres freti conſcenderunt. Qua re cognita Fridericus omnia in ſui contumeliam facta interpretans, Hencium primo quoque tempore monuit, ut eos adoriens aut manu caperet, aut alia ratione opprimeret. Itaq; Hencius cum viginti triremibus nouis, atq; inſtructiſſimis, duce Stollio perata ſagaciſſimo, Piſis egreſſus obuiam V. Non. Iun. prodijt, ac certamine nauali commiſſo Piſanis adiuuantibus Genuēſes deuicit, ac legatos proceres,& nūcios fœderatarum ciuitatum, paucis tantum elapſis, aut captiuos fecit, aut mari ſubmerſit. Qua re Fridericus Fauētię cognita captiuos deduci Neapolim in vincula iuſſit omnium æſtatis,& nauiū incōmodis cōflictatos,& improbiſſimorū ſæpe nautarū conuicijs laceſſitos, ac ludibrijs fatigatos. Quorum multi fęditatē pati carceris nequeuntes uitæ finem miſere impoſuerunt. Cum autem ex Fauentino agro in Bononienſem trāſgredi ſtatuiſſet, hac victoria parta cōſiliū reuocauit, ut ipſemet ſcripſit,& Romaniola uniuerſa iuris ſui facta, Hencioq; Lōbardiæ legato relicto in Marchiā retroceſſit, ac Piſauro, Fanoq; direpto, in Ducatū trāſgreſſus Tuder, Narniāq; recepit.& per Comitem Simonem Cluſiū, ac Viterbiū occupauit. atq; inde iterū in fines Romanos ſe intulit. Quarū rerum dolore confectus pōtifex Gregorius iam centum annos natus XI. Kal. Sept. naturæ conceſſit. Comitijs in de creādo pōtifici habitis, cum ſoli decem Cardinales adeſſent,

ac ſentẽtijs inter ſe diſcreparẽt, miſerũt ad Fridericũ oratum,ut duos Cardinales,quos in cuſtodia haberet,dimitteret,quacunq; conditione uellet: neq; enim comitia pontificia,unde reip. ſalus penderet,aliter optatũ perduci ad exitũ poſſe. Quod ille cum eo indulſit,ut ad cuſtodiã redirẽt,niſi ipſi põtifices euaſiſſent. Inde X.Kal.Octobris Gaufridus epiſcopus Sabinus patria Mediolanẽſis eſt ſubrogatus, ac Cæleſtinus IIII. uocat⁹,ac poſt ſeptẽdecim dies iã ætate cõfectus,antequam cõſecraretur,eſt mortuus. Quo facto Cardinales iterum coierunt, uerum propter diſſidia, ꝙ alij Imperatoris, alij Eccleſię cauſſam in ſuffragio ferendo ſpectarẽt, comitia reliquerunt,atque alij aliò abierunt. Sequens annus
1242 nulla re memorabili fuit inſignis. Cardinales uix ſeptem Romæ fuerũt,quibuſdam uita functis,nonnullis morbo affectis,alijs domos ſuas occulte profectis. In Lombardia belbum utrinq; continuatũ. Montelongus Mediolanenſes impulit,ut Comenſes,à quibus deſtituti neceſſario maxime tẽpore fuerant,armis urgerent. quare impetu in eorũ fines facto Lucinũ, & multa alia caſtra eis eripuerunt. Hencius autẽ Placentinos adortus omni ope Roncaiellũ obſedit,ſed potiri non potuit. In Marchia Icilinus ſęuire aduerſus omnes ſine diſcrimine cępit. Nam cũ Azonem nec opinãtem opprimere Montagnanæ non potuiſſet, caſtrũ incendit. Pataulj uerò multos non tã nobilitate, quàm diuitijs nitentes ultimo ſupplicio affecit,ijs criminibus obiectis ꝙ aut præſentẽ ſtatum reip.damnauiſſent,aut urbẽ Azoni prodere uoluiſſent. quin etiã,ut Alberico fratri noceret,agrum Taruiſinum depopulatus eſt:tũ nouos prætores à ſe Veronæ,Vicetię,& Pataulj cõſtitutos Ateſte adduxit, atq; oppido dimiſſo ſegetes iã maturas exuſſit. in urbe autem Pataulj arcem ędificauit,eamq; fędiſſimo,atq; obſcuriſſimo carcere nõ ad cuſtodiã reorum, ſed ad ſupplicium inimicorum inſtruxit:atq; in eo primum illius architectum mori ob uerbum temere prolatum coegit. Mediolanenſes,Genuenſes,& Placentini cum marchionibus Montisferrati, Ceuæ, & Careti pacẽ fecerunt,eoſque fędere pro tuenda Eccleſia ſibi iunxerunt. Fridericus interim caſtra circum Romam quieta habuit, ac Cardinales ſemel,atq; iterum,ut coirent,ac põtificẽ ſedi apoſtolicæ darent,admonuit. nam ſe eorum culpa aliquam ex tam diuturna uacatione notam infamiæ contraxiſſe;ſiquidem uulgo iactari,ſe comitiis impedimentum, ac moram inferre. illi uerò reſponde-

runt,

runt,ſi pacem tanto ſtudio coleret,Cardinales,quos in cuſtodijs haberet(etenim duo creato Cæleſtino ex pacto redierant)remitteret.qđ ille fecit. Vbi verò ſequenti anno ne voti quidem huius 1243
compotes factos cõuenire animaduertit,ira percitus urbem corona circundedit, ut eos ulciſceretur, qui ſchiſma, & diſcordias alere videbãtur. poſt autem Romanis culpam in Cardinales reij cientibus, Cardinalium poſſesſiones, atq; Eccleſiæ ciuitates inuaſit.pręcipue autem Albanum Saraceni ſic expilarunt,ut ne ſacra quidẽ vaſa reliquerint.Quibus detrimentis Cardinales permoti iterum Anagnię conuenerunt,ac die S. Io.Baptiſtę Sinibaldum Fliſcum Genuenſem presb. Card.tt.S. Laurentij põtificem deſignarunt,ac die SS.Apoſtolorum conſecratum Innocentium IV.vocarunt.Quod ut Fridericus cognouit,cõtinuo ad eum gratulãdi cauſſa nuncios deſtinauit,in quibus Petrus Vinea,& Thomas Sueſſanus fuerunt,adiectis litteris cum his potisſimum uerbis: *Adueniſti nobis è nobilibus Imperij filius,vetus amicus,nouum creatus in patrem per quem confidat Imperium vota pacis,& ſua iuſtitia inuiolata ſeruari.*& paullo poſt.*Nuncij noſtri tanquam intima conſcij uoluntatis noſtræ, & deuotionis ad patrem veraces erunt interpretes, tam nos, quàm potentiam noſtram,Imperium,ac regna noſtra veſtris beneplacitis ad honorem Eccleſiæ, ac fauorem omnimodum Eccleſiaſticæ libertatis, quantum cũ Deo ſaluis iure, & honore Imperij, & noſtrorũ regnorũ poſſumus, obnixius offerentes.* Quod vt populi viderunt,in ſpem omnes erecti ſunt,fore, ut res cum Friderico breui tempore conuenirer, disſidiumq; omne facile tolleretur,cũ Innocentiũ Cardinalem rebus Friderici ſumme ſemper ſtuduiſſe meminiſſent. Solus Fridericus qđ erat euenturum proſpexit.Siquidem amicis gratulãtibus reſpondit, ſe iuſtiorem doloris, quàm lętitię cauſſam habere, ꝙ Cardinalem amicum amiſiſſet, atque infenſum pontificem acquiſiſſet.uere. Etenim Innocentius ſimul cum pontificatu pontificium quoque ad tuenda eccleſiaſticã iura ſtudium nactus,cõfeſtim Petrum archiepiſcopum Rotomagenſem,Gulielmu epiſcopum Mutinenſem,& Gulielmum abbatem S. Facundi ad eum legauit,denuncians, ſe paratum eſſe pacem cum ipſo componere,ſi crimina illa purgaret, quorum damnatus fuiſſet; nam & ſe, ſi Eccleſia illum in aliqua re lęſiſſet, regum, procerumque ſacrorum, ac ſæcularium iudicio,arbitrioque ſtaturum. Quam ille conditionem inſolentius reſpuit, ac ſtatim portus,atque itinera

diligenter cuſtodiri mandauit, ne litterę ad Tranſalpinos reges, & populos harum rerum nuncię perferrentur, ac fratres aliquot Minores, qui occulte deferebant, corripi, ac fœdo affici ſuſpendio iuſſit. Quę res ubi percrebruit, mire animos omnium ferme ab illo populorum auertit. Itaque Viterbiēſes cum adhuc in fide eius māſiſſent, iniurijs aſſiduis pręfectorum eius exagitati haud longius ſuperba illorum pati imperia potuerunt, ac tumultu cōcito Nonis Septembris prętorē, ac cęteros magiſtratus oppido exegerunt, ac Cardinalem Rinerium ciuem ſuum acceiſiuerunt, ac per eum ſeſe cum Romanis fœdere coniunxerunt. Inde cū auxilia confluxiſſent, arcem, quam Simon Comes tenebat, vario apparatu obſidere ſimul, atque oppugnare cœperunt. Etenim non ſolum obſeſſos ad ſummam victus inopiam redegerunt, ſed etiā defenſores frequentibus machinarum ictibus fatigarunt, muros cuniculis ſubtraxerunt, & fontium aquas aut ſubduxerunt, aut certe veneno infecerunt. Simon autem cum fame ſimul, atque aſſiduis propugnationis laboribus premeretur, litteris Comitē Caſertanum, atque ipſum adeò Fridericum ad opem ſibi in extremis rebus ferendam acciuit, ſperare ſe inquiens ſi os ille tantummodo hoſtibus oſtendiſſet, ipſos fuga arrepta ab obſidione ſe remoturos. Qui cum demum ueniſſet, urbem militum corona circundedit, quam Rinerius Cardinalis induſtrie tuebatur, omnibus remiſsionem peccatorum indulgens, qui fortem operam prębuiſſent. Qua re audita Romani & ipſi cum firmiſsimo copiarum numero accurrerunt, ac Viterbienſibus ſimul ex vrbe vno tēpore erumpētibus tanto impetu Fridericum ipſum adorti ſunt, vt ſuſtinere nequiuerit, atque inde fugientis in modum ſe referre coactus ſit, periculo adeò proximus, vt pro interempto ſit habitus, quēadmodū Pariſius prodidit. Nā ipſe ſe Othonis Cardinalis aduenientis amici ſui rogatu diſceſsiſſe ſcripſit, promittentis, fore, vt pax cū pontifice firmaretur, & Simon, atq; alij, qui in arce obſidebantur, incolumes cū rebus ſuis emitterentur: neque fidem ſibi eſſe ſeruatam. ſiquidē oēs Romam in vincula eſſe perductos. Viterbio, atque arce recepta, ac mox Cluſio quoque in ditionem redacto, certatim finitimę ciuitates ſeſe Viterbiēſibus adiunxêre. Fridericus cum ſeſe Piſas recepiſſet, ad Conradum filium ſcripſit, ut omnes, qui ex Germania ad aulam pontificiam ueniebant, interciperet, atque ad mortem uſque tormentis

afficeret, atque inde in Apuliam redijt. Qua re cognita marchiones Montisferrati, & Malaſpina, Vercellenſes, Alexandrini, Haſtenſes, & aliæ ciuitates ab eius amicitia deſciuerunt. Hæc uerò merito ipſi accidere vulgò homines dictitabant, quòd ipſe eiuſmodi imbutus moribus eſſet, ut neque officia diuina audiret, neque Deum prece propitiaret, nec debitum ſacerdotibus honorem haberet, nec de fide catholica recte aut loqueretur, aut ſentiret; & mulieres Saracenas amicas haberet, uiros uerò in Italiam induxiſſet, eiſque Luceriam urbem munitiſsimam aſsignaſſet. Eo anno in Lombardia, aut Marchia res parum memorabiles actæ. Cum Mediolanenſes Melegnanum munire pararent, Hencius ad opus impediendum occurrit. uerùm à Mediolanenſibus, ſocijſque repulſus re infecta diſceſsit. Icilinus Bonifacium Panici Comitem exulem Bononienſem Veronæ comprehendit, atque inſimulatum, quòd Veronam fœderatis tradere voluiſſet, in foro Patauino ſupplicio capitali affecit. ac mox Sanbonifacium Ricardi Comitis oppidum adortus primo impetu cepit, ac ſtatim euertit. Proximo, Fridericus in Patrimonium reuerſus 1244
animum tandem ad pacem cum Eccleſia faciendam adiecit, nempè aſsiduis monitis, ac precibus amicorum omnium ſtimulatus. Itaque Comitem Toloſanum, Petrum Vineam, & Thomã Sueſſanum legatos, ac procuratores ſuos Romam miſit, ac per eos apud pontificem in Cœna Domini, Balduino Imp. Conſtantinopolitano pręſente, iurauit, ſeſe ipſius arbitrio pontificis permiſſurum, ac iura, & prędia Eccleſię, quę controuerſiam facerẽt, dimiſſurum; cuius pacis cõditiones pluribus à Pariſio perſcribuntur. Inde collecto animo, & mutato conſilio, ſe huiuſmodi ſacramento, vt ſibi pernicioſo, ſtare nolle oſtendit. Itaque Innocẽtius, vt propius de pace, quę infirmabatur, cum eo tractaret, cũ omnibus Cardinalibus ad ciuitatem Caſtellanam acceſsit: Inde in vigilia SS. Apoſtolorum Sutriũ adijt, ac Fridericũ ad promiſſa pręſtãda vrgere vehemẽtiſsime inſtitit. Ille verò ſe pacta ſeruaturũ, ideſt iura Eccleſię dimiſſurũ, reſpondit, ſi prius anathemate eſſet ſolutus. Innocẽtius aũt, quorſum eiuſmodi ſpectaret exceptio, nõ ignorans, diſertiſsime abnuit. Qua de re Fridericus accenſus nõ ſolũ grauia aperte minari, ſed multo atrociora occulte moliri inſtituit, ita vt non ſolum pontificis famæ non parceret, ſed etiam capiti inſidias compararet. Quibus rebus cognitis Innocentius

quanto cum ſui periculo in eis locis moraretur, animaduertens, furtim inde ſibi, ne ab eo interciperetur, abeundum exiſtimauit. ac per fratrem quendam Minorem Philippo Vicedomino Genuæ prætori ſignificauit, quo in diſcrimine uerſaretur, orans, ut occulte cum triremibus armatis, & nepotibus ſuis ad ſe accedere properaret, & ſe ex hac difficultate eximeret. Prætor rem ad Senatum detulit. Senatus ſtatim ad eum cum uiginti duabus armatis triremibus ire decreuit. Is Alberto, Iacobo, & Hugone Fliſcis fratris pontificis filijs ſumptis nauigatione aliorſum in populo ſimulata X I. Kal. Iun. portu ſoluit, ac ſecundo curſu ad ciuitatem ueterem uenit. Quo cognito pontifex ſilentio noctis mutato habitu Sutrio ſe ſubduxit, & cum ſex Cardinalibus ad claſſem contendit, ubi ueſtibus ſactis indutus ipſam ſolemni benedictione luſtrauit, atque omnibus, qui ea uehebantur, liberalem ueniam peccatorum indulſit: inde ſoluta ora, licet aduerſa tempeſtate iactatus, Portum Veneris attigit, ubi ſe ex iactatione refecit. demum Nonis Iunijs Genuam incolumis adijt, cui archiepiſcopus, clerus, & populus uniuerſus obuiam prodeuntes eum honorem habuerunt, qui tantæ dignitati debetur. Nam ut triremes omnes pannis holoſericis, aureiſque contexerant, ſic ijſdem uicos urbis, quâ tranſiturus erat, operuerunt, atque ad archiepiſcopalem domum magna cum omnium lætitia deduxerunt. Inde reliqui Cardinales terreſtri itinere, auxilio fœderatorum Mediolanum, exeunte Auguſto, uenêre, atque inde Genuam incolumes adiêre. Fridericus, ubi tacitam Innocentij profectionem cognouit, omnibus oppidis Patrimonij communitis, Piſas ſe contulit, &, quòd Innocentium multos Parmæ habere affines ſciebat (nam ibi ſorores aliquot nuptui dederat) legatum ad eas res confirmandas miſit, ac rebus Tuſciæ conſtitutis in Apuliam redijt. Dum autem Innocentius Genuæ fuit, haudquaquam inſtitutam pacis tractationem omiſit. uerùm Friderico in priſtina ſententia permanente, nihil profecit. Itaque ubi ex graui, quo tentatus fuerat, morbo conualuit, I I I. Non. Octobris Genua Cardinalibus, atque omnibus Eccleſiæ proceribus proſequentibus, ac marchionibus Montisferrati, & Carecti latera tegentibus, Haſtam, atque Alexandriam abijt: atque inde per Montemferratum in Subaudiam tranſijt, ac demum Lugdunum, quò iter intenderat, ſub Aduentum Domini uenit,

benigne à Ludouico ipſo rege Francorum exceptus. ac ſtatim Concilium, quod Gregorius habere non potuerat, omnibus Eccleſiæ proceribus ad proximum diem Natiuitatis S. Io. Baptiſtæ indixit, ut de ſubſidio Terræ Sanctæ, & de pace Eccleſiæ tractaretur, atque in hiemali ieiunio Cardinales, quorum numerus ad paucisſimos erat redactus, allegit. Eo anno Bononiæ gliſcentibus in dies ciuilibus ſimultatibus, fr. Benedictus Veronenſis ordinis Prędicatorum opportune in urbem uenit. Siquidem auctoritate ſua, epiſcopo etiam, & prætore ſumma ope ciues orantibus, ut remp. priuatis odijs potiorem habere uellent, pacem inter familias haſce conciliauit, Delphinos, & Malataſcas, Taurellos, & Andalos, Grifonos, Arteniſios, & Caſtrobrittos, Pepulos, & Tettalaſinas. Hi cum quadraginta annos acerbas inter ſe geſſiſſent inimicitias, nunc demum ſancti hominis auctoritate commoti non ſolum libenter in gratiam redierunt, ſed arcta etiam inter ſe affinitate deuincti ſunt. In Marchia Icilinus Galuanum Lanceam hominem Germanum proditionis compertum prętura Pataui j deturbauit, atque illius iudices, & milites in carcere macerauit, & Ricardum de Rodaliſco ſubſtituit. Ricardus autem Comes, ut cladem ad Sanbonifacium acceptam referret, Hoſtiliam oppidum ad Padum munitisſimum, manu ualida oppugnauit, idque Veronenſibus uel ipſo repugnante Icilino ademit. In Italia eo anno maxima annonę penuria, ac mox ſęuisſima peſtilentia laboratum. Proximo Fridericus cum Concilium aduerſus ſe frequens conuocari Lugduni audiſſet, nihil magis, 1245
quàm ne quid durius aduerſus ſe ſtatueretur, ueritus in Lombardiam redire decreuit, atque in hanc ſententiam ad Cremonenſes ſcripſit, ſe, Comite Caſertano unà cum ciuitate Capuæ ad mandata ſua conuerſo, Regnum pacate tenere, ac propterea collectis uiribus ad Lombardiæ res animum contuliſſe. Itaque, marchione Lancea proditore damnato, Hubertum marchionem Palauicinum, fidelem uicarium ſuum, in Lombardia conſtituere: eique ut pareant æque, ac ſibi, præcipere. Inde Paſchate Capuæ acto in Patrimonium, & Viterbienſi agro uaſtato Aquampendentem, Senas, & Piſas conceſſit. Tum per Lunenſem oram VI. Kal. Iulias Parmam, Parmaque, tranſmiſſo ad Caſale Pado, Veronam contendit. ibique menſe Maio celebrem principum, populorumque conuentum egit: cui pręcipuè Conradus filius, Baldui-

nus Imperator,Dux Auſtriæ, Dux Morauiæ, & Icilinus interfuẽre: atque inde legatos ſummos uiros ad pontificem de re componenda, Hencium uerò, ac Fridericum filios aduerſus Placentinos cum exercitu miſit. Inde conuentu peracto VIII. Idus Iulias Cremonam adijt,atque iter,recepto in amicitiam Bonifacio Montisferrati marchione, Lugdunum uerſus, ut Concilium adiret, intendit: uerùm, cum perueniſſet Taurinum, Innocentium XI. Kal.Iulias ſententiam aduerſus ſe pronunciaſſe,accepit.Res autem ea ſic acta eſt. Innocentius, ubi præſtituta dies aduenit, Natiuitate S.Io. Baptiſtæ tranſacta Cardinales, patriarchas,archiepiſcopos,epiſcopos,abbateſque, qui conuenerant, alloquutus de multarum eccleſiarum neceſſitatibus rettulit, ac Thadęũ Sueſſanum Friderici legatum ſe audiri poſtulantem admiſit, qui in conſpectum patrum progreſſus ſe pro Friderico obiectis criminibus reſpondere paratum eſſe, dixit, ac multa, magnaque ipſius nomine Friderici promiſit: cui Innocentius. Ecquem autem ſponſorem tantarum, inquit, rerum præbebis? illo verò Regem Francorum, Anglorumque ſubijciente, neutrum, inquit, horum accipimus, ne Friderico,vt ante, fidem fallente in vtrunque animaduertere compellamur, ac tres terrarum principes omnium potentiſſimos hoſtes adipiſcamur. Quarto inde poſt die in æde S. Ioannis Spiritus Sancti auxilium ſolemniter implorauit, atque inde calamitates, quibus premebatur, Eccleſia, exponere cum fletu, & lacrymis cœpit: in peroratione uerò crimina Friderici explicuit, hęreſim, ſacrilegia, cum Saracenis commercia, atque in primis multa eius periuria; quæ prolatis eius litteris comprobauit. Quibus Thadęus multis rationibus reſpondit, quas ubi ſpecioſas magis, quàm ueras iudicari à patribus ſenſit, temporis ſpatium poſtulauit, quo moneret Fridericum poſſet, ut ipſe præſens ad cauſſam dicendam ueniret: cui Innocentius, Minime uerò, inquit, immo ſi ipſe acceſſerit, ego abibo: etenim laqueos eius, quibus me uix explicui, pertimeſco, nec me adhuc idoneum martyrio ſentio: demum, cum ille rurſus urgeret, duas hebdomades ad illum de re tota commonefaciendum conceſſit. Quod vbi Fridericus cognouit, omnino conſilium Thadæi repudiauit, negans Imperatoriæ dignitatis eſſe, ſeſe in iure de crimine ſiſtere. Cum autem diebus ipſis tranſactis multi in Concilio uarijs eum de criminibus ac-

cuſarent, eaque teſtibus comprobarent, neque Thadęus ea ſatis diluere uideretur, tum X V I I I. Kalen. Auguſti Innocentius frequenti Concilio ſententiam in eum tulit his ferme uerbis: *Cum Fridericus rex Siciliæ pacem inter Imperium, atque Eccleſiam uiolarit, Cardinales, ac proceres Eccleſiæ prodeuntes ad Concilium aut comprehenderit, aut ſubmerſerit, aut ad indecoram ſubeundam ſeruitutem adegerit, quoſque captiuos fecit, eos fœdiſſimis carceribus ad extremum vſque ſpiritum macerarit, Cum idem nefarijs de fide imbutus opinionibus ſit, & amicitiam cum Saracenis coierit: cum in Regno Siciliæ ſacerdotes impotenter exterminarit, ac varijs tormentis excruciatos necarit, ob has cauſſas, inquit, nos ſuper præmiſſis, & quampluribus alijs eius nefandis exceſſibus cum fratribus noſtris, & Sancto Concilio deliberatione prahabita diligenti, cum Ieſu Chriſti vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobiſque in B. Petri perſonam ſit dictum: Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit in cœlis, memoratum principem, qui ſe Imperio, & Regnis, omnique honore, & dignitate reddidit tam indignum, quique per ſuas iniquitates adeo, ne regnet, vel imperet, eſt abiectus, ſuis ligatum peccatis, & abiectum, omnique honore, & dignitate priuatum à Domino oſtendimus, denunciamus, & nihilominus ſententiando priuamus omnes, qui ei iuramento fidelitatis tenentur aſtricti, ab huiuſmodi iuramento perpetuo abſoluentes auctoritate apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cetero ſibi, tanquam Imperatori, vel regi pareat, & intendat, decernendo quoſlibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel regi conſilium, vel auxilium præſtiterint, ſeu fauorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio, eligant libere ſucceſſorem. De præfato Siciliæ Regno prouidere curabimus cum eorundem fratrum noſtrorum conſilio, ſicut viderimus expedire.* De electione inde Imperatoris ſic ſubdidit: *Dux Auſtriæ, Dux Bauariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, archiepiſcopus Colonienſis, Maguntinus, Salburgenſis ducentur in inſulam Rheni, & dimittentur ſoli in ea, & amouebuntur omnes nauiculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris, nec adueniet aliquis ad eos, donec ſint concordes. Huic negocio præerit archiepiſcopus Colonienſis, ſecundus Maguntinus, tertius Salburgenſis.* Atque hæc omnia cunctis Chriſtianis principibus nota fecit. præcipue uerò Philippum Fontanam epiſcopum Ferrarienſem ad principes Germaniæ

miſit, hortans eos, ut Henricum Landgrauium Thuringiæ deligerent regem, ſeque ei auxilio futurum ad Regnum obtinendum promittens. Hæc uerò ut Fridericus accepit, ira, cuius ſanè potens non erat, exarſit, atque ad ſuos conuerſus dixit: Pontifex in Concilio meam mihi coronam detraxit, uideamus, an ita ſit: ac coronam ſibi afferri iuſſam capiti impoſuit, inquiens: Atqui coronam nondum uel pontificis, uel Concilij decreto amiſi: an uerò principem, cui non eſt par, de culmine Imperialis dignitatis pontifex deturbabit? atqui meliore multo nunc, quàm ante conditione ſum: nam ante in aliqua ſaltem re tenebar ei obtemperare, aut obſequium adhibere; nunc uerò omni obedientiæ, uenerationis, & pacis ſolutus uinculo ſum. Itaque ab illa die pontificem, propinquos, affines, amicos, & bona eius ſine ullo pudore inſectari internecino bello inſtituit, ut autem principes ab amicitia eius ſeiungeret, litteras ad eos ſcripſit omni criminatione plenas, & quaſi ueneno quodam aſperſas; in quibus non ſolum pontifici, ſed etiam uniuerſo ſacerdotali ordine aſperè maledixit, ac ſemetipſum de obiectis criminibus purgare contendit. præcipue autem, ut fauorem ſibi Ducis Auſtriæ compararet, filiam eius ſibi in matrimonium poſtulauit, neque obtinuit, puella ſimul cum patre connubium hominis aſpernante, quem communione piorum Eccleſia exegiſſet. Principes autem pontificis uoluntatem fouentes Henricum regem, ut dixerat, deſignarunt, qui mox partes Eccleſiæ propè in Germania proſtratas erexit. Manſit autem Fridericus Taurini uſque ad Kalen. Auguſti: nam pridie ad principes crimen hæreſis diluendi gratia ſcripſit. Inde Papiam regreſſus bellum mouere Mediolanenſibus ſtatuit, atque idcirco delectus omnium fidelium ciuitatum acciuit. Quibus ſeptus in fines Mediolani ſe intulit, ac Murimundum ſtatim occupatum euertit. inde cum ibi exercitum Mediolanenſium obuium cum carrocio habuiſſet, XII. Kalen. Nouembris caſtra ad Abiate, ad ripam Ticinelli traduxit, atque ibi occurrentibus pariter in vlteriore ripa Mediolanenſibus dies unum & uiginti, re tantum mutuis iaculationibus tentata, tranſegit. Kalen. inde Nouembris ab Buffaloram amnis tranſeundi cauſſa proceſſit, uerùm à Mediolanenſibus eodem occurſu ſe obijcientibus impeditus non potuit. Inde Idibus, motis caſtris, Caſtenum profectus

arcem

arcem Cottarum ſubuertit, neque ibi per eoſdem quoque tranſitus nanciſci copiam quiuit. Quare multis ibi diebus ſine profectu tranſactis, Hencio filio mandauit, ut traiecto occultè iuxta Baſſianum ad diuertigium Abdua, impetum in tractum illum Mediolanenſium faceret. Quo facto Hencius ad Gurguzolam acceſſit, ipſamque oppugnare inſtituit; uerùm Simon Locarnas cum iuuentute portæ Comenſis, atque Orientalis ſic ſe conatui illius oppoſuit, ut prœlio commiſſo ipſum captiuum fecerit, licet Parmenſibus, ac Regienſibus intercurrentibus poſt paullo reddiderit. Hæc in noſtris annalibus ſcripta ſunt. Matthæus autem Pariſius auctor eſt, Mediolanenſes à Friderico, & Hencio inter urbem, & flumen interceptos, ac reditu interclucos cladem inſignem accepiſſe. Fridericus inde Papiam, & Papia Cremonam, atque inde audita rebellione in Apuliam redijt, ita tamen, ut filios Hencium in Lombardia, Fridericum in Etruria legatos reliquerit. In Marchia Icilinus Noulale, & Meſtrium ex agro Taruiſino recepit. Per eoſdem dies iuſſu Friderici Mutina, Regio, & Parma omnes Eccleſiæ fautores eiecti. Ita Regio Roberti, Foliani, ac Lucipini ab Seſſijs; Mutina Aigoni, Rangoni, & Boſchetti à Graſulfis, & eorum factione depulſi ſunt. Idemque Parmæ de Gerardo Corrigio, & Bernardo Roſſio pontificis affinibus factum fuiſſet, niſi ipſi re præuiſa aliquanto ante cùm amicis ſuis urbe ceſſiſſent.
Sequenti anno ſeua adeo Aprili menſe pruina cœlo manauit, ut uites omnes perdiderit. Eodem menſe Fridericus in Campania caſtrum Capuacij, quod à rebellibus tenebatur, expugnauit. In Germania Henricus Landgrauius rex deſignatus in die S. Iacobi ſummo prœlio cum Conrado ad Francfordiam depugnauit, cumque à ſuis in acie deſtitutum ſuperauit. In Vmbria Marinus de Ebulo Peruſinos, & Aſiſiates, qui à Friderico defecerant, debellauit. Hencius bellum in Lombardia cum aduerſarijs ſuis gerere inſtitit, in primiſque factione Bernardi Roſſij Parma depulſa, exercitum aduerſus Placentinos adduxit. Regienſes caſtra duo ex agro ſuo Roſenam, & Felinam, Huberto Palauicino marchione prætore duce, recuperarunt. Bononienſes captiuos ſuos in prœlio ad Vineolam factos à Mutinenſibus, & Parmenſibus receperunt, atque illorum eis reddiderunt: nec Placentinis interea ab Hencio oppugnatis opportuna 1246

ſummittere auxilia deſtiterunt. Ceternm aſſiduis bellis, ac ſeditionibus tum Lombardiam urentibus, uillis, agriſque uaſtatis miſer admodum, uel potius miſerabilis ſtatus eius, ac fœda in primis facies erat: neque enim aut arare, aut ſerere, aut meſſem, aut uindemiam facere, aut omnino rari habitare agricolæ ſine militari cuſtodia poterant, quę à ſingulis ciuitatibus per tribus emittebatur: adeò numerus proditorum hominum, & latronum increuerat, qui homines iter facientes excipiebant, neque niſi exactis mulctis acerbiſſimis, dimittebant, boues auertentes, & niſi ſe redemiſſent, grauiſſimis detrimentis afficientes; cum alios pede ſuſpenderent, alijs dentes euellerent, aliorum in ora bufones uiuos ingererent. Quæ mala honeſtiſſimus quiſque uel ipſa morte triſtiora putabat. Quod uerò intolerabilius uidebatur, alter alteri ſuſpectus erat, ne caperetur, atque ab eo extorquendæ pecuniæ gratia torqueretur. Lupi præterea cum vulpibus fame rabidi per agros paſſim ferebantur, quòd combuſtis uillis, & deſertis agris ſolitum haudquaquam ouium, ceterarumque pecudum pabulum inuenirent: uerùm circa foſſas urbium congregati uolitabant, atque abſurdis ululatibus omnia perſonabant, & ingreſſi oppida intacti ipſos ſępe homines laniabant, quos ſopor in plauſtris, aut ſub porticibus occupabat: quin etiam parietes perforabant, & infantes nacti in cunabulis deuorabant. Quæ ab illis ſcribuntur, qui ſe conſpexiſſe fatentur. Gibertus Corrigius de Gente dictus, & alij nobiles Parmenſes Friderico damnato obedire nolentes ſeſe ad Gregorium legatum Placentiam contulerunt: quibus Fridericus exilium ſtatuit, ac domos euertit. In Marchia Icilinus Caſtrumfrancum, Campretum, & Muſolentum ex agro Taruiſino recepit, agrumque ipſum ferro, igniqueuaſtauit: multos etiam Patauinos falsò proditions inſimulatos publice interfecit, & Veronę ciues aliquot tormentis excruciatos extinxit. Sequenti anno prid. Idus Febr. Ioannes Scannarola, & quidam alij inſidias Icilino paraſſe ſunt accuſati: ex quibus cum Ioannes ab Henrico Egna prætore acrius urgeretur, ut ſe iudicium euadere non poſſe uidit, ſtricto gladio prætoré ipſum oppetijt, ac uita exuit. Quare & ipſe ultimum ſupplicium ſubijt. Ricardus, & Azo, Veronenſibus exulibus, ac Ferrarienſibus ſumptis cúm Icilino, & Veronenſibus urbem tenentibus ad Mincium pugnauerunt:

in quo prœlio I V. Kal. Iun. multi utrinque capti, æſtus magnitudine intercluſo ſpiritu, perierunt. Conradus Henricum regem Aquas ad coronam accipiendam pergentem apud Vlmam adeptus prœlio maximo uicit: unde ille ictu ſagittę ſaucius fugam arripere coactus haud ita multo poſt dolore confectus interijt. Quo nuncio accepto Innocentius quattuor legatos ad concitandos in Fridericum reges ſubito deſtinauit, & cum Hencius iuſſu patris propinquum ſuum captum ſuſpendio extinxiſſet, ipſum in die Paraſceues cum patre diro anathemate iugulauit: atque inde ſtudium ſuum eò conuertit, ut Gulielmus Comes Holandię rex Germaniæ legeretur. Gulielmo inde Aquas ad coronam accipiendam eunti Conradus ſe item oppoſuit, atque ab Octauiano Vbaldino Card. legato Conrado Colonienſi archiepiſcopo, & alijs proceribus Alemaniæ amice monitus, ut incœpto deſiſteret, nec patris damnati ueſtigia ſequeretur, reſpondit, ſe nunquam parentis ſui ſtudio defuturum, atque ita urbem occupatam contra illos obtinuit, ac diuturnam pontificiorum obſidionem ſuſtinuit. Fridericus autem tumultibus Apulię tandem compoſitis Piſas ſe rettulit: atque inde per Parmenſium fines Cremonam peruênit. Ibi uerò ſuadentium auctoritate uictus utile demum conſilium gratiæ cum Eccleſia reconciliandæ cepit, ac Lugduni ipſum conuenire pontificem ſtatuit. Itaque honeſtiſſimo togatorum comitatu aſſumpto Cremona profectus Taurinum acceſſit, ibique alterum conuentum inſtituit. Hencius autem cum Boſone Douaria Regij prætore Vardaſtallum Mantuanorum, qui ad Eccleſiam ſe rettulerant, circumſedit, ac duo eorum nauigia Pado defluentia intercepit: inde ad caſtrum Quintiani Brixianorum oppugnandum proceſſit. Mantuani contra Cremonenſium agrum ingreſſi ipſum infeſta percurſione vaſtarunt. Mediolanenſes, Brixiani, Ferrarienſes, Bononienſes, & Veneti obſidionis cauſſa duobus menſibus apud Luzariam conſederunt. Fridericus inde Taurino profectus ubi radices Alpium attigit, trepido nuncio Parmam ab Eccleſiaſticis receptam audiuit. rem autem ad memoriam inſignem hac ratione geſtã inuenimus. Gibertus de Gente, & alij Parmenſes, qui urbe exceſſerant, omnibus fortunis euerſi, ac ſummis difficultatibus rei familiaris oppreſſi cum Placentiæ uerſarêtur, occaſione admoniti conſiliũ recuperandę patrię inierũt, ac multis Friderici hoſtibus

Eccleſięque amicis in fortunę ſocietatem aſcitis Placentia Gregorij legati nixi opibus euaſerunt, ac ſe inter ſe ad patriam repetēdam hortati, Gerardo Corrigio duce ſibi delecto, Parmam X V I I. Kal. Iulias citato agmine pertexerunt, atque Henrico Teſta Arretino prætore, & Manfredo Cornazano occiſis, & Gibellinis, qui omnes ex urbe ad Tarum armati re perſpecta occurrerant, prœlio profligatis, urbem ſine certamine inierunt, ac benigne à populo accepti poſtridię, concione habita, Gerardum ipſum prætorem deſignauerunt. Qua re præuiſa nobiles, qui Friderico fauebant, ſub eorum ingreſſum ſe cum rebus ſuis ex urbe proripuêre. Parmam tam inopinato caſu ab hoſtibus occupatam poſtquam Hencius audijt, extemplo Quintiani obſidionem reliquit, ſeque trepidus Cremonam recepit, atque opportunis conſilijs agitatis, poſtridie mane Cremonenſes cum carrocio Parmam uerſus eduxit, ac caſtra ad Tarum mortuum poſuit, qui aquarum è Taro uiuo congregatio erat, longe à Parma ſeptem millibus paſſuum diſtans, atque ibi patrem ad auditum huius cladis nuncium recurrentem expectare incœpit: neque ambigitur, quin, ſi recta ad urbem contendiſſet, nondum neceſſarijs munitionibus, præſidijſque inſtructam, eam facile recuperaturus fuiſſet. Dum autem ille aduenit, interim Parmenſibus auxilia à pontificijs acceſsère. Nam Ricardus Comes Vardaſtallo aduolauit, atque urbem à parte ad Orientem uergente ſibi cuſtodiendam aſſumpſit. poſtridie quadringenti equites Placentini acceſſerunt, quibus pars à glarea fluminis attributa eſt: tertio die Gregorius Montelongus legatus pontificis, & Bernardus Roſſius affinis eius cum mille equitibus Mediolano uenerunt: deinde cum expeditis copijs Bononienſes, ac Ferrarienſes: atque hi omnes caſtra in uia ad Burgum S. Domnini ferente locarunt, eaque uallo, foſſaque aduerſus quoſcunque hoſtium impetus firmauerunt. Hoc igitur tam improuiſo ictus nuncio Fridericus, modico temporis ſpatio ad capiendum conſilium ſumpto, I V. Non. Auguſti ad urbis obſidionem ſigna conuertit, eo animo, ut omnem belli Lombardici molem ad eam expugnandam conferret, ſperans ſe facile potiturum, quòd eam nec firmus murorum ambitus communiret, neque foſſarum profunditas tutam efficeret, nec pręparata rerum neceſſariarum copia confirmaret, atque ad vrbem ſocijs omnibus latera

ſtipantibus progreſſus in ea parte, quę dicitur Grola, non longe ab ipſa urbe, nempe in capite Pontis conſedit, firmo animi decreto ſuſcepto, ſe Parmenſes ad deditionem aut uoluntate, aut ui ſubacturum. Itaque acrioris obſidionis inſtituendę cauſſa, oppidum nouum, obſeruatis de cœlo aſtris, conſtruxit: quippe caſtra, ampliſſimo terrę ſpatio ad iuſtam urbis magnitudinem comprehenſo, uallo, foſſaque muniuit, atque eò theſaurum ſuum, & omnia recte inſtitutarum ciuitatum opificia tranſtulit, ut nihil ab urbe iuſta differret, ipſeque cum Germanis, & Hencius cum Mutinenſibus ibi ſtatiua locauit: auxilijs inde ab omnibus partibus accerſitis primus uenit prętor Papienſium Hugo Boaterius Parmenſis, qui quanuis ſororis pontificis eſſet filius, nulla tamen ratione auerti à Friderici amicitia potuit; deinde Icilinus à Romano cum Patauinis, Vicetinis, & Taruiſinis, uix ad Gazaltum ex manibus Azonis, & Mantuanorum elapſus; tum ex Cremonenſibus, Regienſibus, Bergomatibus, & Tuſcis, qui partibus Imperij ſtudebant; poſtremo ex Apulia, & Sicilia Italicorum, & Saracenorum ingens numerus, ex quibus exercitus ſexaginta millium eſt confectus, qui celeriter Hencio duce totum agrum Parmenſem cum caſtris eius omnibus in ditionem redegit. Parma in hunc modum à Friderico cincta, mirificus omnes, qui intus erant, pauor inceſſit: quare non ſummam ſolum ad firmanda, & tuenda mœnia diligentiam adhibuêre, ſed etiam ſupplices à Deo auxilium popoſcere: mulieres præcipue ad uota pro ſalute facienda conuerſæ urbem argenteam cum omnibus maioribus ædificijs conſtruxêre, eamque B. Virgini dicauêre. Hac re accepta Bononienſes ab occaſione inuitati bellum ſibi cum Mutinenſibus inſtaurandum exiſtimarunt, ſcilicet ut aut Fridericus in apertum amittendæ, ſi negligeret, Mutinæ diſcrimen adduceretur, aut ſi opem enixe ferret, copias ſuas diduceret, & Parmam minoribus opibus oppugnaret. Ita dum Mutinenſium exercitus à Friderico uocatus, paucis in præſidio finium ſuorum relictis, abeſt, Vido Vicecomes prætor cum carrocio, & Iacobo Lambertacio carrocij præfecto ad Badianum acceſſit, quod infelicibus ante tentatum armis aſſidue ante oculos uerſabatur, atque omnis generis machinis expeditis acerrime oppugnare inſtituit. Hoc nuncio accepto Mutinenſes, qui in caſtris

Friderici erant, ſtatim Icilino, & copijs eius aſſumptis ad Badianum recurrerunt, uerùm multitudine copiarum Bononienſium territi caſtris poſitis quieuerunt, Hencium maiore cum ſubſidio aduenturum opperientes. Bononienſibus interea acrius in dies oppidum oppugnantibus Badianenſes, & Mutinenſes qui in præſidio erant, cum ſe ſuſtinere non poſſent, neque Hencianum ſubſidium affore in tempore exiſtimarent, conſilium ſui dedendi cepere: ac poteſtate colloquij facta in hunc modum cum Bononienſibus pepigêre: Pridie Non. Iulias iuxta foſſam Badiani prope portam, Vido prætor, & conſules mercatorum, atque argentariorum, qui ibi aderant, promisêre, Vidotto Gerarducio, & alijs ex Badiano præſentibus, ſe ſeruaturos res mobiles eorum, eiſque quoquo uellent ire, libere permiſſuros, qui Bononiam commigrare, aut in agro habitare uoluiſſent, omnium onerum, præterquam militarium, uacationem daturos, omneſque poſſeſſiones, quas haberent in agro Bononienſi, reſtituturos, neque pacem cum Mutinenſibus illorum iniuſſu facturos, niſi reſtituti à Mutinenſibus eſſent; præterea ſe ædi D. Stephani parſuros, captiuos dimiſſuros, res Communis Mutinæ trans Scultemnam impenſis Communis Bononiæ tranſlaturos: ſi quis de caſtro uellet primum Mutinam ire, deinde Bononiam redire, poteſtatem facturos: poſtularunt autem, ut ipſi intra biduum bona ſua omnia, ædiſque D. Stephani ex caſtro extracta haberent, & ne Mutinenſes per tres dies propius caſtrum trium millium ſpatio eſſe poſſent; darentque operam, ut caſtrum Badiani in poteſtatem Vidonis prætoris primo quoque tempore perueniret. His actis Badianenſes cum ducibus Mutinenſium colloquuti fide accepta, fore, quæ promitterentur, à ſua parte rata, eodem die cum rebus ſuis exiêre: atque alij Bononiam, alij Mutinam, ut cuiuſcunque tulit animus, abiêre. Prætor inde caſtrum ingreſſus ipſum, exercitu Mutinenſium aſpectante, combuſſit, & continuo, antequam Hencius adueniret, nocturno tempore in Mutinenſes inuaſit, eoſque in fugam haud magno admodum negocio compulit. Inde circumlatis ad caſtra eorum armis, Montelongum, Sabinianum, & alia quædam occupauit: atque ingenti prędâ potitus uictorem domum reduxit exercitum. Ibi recitatis,

quas

quas geſſerat, rebus ad Conſilium Generale, ac Speciale tulit, ut pacta cum Badianenſibus, & cuſtodibus, qui ibi erant, cum oppidum in ditionem conceſſit, inita ſeruarentur, atque in legum tabulas referrentur, & quotannis per prætorem, qui tunc eſſet, & per populum iurarentur, &, ut in feſto D. Eſaiæ (nam illo die ea facta deditio fuerat) quadraginta cerei per prætorem, & curiam ad D. Eſaiæ deferrentur. Fridericus inde caſtra munita V. Kalen. Auguſti à nomine S. Victoris, cuius eo die memoria celebratur, Victoriam appellauit. ac IV. Non. Auguſti Mutinenſes de rebus à ſe actis edoctos inſignem ad ſe militum manum mittere iuſſit, inde ex Victoria Parmam obſidione premere inſtituit, ac crebra cum egredientibus Parmenſium ſagittarijs prœlia miſcuit, ac mœnia ſæpe inuaſit, uerùm cum irriti omnes conatus cecidiſſent, uſque adeò furere ira cœpit, ut omnes aduerſæ partis captiuos maximis, atque exquiſitis ſupplicijs in conſpectu Parmenſium in glarea fluminis interfecerit, quoties ei rem male gerere contigit. Quin etiam Gerardum Canalem Parmenſem propterea ſuſpectum habuit, quia domui eius Parmenſes pepercerunt, itaque illi aliquando dixit: Multum nos Gerarde Parmenſes diligunt, quia neque meam, neque tuam domum euertunt: &, cum ille reſponſum nullum dediſſet, quia quorſum uocem eam edidiſſet, non aſſequebatur, in Apuliam miſſum mari ſubmergendum curauit. Hencius autem, & Icilinus Brixillum, quod ad Padum eſt, captis Parmenſibus loci cuſtodibus ditionis ſuæ fecerunt, unde Mantuani, & Ferrarienſes frumenta, ac ſalem, atque alia ad uictum neceſſaria urbi Parmæ ſubminiſtrabant. Dum autem locum illum muniunt, Octauianus legatus, qui ſe iuſſu pontificis ex Alemania in Lombardiam receperat, furtim Mediolanum acceſſit à Montelongo Parmæ incluſo rogatus, atque Mediolanenſibus, Azone, & Alberico tegentibus ad Palliatam Padi proceſſit: nec Parmenſibus, propter Hencium ſeſe opponentem, ſuccurrere potuit. Quare deſperato auxilio Parmenſes de deditione cogitare cœperunt, prout ex litteris ad Cardinalem interceptis eſt cognitum. Marchio uerò Montisferrati, aſſumptis Vercellenſibus, Taurinum incurſu ſubito cepit, uerùm Fridericus nepos ſociarum ciuitatum militibus aduocatis ſtatim recuperauit.

Ferrarienſes etiam exules, qui iuſſu Friderici Rauennæ agebant, ad os Talliatę uocati, ipſum à Mantuanis uallis ad tranſitum impediendum obſeptum inuenientes, ope Hencij in ripa ſedentis ſecuribus aperuerunt, ac Padum cum ſuis nauigijs intrauerunt, & Mantuanis, qui primi Padum occuparant, leui pugna tentatis quinquaginta naues eripuerunt, & pręter eos, quos aut ferro necauerunt, aut flumine ſubmerſerunt, trecentos hoſtium captos Hencio tribuerunt, quos Fridericus ab utraque parte Padi ſuſpendendos curauit, atque Hencium pontem ad Brixillum facere, eumque firmo pręſidio cuſtodire mandauit, atque interim litteras à Friderico filio de Guelforum parte Florentia deturbata accepit. Quippe Florentia iandiu in duas & ipſa factiones Guelforum, & Gibellinorum diuiſa cum hucuſque Eccleſiæ partes tutata eſſet, Gibellinis in urbe præualentibus, ac Guelfis tumultu populari depulſis, ad Fridericum ſe contulit. Guelfos autem Octauianus Cardinalis incitauerat, atque ope Bononienſium ad Gibellinos urbe eijciendos impulerat. Hac de cauſſa Bononienſes bellum ab ea parte futurum aliquando ſuſpicati arcem in finibus in ipſo prope Apennini iugo aduerſus eos moliti ſunt: quam propter aſperos, præcipiteſque tramites Scaricalaſinum nominarunt. Interim Mantuani, & Ferrarienſes V. Kal. Nouembris ponte capto, atque reſciſſo per Padum cum multitudine nauium diſcurrere cœperunt, & Colurnum progreſſi magnam commeatus uim Parmam ad ſuſtinendam obſidionem introduxerũt. Fridericus autem intelligens, niſi refecto pōte, ſupportationem rei frumentariæ Parmenſibus intercluderet, ſe nunquam urbe potiturum, pontem alterum, quà maxime anguſtus eſt Padus, captis per Rauennates, & Mutinenſes centum hoſtium nauibus, magno ſumptu, ac labore reſtitui iuſſit, eumque uallo, & foſſis vtrinque, ac præſidio neceſſario confirmauit, atque ita impedita ſubuectione Parmenſes iterum in ſummam neceſſitatem, & magnam deſperationem adduxit. Legatus interea Parmę uarijs artibus titubantes Parmenſium animos confirmabat, ac litteris ſimulatis ſpem ſubſidij propediem affuturi non dubiam afferebat. ſuperueniente hieme, ſociorũ copię domum pleręque in hiberna dimiſſæ. Aigonis, & ſocijs, qui Mutina à Geraſulfis fuerãt propter factionum certamina exturbati, Bononienſes Sabinia-
1248 num, quod paullo ante ceperant, dederunt incolendũ. Sequenti

inde anno Fridericus graui morbo correptus eſt, ex quo cum emerſiſſet, recreandi animi cauſſa XIV. Kal. Martias Victoria cum magno ſuorum comitatu aucupatum tribus paſſuum millibus exijt, rerum omnium ab hoſtibus prope ſecurus. Tum Montelongus legatus vir acer, & vigilans, & Philippus Vicedominus occaſione uſi urbe cum omnibus copijs, pueris etiam, & ſenibus, & mulieribus adiuuantibus, implorato diuino auxilio, eruperunt. Quos vt vidit Thadæus Victoriæ cuſtos relictus, Tandem, inquit, mures de cauernis exierunt. ac Victoriam adorti cuſtodibus, antequam Fridericus recurrere auxilio poſſet, oppreſſis, ac fortiſſime diſſipatis, vrbe ipſa cum ingenti præda potiti ſunt. nam & coronam regiam, & theſaurum, & ſupellectilem omnem pretioſam Friderici, & iumenta uniuerſa, & carrocium Cremonenſium repererunt, & captiuis ſuis liberatis multos hoſtium ceperunt, atque inter cęteros Thadæum interemerunt, ac demum Victoriam ipſam ſimul ira, lętitiaque elati cremarunt. Hæc ita geſta Salimbenus Parmenſis, qui his rebus interfuit, ſcripſit. Fridericus uerò hoc modo: *Parmenſes cum ultra reſiſtere non poſſent, captato tempore, quo partem exercitus noſtri ad fabricationem pontis in Pado, per quem ipſa nobis dominium ſeruabatur, miſeramus, die Martis XVIII. præſentis menſis Februarij Beruerios quoſdam, ut ad eorum perſequutionem nos attraherent, callide præmiſerunt, ſed cum fideles noſtros inermes extra caſtrorum noſtrorum limites caſus tam ſubitus eduxiſſet, accidit, quòd priuſquam ad defenſionem ciuitatis Victoriæ fideles noſtri regredi potuiſſent, Parmenſes caſtra noſtra cum rebus ibidem habitis ignis incendio concremauerunt.* Fridericus inde cum mature ſuis ſubuenire non potuiſſet, Victoria excluſus Cremonam eodē die proceſſit, ac per triduum Cremonenſium, Papienſium, & aliorum ſociorum exercitu conuocato Parmam ſe rettulit, ac caſtris ab alia parte poſitis vrbem noua premere obſidione inſtituit. poſt quintum inde à Victoria capta diem Hencius naues omnes Mantuanorum, quas auxilio Parmenſium aduocarant, adortus viriliter expugnauit, ac centum omnis generis naues, & trecentos homines cepit, quorum alios gladio, alios ſubmerſione deleuit, alios in carcerem condidit. Cum autem Fridericus ad expugnationem duorum caſtrorum eſſet progreſſus, quæ Parmenſes ad aditum Friderico præcludendum poſt captam Victoriam ceperant, Parmen-

ſes adortus non leui detrimento affecit. ex quibus centum cæſi, ſexaginta capti, atque in cuſtodias dati ſunt, inter cęteros Bernardus Roſſius pontificis ſororius interfectus. Hencius cum Icilino Veronam, Montelongus cum Mediolanenſibus Mediolanum ſe rettulit. Parmenſes Bertam carrocium Cremonenſium in vrbem adduxerunt, & ad Baptiſterium collocarunt. Mediolanenſes uerò, & Mantuani, qui magna ab eis detrimenta acceperant, ornamenta eius abſtulerunt, ac tantum rotas, ac lectum plauſtri cum uexilli pertica reliquerunt. Cum autem reliquus theſaurus auro, argento, lapidibus pretioſis, uaſis, & veſtibus conſtans eſt ablatus, tum in primis corona Imperialis magni ponderis ac pretij. quippe ampla, & ex auro gemmis pretioſis intextis confecta, & magis dignitati Imperij, quàm capitis ornamento ſeruiret, nam facile totum caput cum facie occuluiſſet, niſi ſubſidio vnius faſciæ ſubleuata fuiſſet. Hanc verò quidam paruus homo, humili loco natus inuenit, atque omnibus indicans lætus inceſſit: nam quod quiſque rapuerat, ſibi habebat, neque ea de re vllum iurgium, aut contentio intercedebat. Hanc verò Parmenſes emerunt, mille libris Imperialibus, & vna domo repenſis. inde ſtatuerunt, ut quicunque de bonis Victoriæ rapuiſſet, dimidium ſibi haberet, ac dimidium in commune conferret. tentoria, & reliqua ad vſum belli pertinentia legatus accepit. imagines, & ſacræ relliquiæ in ſacrario baſilicæ conſeruandæ ſunt poſitæ. Iumenta circiter quindecim millia fuerant; nempè equi pretioſi, manni, muli, clitellarij, & boues. Ex hoc inde theſauro pars exigua Parmæ remanſit, quòd pleraque mercatoribus uendiderunt, & pecuniam confecerunt. Hoc læto nuncio audito Innocentius dixit: *Ad laudem Chriſti Victoria victa fuiſti*. His porrò rebus erectus Octauianus legatus Bononiam venit, atque aduocato ad concionem populo auctor maxime fuit, vt reliqua Mutinenſis agri caſtra ſæpius parum proſpero ſucceſſu tentata primum peterent, deinde Romaniolæ vrbes, quæ in poteſtatem abierant Friderici, repeterent. Nam cum explorata, inquit, ac certa fractis ad Victoriam Friderici opibus de vtroque bello victoria oſtenditur, tum antiquę ſtudiorum egregie à uobis cultorum glorię ille haudquaquam contemnendus recentis decoris titulus adiungetur, ſi Eccleſiam ius ſuum in Romaniola ſemel, atque iterum armis ueſtris

recuperaſſe,apud poſteros fama haudquaquam falſa feretur.Ita decreto bello Bonifacius de Cario Placentinus urbis prætor ineunte Maio firmiſſimum in fines Mutinenſium exercitum introduxit, ac Nonantulam vltro ſe poteſtati permittentem,Panſanum,& Sancęſarium reſiſtentia, ipſo pręſente Octauiano, in ditionem adduxit, ac tecta eorum omnia diſturbauit.Inde vniuerſo cis Scultemnam populato, ac peruaſtato agro domum reuerſus contiuuo equites,& populum in Romaniolam cum carrocio duxit,& Ducia, ac Flagnano momento temporis expugnatis inde ad oppugnationem Imolę properauit.Imolēſes, cum ſatis parati ad tantam belli ſuſtinendam tempeſtatem non eſſent,ad cōditiones accipiendas facile deſcenderūt. VI.Kal.Iun.res iureiurando per Iacobum epiſcopum, & Bonifacium prętorem Octauiani, ac ciuitatis nomine agētes in prętorio Imolę his eſt firmata conditionibus. Imolenſes ſpoponderūt,ſe ſocietatē cū Bononienſibus habituros, & Commune, & homines vrbis, agrique conſeruaturos. Bonifacius uerò prętor promiſit, ac Stephanus pręco ciuitatis iurauit,Bononienſes vrbē Imolę tutaturos,quandiu fidē Ro.Eccleſię prǽſtitiſſet.Quibus rebus contractis Cōſiliū Generale,ac ſpeciale in caſtris eſt coactū,ubi homines utriuſque Conſilij,& conſules mercatorū,& argentariorū, & Antiani populi,& magiſtri collegiorū, & Vexilliferi Cōmunis,prædictorūque collegiorū conuenerūt, ibique recitatis cōditionibus,ſuffragijſque initis placuit, ut eæ perinde, ut recitatæ eſſent,integre,atq; inuiolabiliter ſeruarentur.His rebus ad Imolā geſtis inde ad Fauentiā,& Balneocaballū,Forū Popilij,& Forūliuij perrectū, omneſq; hæ ciuitates imperata Eccleſiæ, ac Bononienſiū facere Auguſto ipſo menſe coactę. Itaq; aduerſarijs factionibus exactis,prætores,& præfectos Bononiēſes accepēre,& ſe cuſtodiæ,& cliētelæ eorū tradidēre. Quo terrore Ceruienſes impulſi nō expectato bello ultro, quod poſtulatum eſt, cōceſſerunt.Pridie Idus Auguſti Rolādus Valētinus Ceruiēſium procurator, & Vido Lābertinus, Antianus populi Bononiēſis,idēque procurator pacti ſunt,ut Ceruienſes darēt ſalē præſentē, & futurum ad decē annos certo pretio, portorijs integris, & uiginti quinque homines reciperēt ad cuſtodiā ſalis, nec per decē annos promitterēt alijs. Et quanquā pactiones cum ſingulis ciuitatibus initæ, cōſumptis negligentia tabulis,nō reperiuntur,ſatis tamen con-

ſtat, hoc anno, atque hac victoria Romaniolam felicibus Bononienſium armis iterum Eccleſiæ eſſe receptam: ſiquidem antiqua lex adhuc extat in hęc verba: *Vt homines ex agro Imolæ, qui ſunt in ditione Bononienſium, tributa pendant, & alias functiones publicas obeant cum ijs hominibus, queis cum aſſueuerant, antequam Bononienſes recuperarent Romaniolam, Bonifacio de Cario præturam adminiſtrante.* Pridie Non. Septembris Bonifacius domum reuerſus Imolenſes in Conſilio iureiurãdo adegit, ſe defenſuros Bononienſes aduerſus omnes, & præcipuè Fridericum. Gulielmus Holandię Comes captis demũ, quas diu oppugnauit, Aquis, a Cõrado Colonienſi archiepiſcopo rex Germanię coronã in die Sãctoiũ accepit: ſed quia Dux Saxonum, & Dux Bauarię, quos nuper Fridericus de induſtria ſibi nuptiarũ ſuarũ, & filij fœdere ſociarat, non affuerunt, eã coronationem irritã eſſe, dixerunt: ac non multo poſt Conradum ad vrbis oppugnationem reuerſum diſſipato eius exercitu in fugã auertit. Fridericus interim moram agebat Cremonę, ita tamen, ut ſæpe ad caſtra, quę circum Parmã poſuerat, viſitanda cõtenderet. Menſe Maio Icilinus firma Patauinorum, & Vicetinorum manu aſſumpta ad Feltriam, & Bellunum oppugnãdum acceſſit. Eo uerò Feltriæ propinquãte pica quędã haſtæ, vnde vexillum eius pendebat, inſedit, & ſe capi permiſit, quam ad ſe mox allatã delicate ali, & ſecum boni augurij cauſſa deferri, mãdauit. Feltrini verò exeunte Blanchino à Camino, ut Icilinum adeſſe viderunt, ei ſe ſubito dediderunt. inde rebus Feltrię conſtitutis Bellunum acceſſit, ſed nihil eo anno profecit. Se-
1249 quenti, cum Kal. Ian. ſeditio Imolæ exarſiſſet inter Brittos, & Mindulos, qui capita factionum erant, Philippus Hugonus prætor Bononiæ veritus, ne ea res ciuitatem ad partes Imperij traheret, Bononiam vtroſque accitos iurare apud ſe iuſſit, ſe pręceptis ſuis obtemperaturos, ac viginti locupletes fideiuſſores dare, & cum dediſſent, pacem inter ſe intra pręſtitutum tempus habere, nec Bononia iniuſſu ſuo diſcedere. Extant etiam ab utraq; parte nomina ſingulorum. Ab hinc Bononienſibus obnoxia Imola fuit. Tulit inde ad Cõſilium Generale, & Speciale, vt Medicina, & duę partes Argellatę, & quicunq; ibi habitarẽt, à tertia pręſtura Huberti Vicecomitis tributa ſoluerent, & functiones publicas obirent, perinde atque alia caſtra, & pagi Bononienſes, & ſi qui ab eo tẽpore Bononiam cõmigraſſent, ne iure ciuium frue-

rentur,

rentur,ſed cum eo pago conferrent,vnde veniſſent. qui verò ex duabus partibus Argellatæ in tertiam commigraſſent, priuilegio nullo gauderent,ſed ſimul cum vicinis ſuis conferrent Mediolanenſes Aronam arcem vtilem,atq; opportunam rebus ſuis futuram.Vidoni Cariq Friderici ſocio eripuêre.In Marchia Icilinus profectione Friderici elatus animũ ad dominatũ totius Marchię,nemine,qui conatus frãgere ſuos poſſet,relicto,adiecit.Itaque Belluno tandem in poteſtatem adducto Montemſilicem occupauit,ac Pataium reuerſus quoſdam nobiles,tanquam fidei ancipitis,comprehendit,ac Veronam proficiſcens Anſedifio ſororis filio vrbis pretori mandauit,ut primores urbis quacunque occaſione poſſet,extingueret,atq; urbem potẽtibus exhauriret. Ita ille auunculo deditus paucis interiectis diebus,hac occaſione oblata, ingentem hominum numerum in uincula dedit.Quidam in Palatio accipitrem in pertica conſpicatus ſodali ſuo pręſenti uerſus hos Aeſopi ad accipitrem pertinentes ioci gratia recitauit: *Accipitrẽ milui pulſurũ bella columbæ Accipiunt regẽ,rex magis hoſte nocet.Incipiũt de rege queri,quia ſanius eſſet, Milui bella pati, quàm ſine Marte mori.* Quorum lepôre ſodalis ille captus exemplum deſcripſit,atq; alteri recitauit. Ita uerſus non minus aculeo,quàm ſale faceti per multorum ora uagati demum ad aures Anſediſij peruenerunt.quo cognito ille omnes tanquam proditionis reos ſubito corripi iuſsit,qui hos uerſus aut oculis,aut auribus,aut manu exceperant,ac cum filijs,& uxoribus in carcerẽ condidit.Cuius rei certior factus Icilinus Patauiũ uenit,ac principes ciues grauiter, tanquam haud prorſus huius proditionis expertes,increpuit,identidem inquiens:Ego non ſum accipiter qui columbas deuoret,ſed paterfamilias,qui domum ſuam ſcorpionibus purgat. Inde Veronam reuerſus exercitum ad oppugnandum Ateſte duxit;captato tempore,quo Azo prætura Ferrarienſi erãt implicitus,eoq; per proditionem recepto arcẽ protinus omni machinarum apparatu admoto expugnauit,atq; inde caſtra omnia Azonis in deditionem accepit. atq; interim inſolentia euectus omnes,qui Pataij propter carminum, de quibus diximus,lectionem in carcere tenebãtur, publice affici morte pręcepit.Hac ratione uniuerſę Marchię dominatione potitus & timore pręſentis Imperatoris ſolutus ſummæ omnibus eſſe formidini cępit. Eodem anno Gulielmus Holandiæ Comes Cõ-

rado prævalente uictus acie ceſsit. Meſe Ianuario Fridericus, Hēcio filio legato cum firma Germanorum manu in Lombardia relicto, per Etruriam in Apuliam redijt: quò vbi peruenit, grauem morbum nactus hortatu Petri Vineæ ſalutare poculum hauſturū ſe dixit. verùm occultæ fraudis ab amicis admonitus Petro, & medico cū poculo aduenientibus dixit, Amici confido in uobis. quare cauete quęſo, ne mihi venenū pro medicamento ſufficiatis. Cui Petrus, ò domine, inquit, ſępius hic medicus meus ſalutarē uobis prębuit potionē, cur hoc demum tempore formidatis? ille uerò medico poculū porrigenti acribus in eū intentis oculis dixit, Propina mihi. Tū medicus, qui Petri impulſu uere uenenū diluerat, metu exanimatus lapſum lubrica pedis offenſione ſe ſimulauit, ac poculum maiore ex parte profudit. Quare ſtatim à cuſtodibus Friderici vnà cū Petro ipſo correptus eſt. Fridericus inde reliquum quibuſdā morte damnatis prębeṙi mandauit, quo epoto repentè extincti ſunt. Quare dolo detecto medicū ſuſpendi, Petro oculos erui iuſsit, ac Piſanis hoſtibus eius interimendū dedit. Quod ut Petrus audijt, caput ad columnam, ad quam alligatus fuerat, tāto nixu alliſit, vt cerebrum ipſum excuſſerit. Qua re cognita Fridericus vberrimè flere cępit, ac dicere: Væ mihi, contra quem ſæuire coactus ſum? Petrus dimidium animę meæ capitales mihi inſidias comparauit, in quo in poſterum confidā? in quo acquieſcam? in quo præſidium capitis mei reponam? atque ita ſępe repetens amicos, qui aderant, ad eaſdem ſecum fundendas lacrymas, ſuſpiriaq; mittenda ſocietate doloris adegit. Octauianus interea legatus nullum tempus de bello cogirandi prętermittere, & fautores Eccleſiæ aſsidue ad arma ſolicitare, ac ſingulos, vt oblata inimicorum ſuorum vlciſcendorum occaſione vterentur, identidem admonere. Cuius vocibus incitatus Simon Manfredus Regio extorris Nouū, Arolam, & Sanſtephanū caſtra in finibus Regienſibus occupauit, ac multos ad ſe à Gibellinis pulſos illexit, oppidaq; pręſidijs, operibuſq; firmauit. Quam rē Hēcius nō negligendam ratus cōtinuo ad Arolam cū Regienſibus aduolauit, &, qui intus erant, ſuſpēdio ad terrorem ceterorum affectis, arma inde ad reliqua contulit. Pręcipuè autē ducētos milites, quos Parmēſes ad cuſtodiam caſtelli ſui mittebant, pręparatis occulte inſidijs intercepit. quos cum in cōſpectu ciuitatis ſuſpēdio pariter exſtinguere moliretur, admonitus

eſt ab eis, videret, quid ageret, nam ſe talionē ſubito relaturos, ac captiuos eius patibulis affixuros. atq; ita de propoſito deſtitit. Quibus rebus ex ſententia geſtis, cupido inde ingens Bononienſis agri tineundi, & accepta damna referendi cępit. Itaq; Papienſibus, & Cremonenſibus copijs occulte accitis, ſimulq; Parmenſium, ac Ferrarienſium exulibus aduocatis Mutinam uenit, ac magna ciuium illorum manu adiuncta, urbe ſimul cum firmo Germanorum exercitu exijt. Hęc autem conſilia Octauianus legatus, & Bononienſes cum occulte pręripuiſſent, omni ope annixi contenderunt, ut quàm maturrime, antequam ille cis flumen exercitum traduxiſſet, occurrerent. Quod illi tanta felicitate adepti ſunt, ut ipſum adhuc in agro Mutinenſi trans flumen agentem exceperint. A flumine ad Mutinam tria paſſuum millia ſunt. Eo tēpore flumē pōti inſigni lapideo iungebatur, qui S. Ambroſij dicebatur. inde longe mille paſſuum interuallo canale erat, quod vt nunc quoque, Foſſam altam dicebant: deinde pari propè interuallo in conſpectu ferme vrbis Noſocomium S. Laxari. Ad foſſam igitur altā Bononienſes Hencio incauto agmine procedēti, traiecto raptim flumine, occurrerunt, ac ſtatim cū eo certamen vtcumq; excipiente acie cōmiſerunt. Is erat dies VII. Kal. Iulias D. Auguſtino ſacer, qui Anglis Gregorij primi iuſſu euangelium nunciauit. Vtrinq; acre pugnādi ſtudium eſt effuſum. pugna uariante victoria, vſq; ad noctem perducta. Tandem pars Henciana fuſo, fugato, ac prorſus profligato exercitu ceſſit. pauci ſyluæ, atq; vrbs ipſa perfugium fuit. pleriq; in acie aut cæſi ſunt, aut capti. inter cæteros, qui plurimū Bononiēſium uirtutē, atq; hanc victoriā illuſtrauit, rex Hencius cum ducentis ſuorum captiuus eſt factus, & Boſo Douaria Cremonenſium princeps. Nā Vido Seſſius Regienſiūm caput, cum temere per noctem fuga arrepta uſque ad Noſocomium perueniſſet, incaute equo in cloacam impulſo, eſt ſuffocatus. Gerardus Pius, & Thomaſinus Gorzanus Mutinenſes equites illuſtres ad canale in ditionem venerunt. præterea maxima Mutinenſium, aliorumq; equitum, ac peditum turba capta, ut ſatis cōſtaret, illo bello, maximo ſcilicet, ac periculoſo aut cladem maiorem illatam, aut uictoriā inſigniorem partā nō eſſe. Re proſpere geſta Octauiano, atq; Philippo placuit domum reuerti. Ita cum inſigni triumpho, ac veterum ſæculorum triumphis prope æquali urbem inierę. His

obuiam effuſa ciuitas victoriam egregiã gratulari, ac nobilium captiuorum ingentem numerum admirari.inter quos eminebat rex Hencius, quippe maximi, ac potentiſſimi ea tempeſtate regis,atque Imperatoris filius,& cum dignitate ſua, tum ætate, ac forma conſpiciendus.nam nondum uigeſimum quintum ætatis annum attingebat,& ſpecie oris,ac pulchritudine corporis omnes ea tempeſtate longe homines ſuperabat. Ex quo in maxima ciuitatis lætitia,miſericordia quoque pleroſque afflictæ præcellentis iuuenis fortunæ quædam angebat.Rex,ac reliqui captiui in cuſtodias conditi. Conſilio inde ſuper hac re habito lege ſanctum, ne rex vllo vnquam tempore dimitteretur, ſed vſque ad exitum vitæ, in cuſtodia ſumptu publico aleretur.Hac uictoria cognita in omnibus fœderatorũ ciuitatibus publice ſigna edita, quibus maxime effuſa declarari animi lætitia ſolet, ludis ad oblectandum populum variè factis. Bononienſes uero cum multa ludiora ad ſummum declarandum gaudium commiſerunt, tum uerò religioni præcipue ſtuduerunt. ſiquidem ut tanti beneficij, ſe Deo memores, ac gratos oſtenderent, ſtatuerunt, ut per annos quinque die feſto D.Auguſtini,quo tam præclara par ta uictoria eſſet, centum corbes frumenti virginibus Auguſtinianis, tum extra portam Rauennatem agentibus præberentur. His conſtitutis rebus tum Medicinates, & Argellatenſes, qui immunes à publicis functionibus erant, oppreſſi. de quibus cum IV. Non. Iun. ad Conſilium Generale, & Speciale relatum eſſet, placuit, ut inter paganorum numerum cum oppidi ſui hominibus referrentur, ac tributa conferre, & in expeditiones ire cogerentur. Hoc prœlio facto Mutinenſes ſtatim litteras ad Fridericum miſerunt, quibus calamitatem aduerſæ pugnæ,& capti Hencij doluerunt.ad quas ille epiſtola, quæ extat,reſpondit primum de officio gratias agens, deinde in extremo ſe Bononienſes acerrime perſequuturum oſtendens. Verba ipſamet in hos annales inſerere, non eſt viſum alienum: *Fridericus Communi Mutinæ S. Ex relatione litterarum ueſtrarum,quas ſuper euentu Hencij regis Sardiniæ dilecti filij noſtri nuper noſtro culmini deſtinaſtis, tanto clariorem nouimus fidem ueſtram, quanto per euidentiora ſigna cognouimus, non minus de caſuum noſtrorum aduerſitate vos deprimi, quàm de ſucceſſuum proſperitate lætari. Hæc ſunt etenim deuotionis indicia, quæ mater fidelitas requirit in ſubditis, ut*

qualitercunque fortunæ dubietas ſucceſſura proueniat, qualitercunque tēpora promittentur fidelium ſemper corda ſint eadem, & in laudabiliū iugiter operum exhibitione perſiſtant. Synceritatis itaque veſtræ conſtantiam proinde laudum titulis eò libentius extollimus; quo plena de vobis uotis noſtris reſpondente fiducia, uos ad noſtra ſeruitia promptos ſemper, & beneuolos inuenimus. Licet igitur caſus ipſe, ſi caſus dici debeat, ex quo negocia noſtra non cadunt, fabuloſe grauis, & vulgariter horridus videatur, nos tamen ipſum pro leui. ſeu minimo reputantes; altitudinem mentis noſtræ propterea in nullo deflexiмus, nec vlla, vel modica cauſſa nos proinde turbationis affecit. Sed cum bellorum facta ſint dubia, & ſerenitatis noſtræ gremium abundet copia filiorum, æquanimiter huiuſmodi noua ſuſcipimus, & noſtræ potentiæ dexteram tanto propterea fortius in rebellium noſtrorum excidium incitamus, & erigimus ad vindictam, quanto propter hoc videntur apertius inanis gloriæ ventum, & friuolam reſiſtendi materiam abſumpſiſſe. Cumque caſus huiuſmodi gladium noſtrum potenter acuerit, & in detrimenta nos hoſtium ardentiſſime prouocarit, deuotionem ueſtram hortamur attente, mandantes, quatenus rancoris cuiuſlibet ſpeciem abigentes ſic more ſolito circa noſtra ſeruitia laudabiliter inſiſtatis, quòd ſpem, quam de vobis ſtabili mente concepimus, ſentiamus nobis in opere commodam. Nos etenim temporis habilitate captata, ſic ultimæ depreſſioni rebellium, apertis theſauris noſtris, & fidelium noſtrorum ſubſidijs aggregatis, vacare diſponimus, quòd nedum cogantur à cœptis inuiti deſiſtere ſed potius pœniteat incœpiſſe. Quin etiam alias litteras ad Bononienſes miſit, monens, vt Hencium filium regem, alioſque captiuos reſtituerent; ni feciſſent, ſe ſuperbiam eorum depreſſurum, & facta vindicaturum. Earum etiam litterarum exemplum ad rem illuſtrius declarandam huic loco attexam: *Delatum eſt magnificentiæ noſtræ, quòd in victoria vobis data feciſtis cornua ferrea, cum quibus totum orbem creditis uentilare, & eleuati in ſuperbia magna ualde Lombardis fratribus ueſtris arrogantiæ munera tranſmiſiſtis, cum eis ſolemnitates, & magna gaudia celebrantes. Sed niſi cito elationem ueſtram ad manſuetudinem conuertatis, cornua ferrea, quæ feciſtis, ſubito impetu confringentur, riſus ueſter dolore miſcebitur, & gaudium ueſtrum in triſtitiam conuertetur* & paullo poſt. *Non igitur pateant faciles aures ueſtræ ſuggeſtionibus, ac adulationibus Lombardorum, qui uos ſuæ damnationi aſſociari cupiunt, inducentes uos in foueam, de qua nullius auxilio poteritis liberari. Quapropter ſub pœna gratiæ noſtræ uobis præcipimus, & mandamus, quatenus dilectum*

filium noſtrum Hencium regem Sardiniæ, & Galluri cum alijs noſtris fidelibus Cremonenſibus, Mutinenſibus, & cæteris alijs, quos cepiſtis, uiſis præſentibus carcere relaxetis. Quod ſi feceritis, nos inter alias ciuitates Lombardiæ veſtram exaltabimus ciuitatem. ſi uerò potentiæ noſtræ mandatis neglexeritis obedire, triumphalem, & innumerabilem noſtrum exercitum expectabitis, procul dubio cognoſcentes, quòd ad nos omni mora poſtpoſita veniemus, & ciuitatem ipſam obſidebimus, nec de manibus noſtris vos liberare poterunt Liguriæ proditores, ſed eritis fabula, & opprobrium nationum, ac uobis improberabitur in æternum.

Quibus litteris Bononienſes haudquaquam permoti conſtanter in ſuſcepta ſemel ſententia permanſerunt, ac regem, & cæteros in cuſtodia eò arctius habuerunt. Addit Pariſius captiuos, vt mitius tractarentur, octodecim millia librarum Imperialium perſoluiſſe. Interea Octauianus animos Bononienſium ſtimulare, ne ſemel oblatam occaſionem abire paterentur, quam, ſi tum ceſſaſſent, ne quidquam poſtea quæſituri eſſent. Nobis enim, inquit, hoc tempore illud ſingulari ſummi Dei beneficio datum eſt, quòd hoc miſero, teterrimoque bello nunquam ſperauimus, vt amicis noſtris conſeruatis, & pontificia ditione recuperata Fridericum propria prope deſperata ſalute Lombardiæ finibus abſcedere coegerimus, Hencium autem, in quo vno aduerſariorum ſpes ſitę omnes erant, in poteſtatem adduxerimus. Quin igitur, quando fœlicibus auſpicijs veſtris Romaniola ad Eccleſię, veſtrumque imperium redire coacta eſt, arma aduerſus Mutinenſes, te monente, vertuntur; &, quando omnia eorum loca cis Scultemnam veſtra virtute in ditionem ſunt redacta, Scultemna traiecto urbs ipſa petitur, atque dum ipſi ſuperioribus perculſi cladibus vrbe exire non audent, eadem intentius oppugnatur, atque aut, ſi bellum expectare noluerit, ad partes Eccleſiæ trahitur, aut, ſi impetum perferet, vi ſub ius, imperiumque ſubiungitur? Quæ cum dixiſſet, facilè omnibus perſuaſit. Itaque decreto, quam occultiſſime potuit, bello, auxilia ex Marchia, & Romaniola accerſiuerunt, ac cum Parmenſibus tacite compoſuerunt, ut ipſi Regium aggrederentur, nam ſe intereà Mutinam inuaſuros. ſic enim haud magnò negocio vtranque vrbem in poteſtatem venturam, cum cæteris remotis auxilijs, ne ipſæ quidem inter ſe opportunis iuuare conſilijs poſſent, quòd ſuas quæque

res reſpicere, ac ſua tueri mœnia cogerentur. Septembri igitur menſe ineunte Parmenſes Regium, Bononienſes Mutinam ſunt adorti. Verùm grauior conſtitit ad Mutinam rerum, ac copiarum omnium apparatus, cum eò & legatus pontificis, & carrocium Bononienſium cum prætore acceſſiſſent, atque infinita tormentorum bellicorum uis, ingenſque ſociorum, & ciuium numerus eſſet adductus. Quibus Aigoni quoque cum ſua factione, quæ Mutina extorris erat, ſe adiunxêre. Ac Parmenſes quidem, cum Regium aggreſſi pontem S. Stephani, & pontem, ſuburbiumque portæ Bernonis, ac ſuburbium Sanctorum omnium combuſſiſſent, haud vltra contenderunt. Bononienſes autem Mutinam non acri ſolum obſidione cinxerunt, ſed etiam ab omni parte grauiſſime oppugnarunt. quæ oppugnatio vt horribilior, ac pernicioſior eſſet, inſuper repentinus quoque terræmotus effecit, qui vehementiſſimo concuſſu prope tecta vrbis omnia labefecit. Itaque Mutinenſes cum humanis deſtituti ſubſidijs, cœleſtibus præterea ſe quoque peti prodigijs ducerent, poſthac mœnibus ſe, valliſque quibus vrbem iam pridem muniuerant, tenuerunt, neque in aciem aperto, atque æquo Marte prodierunt. Sæpe tamen cateruatim procurrentes leuia cum hoſtibus prœlia commiſerunt. Tandem circa foſſas certamine grauiore congreſſi cum multos amiſiſſent, exire quoque deſtitêre, atque ad mœnia una viriliter propugnanda incubuêre. Bononienſes interea obſeſſis, atque incluſis illudere, atque omnia probra ingerere, ac varijs detrimentis afficere, vt, ſi poſſent, ipſos haudquaquam abiecti ſpirirus homines aliquo pacto ad pugnandum elicerent. Nam & ſuburbia in conſpectu eorum cremarunt, & cadauera iumentorum ad ignominiam, more illorum temporum, inferendam ui machinarum in vrbem iecerunt. In primis autem aſini cadauer ſoleis argenteis per noctem proiectum dicitur, quod cum forte in fontem, quibus multis abundat urbs, cecidiſſet, celebre ei nomen apud poſteros prodidit. Qua ignominia populus irritatus repente ſe foras eiecit, ac tanta ui in apparatum machinarum ſe intulit, vt briccolam, qua aſinum iaculati erant, abſtulerit, in vrbemque rettulerit. Harum machinarum tantum ea tempeſtate artificium erat, vt vaſti etiam molares in ſublime earum impetu torquerentur. Satis enim conſtat, & Florenti-

nos

nos ante hoc tempus intra vrbem Senarum, & poſt Turcarum Imperatorem auorum noſtrorum memoria, dum Chalcidem oppugnaret, aſinorum, atque equorum cadauera putreſcentia intra oppidum eadem ratione ieciſſe. Poſtrêmo, vbi omnia vana eſſe, Bononienſes ſenſerunt, cuniculos ad foſſas egerunt, ſiue vt aquam exhaurirent, ſiue vt commodius mœnia ipſa ſubruerent. Quibus malis conflictati Mutinenſes, ac ſimul omni ſpe auxilij deſtituti, cum conditiones pacis a legato, & à prætore ferrentur, accepêre, ac Decembri tandem menſe cum Bononienſibus pepigêre. Extant adhuc veteres pactionum tabulæ, in quibus rem ita actam eſſe, perſcriptum eſt: *VI. Idus Decembris in prætorio nouo Mutinæ in Conſilio Generali, in quo affuerunt magiſtri artium, & capita Quinquagenarum, Hengeranus procurator ad pacem componendam eſt lectus, & poſt triduum à parte Aigonorum extorre Vidottus Peregrinus, & Rolandus Ganacetus. XIV. vero Kal. Ian. Bononiæ in palatio veteri in Conſilio Generali, & Speciali, in quo affuerunt Antiani populi, & conſules mercatorum, atque argentariorum, magiſtri artium, atque armorum, uexilliferi Communis, equitum, & peditum, & collegiorum ad eamrem lecti ſunt Hugolinus Trancredinus, & Albertus Prendipartius, eodemque die in fore concione aduocata prædicti trium partium procuratores conuenerunt, atque inter ſe in hunc modum compoſuerunt: Commune Mutinæ ſocietatem, & amicitiam cum Communi Bononiæ ſeruet; & amicos, inimicoſque eoſdem in perpetuum habeat. pace, belloque Octauianum Cardinalem legatum, & Bononienſes aduerſus omnes homines iuuet, neque cum aliquibus ſocietatem coeat iniuſſu Cardinalis Octauiani, ſi aderit, aut prætoris Bononienſis, qui nunc eſt, aut poſthac erit, & Antianorum populi, & conſulum mercatorum, argentariorumque, qui nunc ſunt, aut poſthac erunt, & Communis ipſius Bononiæ. Loca omnia epiſcopatus Mutinæ citra Scultemnam euerſa, in perpetuum euerſa remaneant: integra euerti poſſint pro arbitrio eorundem. Incolis eorum locorum liceat ibi domos reponere, modo ne intra loca, vbi caſtra continebantur. Si Fridericus abdicatus Imperator, aut alius pro eo in diœceſim Regienſem, aut Mutinenſem pro vrbe Mutina recuperanda venerit, tum par numerus Aigonorum, & Graſulforum, qui viſus erit Cardinali, prætori, cæteriſque & ad eos fines, qui eiſdem probabuntur, teneantur uenire ad vrbem Bononiæ, aut in agrum impenſis Communis Mutinæ, & ibi eſſe ad eorum arbitrium, ita tamen, ut poſt octo dies, quàm ibi motus fuerit fa-*

ctus,

ctus, poſſint domum redire. Commune Mutinę reſtituat omnes Badianenſes, & qui erant Badiani, tum cum uenit in ditionem Bononienſium, atque ſuas illi poſſeſſiones reddat. Idem emiſſarium è Scultemna deriuari ad Caſtrumfrancum per agrum Mutinenſem, & ſuper id molendina conſtrui ſinat. Mutinenſes, qui ſunt in vrbe, & qui ſunt foris de factione Aigonorum, legant communi conſilio prętorem ex vrbe Bononienſi, prout placuerit Cardinali, prętori, Antianis, & conſulibus, aut qui ſunt in vrbe, legant vnum, qui foris alterum: aut demum Cardinalis; prętor, Antiani, conſules dent vnum, duos ue, quos velint. Qui per Cardinalem, prętorem, Antianos, & conſules mittentur ad cuſtodiam vrbis, arcium, & portarum, alantur impenſis Communis Mutinę, quas arces, portas idem Commune Mutinę teneatur libere dare Cardinali, prętori, Antianis, & Conſulibus, & prę ſidia quę mittentur, ex eorundem uoluntate recipere. Mutinenſes equites, & pedites Mutina extorres ex parte Aigonorum reſtituantur, & in bona ſua redigantur. Pax fiat inter partem Graſulforum, & Aigonorũ ad arbitrium Cardinalis, ſi aderit, prętoris, Antianorum, & conſulum. Contrà uerò Commune Bononię pacem habeat cum Communi Mutinę, & parte Graſulforum; & eos in perpetuum conſeruet, ac defendat aduerſus omnes homines integro fœdere Lombardorum, & partem utranque in ciuitate retineat, & ſi una pars pelletur ab altera, prętor, Antiani, conſules, populus, & Commune Bononię illam reducant, ac bello alteram perſequantur, expulſamque recipiant. Mutinenſes in agro cis Scultemnam ius habeant colligendi fructus, ſicut ante habebant. Iura Nonantulę ſint Mutinenſium, ſicut erant, antequam Nonantula ditioni Bononienſium ſe permitteret, modo ne negocium Nonantulanis exhibeant eo nomine, quòd illorum poteſtati ſe tradiderunt. Prętor Bononię, qui nunc eſt, aut poſthac erit, Antiani, conſules, qui nunc ſunt, aut poſthac erunt, & Commune populuſque Bononię dent operam pro viribus, ut precaria, feuda, emphiteoſes eorum nulla lite turbentur ui decreti ab Innocentio Pontifice interpoſiti, quo fautores Friderici his iuribus ſpoliauit. omnia prędia eccleſiaſtica ſacerdotibus Mutinenſibus reſtituantur, quibus ſententia Pontificis ſunt exuti, Ferrarienſes, qui capti fuerunt ad Canale Mutinę, cum captus fuit Gerardus Pius, & Thomaſinus Gorzanus, & qui capti fuerunt, dum urbs obſidebatur, libere dimittantur. Gulielmus tamen Aldratte, & ſocij eius tandiu retineantur, donec Caruolinus Caſtellus, & ſocij fuerint dimiſſi. Captiui Bononienſes, qui Mutinę, aut alio loco cuſtodiuntur à die, quo fuit prælio inter Commune Bononię, & Commune Mutinę, ac regem inter

Mutinam, & Scultemnam VII. Kal. Ian. & captiui Mutinenſes libere dimittantur. Commune, & populus Parmæ, Commune Mediolani, & alia Communia Lombardiæ Eccleſiæ ſictam ſequuta ac demum ipſe pontifex hanc pacem ratam habeant. Atque hæc inter ſupraſcriptos procuratores ultro citroque promiſſa, ac pax mutuis oſculis populo inſpectante conciliata eſt. Relinquebatur controuerſia de Friniano, quod vtraque ſibi ciuitas vindicabat. Ea res ne paci moram afferret, Parmenſes Mutinenſibus dediti effecère, qui Hugone Sanuitali nuncio ad id miſſo, poſtridie legato, Antianis, & conſulibus promiſerunt, ſe daturos operam, vt Sextula Bononienſium eſſet, ſicut erat: cætera verò loca Friniani Mutinenſibus traderentur, & ne Commune Mutinæ negocium Friniatibus exhiberet, & ſiclis mouetetur, effecturos, vt iudex ad eam Pontificis arbitrio legeretur. Itaque XIII. Kal. Ian. Octauiano Cardinali, & Iacobo epiſcopo Bononienſi præſentibus, ciuitatis vtriuſque procuratores certa interpoſita pœna comptomiſerunt in Hugonem, & arbitros à Communi Parmæ datos de omni lite, quæ inter Bononienſes, ac Mutinenſes ſuper Friniani poſſeſſione poſſet exiſtere, iurantes ſe ſtatutos, ſententiæ, arbitrioque Communis Parmæ, quod prætor, aut alius rector vrbis eius tuliſſet. His rebus tranſactis poſt Biduum Conſilium Generale Mutinæ eſt aduocatum, atque à Matthæo Gorzano, & Alberto Bazoanio rectoribus vrbis relatum, num placeret ſuptaſcriptis conditionibus pacem cum Bononienſibus confirmari, omnes ita, vt rogati fuerant, iuſſerunt. Hoc decreto Bononiam perlato duo prætores per Octauianum Cardinalem, ac procuratores Mutinenſes, qui cum Alberto Boſchetto epiſcopo ſuo Bononiæ erant, lecti ſunt, vnus, qui ius diceret parti Aigonorum, alter, qui Graſulforum, Bonifacius Caſtellanus, & Comes Prendipartius, ac poſtridie ab Alberto epiſcopo Mutinam ſunt deducti. eodemque die diuina ſacta ciuitati reſtituta, quibus à Pontifice fuerat interdictum. & Conſilio Generali coacto ſinguli iurarunt, ſe præcepta Eccleſiæ ratione ſacræ deteſtationis obſeruaturos, & pacem, ac concordiam ratam ſuperioribus conditionibus habituros. Pridie verò Kal. Ian. Iacopinus Rangonus cum parte Aigonorum in vrbem ingenti ciuitatis gratulatione reuerſus eſt. Eodem tempore Manfredi Fauentiam cuſtodibus Bono-

nienſium parum cauentibus receperunt. Bononienſes de cuſtodibus pœnas ſumpsêre. Poſtero autem, qui fuit ſalutis ſupra milleſimum ducenteſimus quinquageſimus, XVII. Kal. Februarias Rangoni, & Rodiliæ cum Gorzanis Mutinę in prętorio, pręſente Generali Conſilio, & Octauiano Cardinale agente in gratiam rediêre. Cum autem Parmenſes ab grauibus ſuperiorum annorum cladibus ſummis annonę anguſtijs premerentur, Bononienſes eorum vice ſoliciti VI. Idus Iunij, Regienſiũ aſſumptis exulibus, vſque ad Cruſtulum Regienſis agri torrentem proceſſerunt, ac direpto late eorum agro XVII. Kal. Iulias magnam commeatus uim in vrbem Parmę miſerũt, atque egregie ciuitatis tum in amicitia manentis inopiam ſubleuarũt. Regienſes ad Nouum progreſſi ſuburbiũ incendêre, ac multos homines, & iumenta inde auertêre, &, cum ad Campaneolam excurriſſent, in poteſtatem redegêre. Cum priore anno IX. Kal. Ian. Hugo Sanuitalis Carpos per ſimulationem amicitię profectus caſtrum, quod erat Mutinenſium, ab archipresbytero, & eius factionis cęteris accepiſſet, ibique nomine Eccleſię iuriſdictionem exercere inſtituiſſet, Antiani populi Mutinenſis irati Carpenſes hoſtes iudicarunt, mox aduerſus eos armato exercitu exituri, niſi Hugone expulſo ambę factiones ipſorum ſe facturos imperata iuraſſent, ac XVIII. Kal. Octobris pręfectos à Mutinenſibus accepiſſent. Poſt diem Aſſumptionis Parmenſiũ, & Mutinenſium exules ex Burgo S. Domnini Huberto Palauicino marchione duce ad Parmam occupandam ſe contulerunt. Qua re pręuiſa qui vrbem tenebant, oblata occaſione lęti aduerſus eos cum carrocio prodiêre, atque in campis Grolę ſummum prœlium commiſêre. In quo cum cedere exules cogerentur, relicta pugna repente latera hoſtium circumuecti ad vrbem, ad vrbem exclamare cœperunt. quare, ne intercluderentur, pontificij veriti, & ipſi ſubito ad portam vrbis recurrerunt. factum eſt autem, vt cum pons immenſium intrantis temere turbę pondus ſuſtinere non poſſet, diffractus magnum eorum numerum in aquam cum omnium ſubmerſione deiecerit. Quare carrocium temere in via relictum ab exulibus occupatum, ac Parmenſes ad ter mille capti, atque Cremonam in cuſtodias ducti ſunt. Hi verò tormentis, ac ludibrijs varijs, vt ſe pecunia grandi redimerent, ſunt affecti. Nam alij pedibus, manibus ue

ſuſpenſi,alijs dentes euulſi,alijs bufones viui in ora aperta intruſi ſunt. Hubertus autem ipſe à populo Placentino aduerſus Nobiles à ſe vrbe exactos vocatus, Nobiles ſe cum caſtro,quod occuparant,dedere compulit,& præturam vrbis,& poſt dominatũ inuaſit.quem eundem Cremonæ etiam,& in cæteris ciuitatibus, quæ Imperij partes ſequebantur,exercuit.atque Icilinum ut potentia,ſic moribus adæquauit,qui vltrò ſe Veronæ dominum appellauit,atq; ibi,& Patauij primoribus ciuitatis per varias cauſſas interimendis intentus eas ciuitates in tantam ſalutis propriç deſperationem adduxit, vt plerique, ne illius criminatione iniquo iudicio publice interirent,vltrò ſibi mortem conſciſcerent. Mediolanenſes ingenti frumenti numero Placentinis, vt egentibus Parmenſibus ſummitterent, dato, aduerſus Laudenſes cum carrocio exierunt,ac multa illis caſtella eripuerunt,ac totã diœceſim vaſtarunt. demum in caſtris aqua Lambri in foſſas inducta munitis Placentinos opperiri cœperunt. Placentini verò neque frumenta Parmenſibus reddidere, neque auxilio Mediolanenſibus aduenêre. Qua re cognita inde profecti, vbi primum conſtitêre, Laudenſes, Papienſes,& Cremonenſes in die S. Viti obuios habuêre, & cum ſeſe illis magno labore propter magnitudinem æſtus eripuiſſent, mox Montelongo præſente prœlio, ſed leui, pugnarunt. ex quo æquo vtrinque marte diſceſſum eſt. Fridericus demum à minis ad preces verſus primum filium marchionis Montisferrati captiuum cum Hencio permutare filio voluit, inde auri tantum, quantum ad cingenda circulo ipſa vrbis mœnia ſatis eſſet,pro eius redemptione ciuitati,vt aiunt,ſpopondit, ac neutrum impetrauit. Itaque cum conſtitutis Apuliæ rebus, ac pecunia comparata bellum aduerſus Bononienſes ingens moliretur,in ipſo rerum apparatu in Apulia Idibus Decembris veneno eſt mortuus. cuius mortis Manfredus filius ſuſpicionem tulit, licet teſtamento ipſe cum cæteris fratribus hæres relictus,à quo puluino in os iniecto dicitur ſuffocatus.

CAROLI SIGONII DE REGNO ITALIAE

Liber Decimus Nonus.

NEMINE REGNANTE AVT IMPERANTE.

FRIDERICVM ex humanis rebus exemptũ interregnum inde XXIII. annorũm excepit, plùribus diſſidio principum ad Germaniæ coronæ culmen euectis, uerùm nemine in Italia aut ab archiepiſcopo, aut à Põtifice regijs, aut Auguſtalibus inſignibus exornato. Quocirca regno, Imperioq; vacãte ciuitates Italiæ impunius inter ſe arma cõferre, partes acerbius inimicitias exercere, populorũ inſidiari libertati liberius potuẽre. Nã vt prauas populorum factiones indigna ſuperiorum Impp. cũ pontificibus certamina pepererũt, ſic ſęua tyrannorum imperia exiguæ ſequẽtium regũ opes intro duxerunt, quoad Regnum Italię in multos principatus diuiſum prorſus ad nihilũ eſt redactũ. uerũ ad ordinẽ hiſtoriæ redeamus.

Poſtero anno Innocentius Pontifex Friderici morte cõperta 1251 nulla mora interpoſita Italiam ad res cõſtituendas, & ſocios ſub leuandos repetijt, ac XV. Kal. Ian. amicorum ſubſidio fultus Genuam adijt, ibiq; rebus cõponẽdis operam dedit. Itaq; legati ciuitatum eò ſtatim ſuis cum prætoribus ex tota Italia præſto fuẽre. Inter hos Mutinenſes Idibus Iunij cauſſam agere ciuitatis ingreſſi, cum beneficia à ſe Parmenſibus pro ſalute Eccleſiæ data commemoraſſent, poſtremo iniuſte ſe in diſceptationem de Friniani regione vocari, ac poſſeſſione per Bononiẽſes ſpoliari, cõqueſti ſunt. atq; ut nuncijs Friniatium pręſentibus priſtinum indiceretur obſequium, poſtularunt. annuente verò Pontifice Petrus Gulielmus legatus Bononienſiũ, qui aderat, reſpõdit, Bononienſes ius in Friniano nõ poſcere. Poſt XV. inde dies Innocentius Genua digreſſus Mediolanum VII. Idus Iun. adijt. Porta Vercellina ingredientem, ac ſex Cardinalibus, & Nicolao Patriarcha Conſtantinopolitano ſtipatum primores ciuitatis ſub umbella in togis holoſericis exceperunt, atque vniuerſo plaudente populo ad ædes Ambroſianas perduxerunt. in quibus per

duos menſes moratus quotidie priuato, aut publico alicui officio ſtuduit. nam & rem diuinam clarioribus in templis ſępe fecit, & crebro de ſacris quæſtionibus cum doctiſſimis hominibus diſputauit, ac conciones frequentes habuit, quibus cum de fide diſſeruit, tum ſummo ſtudio pacem, ac concordiam populis perſuadere contendit. Quo facto immenſum hominum numerum ad nouum viſum ſpectaculum excitauit, nempe Pontificem ex loco ſuperiore concionantem. Quin etiam idem Nicolai Patriarchæ per eoſdem dies mortui celebrauit exequias: ac prætorem ciuitati dedit Gerardum Rangonum eximię virtutis, atq; prudentię virum. Mox cum Laudenſes pertinaciſſime Cæſarianis in partibus permanere, ac Germanos cum Papienſibus à Friderico impoſitos arcem eorum tenere videret, ſibi faciendum exiſtimauit, vt eos ſacris interdiceret, ac bello ab omnibus premi licere, pronunciaret. Itaq; Rangonus, prętor, vt Soccium Victarinum cum ſuis exulem reſtitueret, exercitum Laudem adduxit, atq; Huberto marchione cum Cremonenſibus occurrentę varijs prœlijs Iulio, & Auguſto menſe conflixit, ac tandem arcem recepit. Quibus detrimentis Laudenſes impulſi VI. Idus Sept. pacem reconciliarunt, ac Victarinis, & pontificia parte receptis, à Pontifice interdicto leuati ſunt. Innocẽtius inde Mediolano Brixiã, ac Brixia Mãtuã abijt. tũ ad monaſteriũ S. Benedicti inter Padũ, & Larionẽ diuertens ibi ſepulchrũ Mathildę Comitis viſitauit, vnaq; cũ Cardinalibus carmẽ illi expiatoriũ cecinit, ſummorũ recordatus beneficiorũ, quę princeps illa Romanę quõdã Eccleſię dederat. Inde Ferrariã prodeuntẽ Azo cũ vniuerſa effuſa obuiã ciuitate, & magno Fratrũ Minorũ globo excepit. Ibi verò ꝑ aliquot dies moratus verba ad populum ex feneſtra Epiſcopij ſacra Cardinaliũ corona ſtipatus, Gulielmo nepotę eius clara voce cõfeſſionẽ populo recitãte fecit. atq; hoc ſibi ad differẽdum argumẽti ſuſcepit. *Beata gẽs cuius eſt Dominus Deus, populus, quẽ elegit in hæreditatẽ ſibi*. Quo multis atq; ornatiſſimis verbis explicito, atq; ad cauſſã ſuã apte traducto cõcluſit. *Cuſtodiuit me dominus Italia cedẽtẽ, cuſtodiuit Italiã repetẽtẽ. ergo ipſe ſit benedictus in ſecula*. ſimulq; adiecit: *Hac urbs mea eſt, rogo uos, ut pacate uiuatis, quia mortuus eſt Imperator, qui perſequebatur Eccleſiã*. Ferraria inde VIII. Idus Octob. prexit Bononiã, totius itẽ ciuitatis, q̃ cũ carrocio honoris cauſſa obuiã prodijt, ingẽti ſtudio, ac ſingulari frequẽtiã virorũ, ac mulie

rum celebratus. Qđ in tãto aduentu memoratu dignum videtur,
is ędes duas recẽs cõſtructas, vnã fratrum Prędicatorum, alterã
Fratrum Minorum conſecrauit, atq; illam nomini D. Dominici,
hanc D. Fráciſci dicauit. Inde poſt dies octo Boſone Douaria ca
ptiuo dimitti è cuſtodia iuſſo, diſceſſit ciuibus haud modice of-
fenſus, ꝙ Medicinam, quam ui tenebant, à ſe flagitaſſent, ac Pe-
ruſiam adijt. neq; enim Romam accedere voluit, ꝙ Romani ſe-
natorẽ, quẽ tum cum regia prope poteſtáte creabant, dimittere
nollẽt, atq; inde ad Cõſilium, & prætorẽ Bononiæ ſcripſit, ne fra
tres Pænitentiæ milites legerent. Fratres autẽ Pęnitentię dicti,
quos extra cœnobium certa diſciplina viuere DD. Dominicus,
& Franciſcus inſtituêre, qui tertij ordinis nominantur. Interim
Cõradus Friderici filius, qui ſe regem Germanæ, ac Sicilię nomi
nabat, morte patris accepta, cum inſigni exercitu in Italiam ad
obtinenda regna paterna traiecit. Ille uerò Octobri menſe pri-
mum Veronam, deinde Cremonam acceſsit, inde cum Icilino in
agrum Mantuanum tranſgreſſus apud Goitum ſociarum ciuita
tum conuentum per dies XV. egit. in quo controuerſias, ac que-
relas omnium tãquam rex legitimus, audijt. tum Veronam reuer
ſus ſic ad quendam Principem Regni Sicilię de ſuo itinere ſcri-
pſit. *Negocijs in Alemania, & Lõbarbia cõfectis pridie Nonas Decẽbris
Verona cedẽtes Liniacũ venimus, poſtridie Vicetiã accedẽtes, exinde ver-
ſus Portũ Neonẽ cõtẽdemus, atq; ibi III. Idus Decẽbris cõſcẽdemus, ut in
regnũ noſtrũ Siciliæ procedamus. ubi apud Fogiã in feſto Natiuitatis Do-
mini pro reformãdo regno cõuẽtũ habere decreuimus.* atq; vt ſcripſit, ita
fecit. Icilinus autem Veronam reuerſus eò impotentius quæſtio
nes proditionis exercuit, atq; omnes, qui Veronæ, & Patauij ali-
quid aduerſus ſe vel dixiſſe, vel feciſſe dicebantur, publica, ac fœ
da morte affecit, quos innumerabiles fuiſſe accepimus. Rinaldus
Azonis Ateſtini filius olim à Friderico obſes in Apuliam miſſus
ibi uitam reliquit, relicto filio Opizone puero, qui poſtea Azo-
nis aui hęreditatem adiuit. Hubertus marchio augendę potentię
imminens, menſe Octobri auxilio Cremonenſium Parmenſibus
Brixillum ademit. Florentini Friderici morte audita Gibellinos
vrbe deturbauerunt, ac rurſus Eccleſię partes ſuſceperunt. Quod
idem quoq; in alio regno Capuani, & Neapolitani fecerunt. Po
ſtero anno Octauianus Lõbardię legatus Innocentij iuſſu procu 1252
ratores, ac legatos ciuitatum, principumque fœderatorum Bri-

xiam euocauit.atq; VIII.Idus Martias cõuẽtum omnium in Epiſcopio habuit.in quo omnes ſe fœderatis Lõbardię,Marchiæ,& Romaniæ pro opibus affuturos,& amicos pro amicis,hoſtes pro hoſtibus habituros iurare iuſſit.quin etiã equites ſexcentos inſtituit,atq; eorũ trecentos Eccleſiæ, reliquos ſociorũ ſtipẽdijs ali, ac trecẽtos citra Padum,& totidẽ vltra Padũ ad arbitriũ legati pontificij ſubſiſtere voluit.ac loca,quæ cuſtodiẽda eſſent, definiuit.Poſt paullo Mediolani tetrũ facinus ab hæreticis,qui Credẽtes dicebãtur,cõmiſſum eſt.Pontifex hęreticos, quorũ numerus in dies magis gliſcere videbatur,aliquando extinguere cupiens, quęſtionẽ eã Fr.Petro Veronenſi,ordinis Prędicatorũ,uiro acri, ac ſanctitate claro mandarat.Is Mediolanum profectus quęſtionem illãm pro dignitate exercuit, ſumma cum cura hęreticos è latebris eruens, ac nocentes pro ratione culpę carcere,exilijs,atque incendio vindicans.ac mox diem certã alteri quęſtioni poſt Paſcha Reſurrectionis indixit. Qua re perculſi reliqui, cum periculum imminere capiti ſuo certum viderent, conſilium ſceleratum Sancti viri interimendi cœperunt, ac negocium nefarijs hominibus,libris Ticinenſibus quadraginta promiſſis,dederũt. qui VIII.Idus Aprilis ipſum Como Mediolanum abeuntẽ in ſolitudine non longe a Barlaſſina adepti pluribus vulneribus confecêre, ac Fr.Dominicum ſocium grauiſſime ſauciauêre.qui adhuc ſpirãs Medã delatus ibi ſexto poſt die eſt mortuus.Hoc nuncio Mediolanum allato prope attonita ſtupore, ac dolore ciuitas fuit. Miſſi ſtatim qui corpus in vrbem deferrent, ipſum in ęde S. Simpliciani ſuburbana collocauerunt, poſtridie vniuerſo occurrente clero,ac populo in ędem ordinis eius Euſtorgianam delatum ibi ſepulturę mandarunt. poſt paullo Carinus auctor cędis eſt captus,uerùm poſt dies decem à prętore Petro Aduocato dimiſſus. Quod ægre ádeo tulit populus,vt ipſi abdicato vitã id circo fuerit erepturus. Interim vnus ex conſcijs ſceleris pęnitentia ductus habitũ Prędicatorium ſumpſit, ac ſtatim petita venia omnes huius cõiurationes participes indicauit.Carinus autẽ Forũliuium profectus eãdẽ & ipſe religionẽ aſciuit,atq; in poſterũ tãta acerbitate vitæ ſe macerauit, ut plurima ſigna reconciliati ſecum diuini numinis viderit. reliqui comprehenſi ad capitale ſuppliciũ ſunt abſtracti. Hoc ſcelere perpetrato,ciuitas quaſi prauis haud intacta cõſilijs ſæuire inter ſe noua ſeditionis rabie

cœpit.

cœpit.Petebat plebs,vt popularibus aditus ad ordinariorum di
gnitates pateret, quòd archiepiſcopus cum ordinarijs denega-
bat,nobiles autẽ vrgebãt, vt archiepiſcopus nõ tam eccleſiam,
quã ciu:tatẽ vniuerſam,adminiſtraret. ita duo prætores cõſtitu
ti,vnus,qui populo,alter qui Nobilitati ius diceret.Quin etiã di
ſtractis in duas partes familijs Turriani plebis, Sureſini cũ Vice
comitibus Nobilitatis nõ tã tutelã,quã principatũ ſũpſerũt. vn
de Turrianorũ in vrbe imperij,quod poſt in tyrãnidẽ euaſit, ini
tiũ dimanauit.Icilinus itẽ hoc anno ſuſceptę crudelitatis ſtudiũ,
quod minuere debebat, intẽdit.Etenim ceruices à ſcapulis viro
rum abſcindere nõ cõtentus, pueris etiã innoxijs excæcatis ge-
nitalia amputare inſtituit,oblitus poetæ dicentis.*Qui primus pue
ris genitalia mẽbra recidit, Vulnera, quæ fecit, debuit ipſe pati.*Quibus il
le rebus eſt aſſequutus, vt nemo præ metu apud ſe hiſcere,tãquã
elinguis factus auderet.Menſe Auguſto Romani ad reuocandã,
quæ ſolutior euaſerat,veterẽ diſciplinam Brancaleonem Anda-
lum ſenatorem Bononia euocarunt,virum nõ tam iuſtitia,quàm
ſeueritate inſignem.Quod vt Brancaleo accepit,eorum uolunta
ti nequaquam ſe obſequuturum eſſe reſpõdit,niſi ſenatoriam di
gnitatem ſibi in triennium cõtra ciuitatis inſtituta firmarent, at
que obſidibus primorum ciuium filijs datis ſimul ſeſe ſacramen
to adigerẽt,daturos operã, vt ſibi fideliter obedirent.Ita obſidi
bus XXX.Bononiam cuſtodię cã miſſis,ille ad vrbẽ venit, ac ma
gno populi conſenſu receptus ea ſe petẽtibus illis cõditione ob
ſtrinxit, vt aut iuſte populũ gubernaret,aut corpore integer nõ
abiret.Inde capitalẽ cognitionẽ tanta exercere ſeueritate inſti-
tuit,vt omnibus, & præſertim potentibus ſummum terrorẽ in-
cuſſerit.Cõradus in Campaniam progreſſus Capuã, quam tum
fuiſſe Pontificis diximus, adduxit in poteſtatem, ac pontificios
vbique ſæue adeò inſectatus eſt, ut ne ſacerdotibus quidem ab-
ſtinuerit, atque eccleſias ipſas patrio exemplo incitatus inuaſe
rit. quare pontifex ſacrum item in eum contorquere ianathema
coactus fuit. Eodem anno mẽſe Maio ex gelida pruina uites rur
ſus omnes aduſtę,in cœlo varię ignium,ſtellarumque ardentium
per noctem ſpecies uiſę hominibus ſunt inſignia agris,& ſegeti-
bus detrimẽta inferre,quę poſt inania oculorum ludibria fuiſſe
dies,ac lux ſubſequuta oſtẽdit. Proximo Mediolanẽſes bellũ cũ 1253
Papienſibus renouarũt,pręſenta cauſſa,quòd ad Hubertum Pa-

lauicinum ſe cõtuliſſent, atque aperte ab Eccleſia defectionem iniſſent. Dux belli fuit Manfredus Lancea vrbis prætor. is in Viglebanenſium fines inuectus primo Gambolatum cum arce recepit, deinde eundem terrorem Mortariam tranſtulit, atque oppido potitus arci, quam Hubertus muniuerat, oppugnationẽ admouit: qua dimiſſa mox rebus cum Huberto cõpoſitis domũ repetijt. Hæc foris geſta. In vrbe autem cum multa miranda ad ſe pulchrum Fr. Petri nuper à ſicarijs interfecti opera ederentur, atque ad ea uiſenda mirificus quotidie accolarum concurſus celebraretur, ſiue ut cultum uiro ſancto adhiberent, ſiue ut uota, quibus ſe ſalutis impetrandæ cauſſa deuinxerant, ſoluerent, Leo, archiepiſcopus, ac ciues, fratreſque eius prope trecenti permoti Innocentium Pontificem Peruſiæ conuenerunt, eumque diligenter de his rebus omnibus docuerũt. Quibus põtifex lætatus de illius cõſecratione ad Cardinalium collegiũ rettulit. Cardinales re probata cæremonias antelucanas in primam Quadrageſimæ Dominicã decreuêre. atq; eis peractis ipſum ex auctoritate Pontificis in numerum SS. martyrum ſolemni ritu Eccleſię rettulêre. ac tertiũ illi diẽ ante Kal. Maias ſtatuêre, quòd dies mortis eius ferme in dies Quadrageſimæ incideret, in quã eccleſia Ambroſiana nullã ſolemnitatẽ admitteret. In ceteris ciuitatibus de reducẽdis exulibus, & recõciliãdis inter ſe ordinibus agitatũ. Parmẽſes Gibellini, qui Burgũ S. Domnini colebãt recuperãdæ patriæ cupidi ad Huberti auxilium cõfugerũt. ille ſuſcepta cauſſa exercitũ ad urbẽ adduxit, atq; oſtẽtatis potius, quã illatis armis rẽ ad cõpoſitionẽ adduxit. captiui utrinq; dimiſſi, exules reſtituti, Giberto Corrigio, qui vulgo de Gẽte dicebatur, pręţura in ſexennium data. Parmenſium inde exemplum Regienſes imitati & ipſi cum Guelfis à ſe depulſis in gratiam redierunt. Huius uerò concordiæ laudem Gibertus præcipue tulit; ſiquidem Regium profectus pro re utiliſſima ciuitati ſuaſit, ut Gulielmum Folianum epiſcopum, & Robertos, ac partem eorum exulantem reciperent. inde Antianos ſe pacem cum eis ſeruaturos iurare coegit. ac mox in die SS. Simonis, & Iudæ exules omnes crucibus, ſacerdotibus, vexilliſque prælatis reduxit. ac poſtridie aduocato populo ſententiam de pacis conditionibus recitauit, atque ad continendas in officio partes Vidonẽ fratrẽ ſuũ pręțorẽ ibi reliquit. Quod ut uidêre Cremonenſes, & ipſi cum ciuibus

ſuis Guelfis, quos iampridem vrbe deiecerant, in gratiam redierunt, eoſque in vrbem comiter receperunt. Eadem ratione Rauennates auctore Philippo Fontana archiepiſcopo ſuo, cum quieſcere domi legum metu neglecto non poſſent, ad Bononienſes ſe contulerunt, ſeque vt in pace conſeruarent, orarunt. Itaque fœdus cum eis tale eſt conſtitutum: *Ciues Bononienſes, & qui ſunt ex agro eius, non alio loco erunt, quam ciues Rauennates, & Argentani, quòd ad ſoluenda portoria pertinet. Bononienſes pacem in vrbe Rauennæ conſeruabunt, & iura, quæ illi habent Ceruiæ, tuebuntur, & ab ijs, qui vſurparunt citra diem tertio Kal. Octobris recuperabunt pro arbitrio archiepiſcopi atque Alemani prætoris, atque Argentam, agroſque earum eo ſtatu præſtabunt, in quo ante X X V. annos fuerunt. eo modo, quo Eccleſia tenuit tempore Salinguerræ. Iidem dimidium Portorij, ſalarij, portuum, & cathenarum Rauennæ, & Ceruiæ integro iure Eccleſiæ exigent. Vtrinque autem mutuo ſe, ſi opus erit, auxilio ſubleuabunt. Hæc à prætore, Antianis, & conſulibus iurabuntur, & in legum tabulas referentur.* Interim cum Veronę, & Parauij homines quotidie, tanquam manifeſti maieſtatis rei iuſſu Icilini ad carcerem, atque ſupplicium traherentur, extitit vir fortiſſimus, qui ipſum vel in extremo uitę diſcrimine vindicare non dubitauit. Montius, & Araldus Monſilices fratres Veronenſes fuêre. Hi capti, atque in Palatium ducti clare vociferari cęperunt, nec ſe, vt arguebantur, proditionem conflaſſe, neque maiores ſuos proditores habere. Quibus vocibus magno animi ſtudio identidem repetitis Icilinus offenſus inermis propere ad eos in atrio ſtantes deſcendit, ac truci vultu intuens proditorum nomine ſalutauit. Qua voce audita Montius vehementius inflãmatus, animo a ſui capitis protectione prorſus auerſo, repẽte in eum ſe incitauit, atq; in terram deiectũ ſibi ſubdidit, ac cultro tyranni ad eum confodiendũ fruſtra quęſito, manus faucibus ad ſuffocãdũ admouit, atq; interim dentibus, vnguibuſq; faciem fœdiſſime lacerauit, hominem ſine dubio cõfecturus, ac totam tetra ſeruitute Marchiam exempturus, niſi pręſens ſatelles ſtricto mox gladio crus illi pręſecuiſſet, ac multi ſubinde accurrentes ipſum cum fratre crudeliſsime trucidaſſent. Icilinus tamen os laniatum uſque adeo habuit, vt opera medicorum per multos dies eguerit. Non ita multo poſt homo quidã ignotus ad eundem accumbentem progreſſus cũ ſica

ſub

ſub ueſte condita deprehenſus eſt. Quare ſtatim in quæſtionem abreptus, quis eſſet, & quid moliretur, expromere iuſſus eſt. Quod vt ille nulla vi tormentorum ad prodendum cogi, homo noſtræ linguæ ignarus non potuit, viuus eſt concrematus. Fama uero manauit, ſicarium fuiſſe miſſum à principe eo, qui dicebatur Viglus Montaneæ, cuius miniſtri per terras errabundi tyrannos inſidijs appetere dicebantur, ſperantes, ſe ex ea re immortalem apud poſteros gloriam pariturus. Per eoſdem dies Romani Innocentium miſſis Peruſiam nuncijs ſemel, atque iterum obſecrarunt, ut Romam tandem rediret, & boni paſtoris more gregem ſuum adminiſtraret, ac ciuitati præſentiæ epiſcopi ſui fructum non tam vberem, quam iucundum tribueret. ni ueniſſet, ſe pecuniam ingentem ab illo repetituros, quam pro Eccleſia aduerſus Fridericum defendenda fudiſſent. ac Peruſinis exitium comminati denunciarunt, ne pontificem ulterius retinerent. Qua de re pontifex rebus ſuis metuens Peruſia Aſiſium redijt. vbi prid. Idus Auguſti Claræ, virgini ordinis Minorum Sanctiſſimæ, morienti affuit. Cum autem ibi moram traheret iterum à ſenatore monitus eſt, ut primo quoque tempore ad Eccleſiam remearet. ſimulque Aſiſiatibus pernicies intentata, ſi moram vllam reditui attuliſſent. Reuerſum inde, ac ſummo ab omnibus honore exceptum Romani rurſus aggreſſi poſtularunt, ut omnia ſibi damna reſarciret, quę ſuperioribus annis ex illius abſentia in locationibus, commercijs, vſuris, & vectigalibus pertuliſſent. Quod ut audijt pontifex, ſe deceptum ſentiens auxilium à ſenatore petiuit, qui uerbis blandis populum in citatum compeſcuit, cum diceret, inhumanum eſſe, paſtori, quem ad animarum cuſtodiam aduocaſſent, negocium exhibere.

Eodem anno Conradus rex Neapoli pontificem exuit. Ricardus autem Sanbonifacius, cum diu auctoritate, atque virtute partes Eccleſiæ defendiſſet, Brixiæ vitam deſeruit, ac filium Lu-
1253 douicum reliquit. Sequenti, Gibellini Parmæ ædes ſuas euerſas expoſtulantes noua cum Guelfis, qui eas diruerant, certamina miſcuerunt. cum autem proprijs eos delere viribus non valerent, Hubertum Palauicinum promiſſo urbis imperio aduocarunt. Neque Hubertus tantam occaſionem potiendæ urbis omiſit. immo adducto confeſtim in agrum Parmenſem exercitu Burgum, atque Colurnum inuaſit. Quod vt Ioannes Ban-

ſellus ſartor animaduertit, conſilium felicius, quàm prudentius cepit. Etenim manum quingentorum armatorum in urbe collegit, ac crucem, euangeliumque tenens ſingulos domi Gibellinos conuenit, eoſque metu mortis incuſſo iurare coegit, ſe vrbem Huberto non tradituros, ſed cum Eccleſia conſenſuros. Ita plerique, ſeu voluntate, ſeu timore iurarunt. qui verò ſacramentum repudiarunt, vrbe egreſſi Burgum ſe rettulerunt. Ea res Hubertum ab oppugnatione deterruit. Ioãni tanti beneficij auctori eximij honores habiti, & pręmia inſignia data, & cohortem eam armatorum pro arbitrio habere permiſſum. poſt aliquot inde annos à prætore Manfredo Roſa rebus publicis abſtinere, & cohortem dimittere iuſſus ſeſe ad conſuenda, ut ante, veſtimenta recepit. Eodem anno Bononienſes Ceruiam iuris ſui fecerunt. eamque Imolæ imperio adiecerunt. Quippe miniſtris Bononiẽſibus Ceruiam exportandi ſalis cauſſa ex fœdere profectis Ceruienſes arrogantius obſtiterunt, ac propterea a Bononiẽſibus bello petiti ſunt. Id vbi illi ſenſère, de ſe actum arbitrati confugère ad Venetos. verùm Bononienſium virtus opportunis ſubnixa opibus tãta fuit, ut licet Venetis ſummo conatu auxiliantibus, Ceruienſes ad deditionem adegerint. Tum verò prætor Ceruienſibus datus eſt, prout cęteris caſtris dabatur, quæ in ditione Bononienſium erant. Hac de cauſſa ciuitas tanti uoti damnata diligenti, vt decuit, religionis cura ſuſcepta VI. Kal. Iun. ſanxit, vt prætor, ac familia eius, & quilibet de conſilio Credentię, ac Generali feſto die S. Petri Apoſtoli baſilicam eius inuiſeret, ad eamque cereos viginti geſtaret. Conradus rex in ſua aduerſus Eccleſiam contumacia perſeuerans XI. Kal. Iunij hærede Conradino puero inſtituto deceſſit. Petitum veneno à Mãfredo fratre ipſi Regno cogitatione tacita iminente, atq; noto eiuſmodi ſcelerum architecto, ſcriptores plerique tradunt. Innocentius autem ut Conradi mortem accepit, continuo animum ad recuperandas Neapolim, & Capuam contulit. atque ad id Gulielmum Cæſarem in Italiam euocauit. poſt autem vbi illum domeſtico bello implicitum uenire non poſſe ſenſit, legatis duobus Cardinalibus Gulielmo, & Alberto pręmiſſis ipſe cum ualido exercitu in Campaniam prodijt. vbi ab omnibus benigne admiſſus. atque ab ipſo etiam Manfredo debito obſequio cultus ſtatim Neapolim recepit. Pręclara inde rerum initia fœdi exitus

exceperunt. Manfredus Teani, quò ſe contulerat pontifex, Burellum de Angleno hominem ipſi Pontifici valde acceptum occidit: atque iram eius metuens Luceriam ſe proripuit. Ea re, cum non ſatisfaceret, dignus qui bello vindicaretur, eſt viſus. Continuo exercitus ad eum inſequendum immiſſus Troiam & Fogiam vrbes primo certamine cepit. verùm paullo poſt à Manfredo deuictus eaſdem amiſit. Eo nuncio accepto Innocentius ęgrotare Neapoli cępit, neque ita multo poſt VII. Idus Decembris ingraueſcente morbo interijt. Quo facto Bartolinus Tabernerius prętor Neapolis portis vrbis occluſis Cardinales abire molientes retinuit, ac ſine mora ſucceſſorem ſubſtituere iuſſit. Ita poſt XIII. dies Rinaldus Anagninus epiſcopus Oſtienſis pontifex eſt declaratus, qui in Domini Natalicijs conſecratus Alexandri IIII. nomen accepit. Ille verò nouo ineunte anno belli cura Octauiano Card. legato commiſſa Romam ſe rettulit. indicat diploma VIII. Kal. Martij datum, quo ordinem Fratrum Eremitarum ex multis ordinibus Eremiticis conſtitutum cinctu, habituque atro, donauit, ac legibus à S. Auguſtino prę-ſcriptis obſtrinxit. Inde Anagniam progreſſus Claram virginem biennio ante vita functam numero beatarum virginum aggregauit. Interim Manfredus regno in poteſtatem adducto rex Neapolis coronatus, atque eo nomine à pontifice piorum communione abactus eſt. Nondum poſſeſſio Friniani reddita Mutinenſibus erat, cuius rei iudicium ad prętorem Parmę ex compacto reiecerant. Itaque VIII. Kal. Iunij Gibertus prętor Parmę nuncijs Bononiam miſſis Ricardum prętorem, Antianos, Conſiliumque rogauit, ut aut Frinianum Mutinenſibus remitterent, aut procuratores Parmam ad reſpondendum Mutinenſibus mitterent. Qua re audita Bononienſes primum à Mutinenſibus per legatum poſtularunt, ut iura ſua apud ſe potius, quàm Parmę, exponere, & Frinianum ſuo potius, quàm alieno recuperare beneficio vellent. & cum nihil impetraſſent, XVII. Kal. Iulias Parmam nuncio miſſo Gibertum orarunt, ut arbitrium pronunciare differret. Verùm cum rogatus nuncius; num mandatum ad reſpondendum haberet, ſe habere negaſſet, neque arbitrij dilationem poſtulare poſſe iudicatus eſt. Itaque inſtante Mutinenſi, ut arbitrium ſtatim pronunciaretur, Gibertus iterum Ricardum admonuit, ut intra cer-

tam diem procuratorem miſiſſe idoneum vellent, qui ſua iura doceret. Quare imminente extremo iudicij die Ricardus, ne ſecundum Mutinenſes iudicaretur, veritus, ex voluntate Conſilij Generalis, & Specialis Bartholemęo Picciolpaſſo procuratori conſtituto mandauit, vt Mutinam adiret, atque à prætoribus, & Conſilio peteret, ut diem prorogari iudicij paterentur, ac procuratorem, quem Parmam miſerant, reuocarent. nam ſe comiter per communes amicos tranſigere uelle, quod ſi ſe facturos abnuerent, tum uerò denunciaret, ut caſtra citra Scultemnam diruerent, quemadmodum ex pacto deberent, inde Parmam adiret, & Gibertum prætorem rogaret, ut pronunciare differret, locumque aſſignaret, in quem tuto aduocati Bononienſium poſſent venire, & iura ciuitatis exponere: neque enim ſecurum ſibi Parmam iter à Regienſibus eſſe. Prætori procurator paruit, ac IV. Idus Auguſti Mutinæ primum Alberto prætori, & Communi ipſi, deinde Conſilio Antianorum, ac quadraginta ſapientum, poſtremo Conſilio Generali, ac Speciali mandata edidit. poſtero die Parmam progreſſus à Giberto petijt, ut laxiorem iudicij diem daret. cui ille reſpondit, poſtridie mane rediret, nam ſe ſuper hac re uelle conſilium capere. ubi uerò ille hora indicta reuertit, tum tertio die adeſſe mandauit, nam ſequenti ſe propter feſtum Aſſumptionis ei officio uacare non poſſe. Cum autem Mutinenſis inſtaret, ut primo quoque tempore pronunciaret, Bononienſis uerò diem longiorem, ac locum tutum ad diſceptationem cauſſæ poſtularet, ille interfatus tertiam ab eo diem conſtituit: quæ ubi illuxit, petitionem Bononienſium de loco tuto præſtando reiecit, inquiens, legatos Bononienſes aliàs Parmam ueniſſe ſecure, & fidem à Regienſibus impetrare haud difficile poſſe, aut per limites remotiores tuto tranſire. Quo reſponſo Bononienſis confuſus iterum Conſilium Generale, ac Speciale popoſcit, cumque ibi eadem iteraſſet, prætor eius petitionem repudiauit, atque Generali Conſilio aduocato XVIII. Kal. ita pronunciauit. *Nos Gibertus de Gente prætor Parmæ arbiter inter Commune Bononiæ, & Commune Mutinæ ſuper Friniani diſceptatione delecti iuris ſolemnitate ſeruata pronunciamus, Frinianum, homines, oppida, & loca cum eorundem iuriſdictione ad Commune Mutinæ pertinere, & ſine ulla exceptione illi à Communi eſſe Bononiæ dimittenda; præcipimuſq; eidem Com-*

mun: Bononiæ, vt ea intra menſis ſpatium libere dimiſſa habeat, alioquin mulctam in compromiſſo expreſſam perſoluat. Inde Fauentiæ, & Balneocaballi potiendi Bononienſibus nec opinata occaſio eſt oblata. Quippe Manfredi Gibellini cum paullo ante Fauentiam reuerſi rixis cum Acariſijs committendis omnia permiſcerent, iuſſi ſunt à Bononienſibus contundendæ ſuperbiæ cauſſa partem foſſarum vrbis explere. Quod cum feciſſent, ne ita quidem quietem egêre, verum Kal. Ian. Manfredo Marengo præturam, & Iordano Lucino populi præfecturam tenente, tumultum excitauêre. ac tumultus eius contagione ſeditionem quoque in oppido Balneocaballi, ciuitatem turbantibus Azone, Rogerioque Comitibus, accendêre. Quę cum Bononię nunciata eſſent, ac nonnulli exercitum Fauentiam extemplo mittendum cenſerent, Iordanus pręfectus VIII. Idus Ianuarij Conſilium populi aduocauit, eumque quid fieri placeret, rogauit. placuit, vt Manfredi exilio mulctarentur, & populus iuraret, niſi Fauentiam ſibi toto Ianuario tradidiſſent, ſe exercitum aduerſus eos ab eo die ad Kal. Maias primas miſſurum; idemq; aduerſus eos fieret, qui Balneocaballum tenerent, atq; ita per Viuianum pręconem, populi nomine, ſacramento concepto iuratũ eſt. Quo facto eodẽ die Manfredus prętor Conſiliũ Generale, & Speciale habuit, ac decreto populi recitato, quid opus facto eſſet, rogauit. omnes ita ut populus iuſſerat, decreuerunt. His rebus cognitis Balneocaballẽſes exterriti III. Kal. Febr. Gibellinũ Lugienſem procuratorẽ Bononiã miſerunt, ac per eũ Balneocaballum tradiderunt, aſſignaueruntq; prętori, & pręfecto populi Iordano, Antianis, cõſulibuſque pręſentibus. Ea inde de re cõſultus populus iuſſit, ut Balneocaballus in ditionẽ adduceretur, & ibi pretor cũ pręſidio imponeretur, formareturq; ex iudicio populi Bononiẽſis, & ut his de rebus referri ad maius cõſiliũ Cõmunis Bononię poſſet per pręfectũ, & Antianos, & cõſules, quoties opus fuiſſet. Qua re confecta Mãfredus Kal. Febr. Conſiliũ Generale, ac Speciale uocauit, & quid de decreto populi ſuper Balneocaballo cẽſeret, rogauit. Omnes ſcitũ populi confirmarunt, modo id fieret ſaluis legibus, ac ſacramento pretoris. III. Non. Febr. præfectus rettulit, quid de Balneocaballo formando iuberent, & qua ratione ea inſtituẽda res eſſet. viſum eſt, ut pretor Balneocaballi ex ciuitate Bononienſi in hunc modum deſignaretur, ut XII. tabulę notatę cum

alijs albis in vrnam inijcerentur, & ad ſortem tabularum irent Antiani,& conſules argentariorum,& mercatorum, eorumque conſiliarij, & qui notatas XII. tabulas tuliſſent, illi ius legendi prætoris haberent, quique ab omnibus,aut à maiori parte eorũ lectus fuiſſet,ille optimo iure prætor eſſet:& ut hæc omnia referri ad maius Conſilium Cõmunis Bononiæ poſſent per præfectũ, Antianos,& Conſules,aut aliquẽ ipſorum, quoties opus fuiſſet, dũmodo nulla lex populi prohiberet. Quibus rebus deinceps Fauẽtini permoti,ac ſimul diſcordijs exercẽdis defeſſi III.Kal.Martias ſe Bononienſibus tradidêre, ad eos in hęc verba ſcribentes. *Prætori,præfecto populi,Antianis,& conſulibus urbis Bononiæ,& Conſilio, & Communi Gulielmus Goſus prætor, Rainerius Liazarus præfectus populi Fauentiæ, Conſilium, & Concio,& Commune S. P. Veſtra potentia,ac ſapientia freti,quos loco dominorum habemus, ad vos confugimus,cumque pars vna ciuitatis in alteram ad perniciem ſæuiat,& ſæuitura ad vltimum exitium videatur, petimus à vobis, tanquàm à patribus, & dominis noſtris,vt nobis ſubuenire velitis, atque vrbi Fauentiæ opitulari, quæ veſtra eſt, pro certo habentes, nos paratos eſſe mandatis veſtris obtemperare,&, vt vrbem in ditionem accipiatis, vobiſque ſubijciatis. Quod ſi facere ceſſaueritis, ſcitote vrbem funditus perituram.* Inde pridie Idus Martij Odoricus procurator,à Manfredo prętore, & Conſilio Generali, Specialique delectus Balneocaballum ab eorum procuratore recepit cum poteſtate exercendæ iuriſdictionis ibi ęque, ac Bononię,in cauſſis priuatis,& publicis,in imperandis exercitibus,excurſionibuſque non aliter ac Communi Bononię ius eſset in agro ſuo. Secundum hęc nondum Fauentię poſseſsione recepta Manfredi, nouo concitato tumultu urbe Acariſios exegerunt, ac Goſum prętorem cum familia violarunt, & Balneocaballi Azonem, & Rogerium Comites cum ſuis factionibus commiſerunt. cui rei Bonacurſius nouus populi prędectus multa remedia conquiſiuit, eaque ad conſilia populi referenda propoſuit. Quę res ubi percrebuit, continuo III. Kal. Aprilis legatus à marchione Ateſtino uenit, atque à Bonacurſio Conſilium poſtulauit, & cum ille voluntate Antianorum, & Conſulum Antianos, & conſules mercatorum, atque argentariorum, magiſtros collegiorum, artium, atque armorum, & omnes eorum conſiliarios tam Parui, quàm Magni Conſilij conuocaſſet, ad eos introductus primum egre-

giam marchionis uoluntatem erga Commune, populumque Bononienſem expoſuit, deinde poſtulauit, ut omnia, quę Bonacurſius ſuper re Fauentina ſtatuiſſet, Commune, populuſque Bononienſis ita rata haberet, ut ea ad Conſilium Magnum, Paruumve referre neceſſe non eſſet. Sic enim fore, ut qui modo tenerent Fauentiam, illam prorſus in poteſtatem pręfecti permitterent ad honorem Communis, populique Bononiæ. Quibus auditis præfectus Conſilium, quid opus facto eſſet, conſuluit. Placitum eſt omnibus, ut Fauentia reciperetur, ſi liberum ſui arbitrium pręfecto permitteret, & ut quod præfectus ſtatuiſſet, ratum haberetur, uerum id referretur ad Conſilium Generale per præfectum, Antianos, & conſules, & aliô, ſi opus eſſet. Quæ cum Fauentiam eſſent, ac Balneo caballum delata, VIII. Idus Aprilis Conſilium Fauentiæ, & Balneocaballi procuratorem ſuum conſtituerunt Beltalim iuris peritum ad compromiſſum in Bonacurſium faciendum de omni iniuria, pace uiolata, damnis, & iniurijs allatis inter Manfredos, & Commune Fauentiæ, ab una parte, & Acariſios, ac factionem eorum ab altera, & ad tradendam urbem Fauentiæ in ditionem præfecti, & mandata eius explenda, item de omni iniuria, pace uiolata, damnis illatis inter Azonem Comitem, & Manfredos, atque amicos eorum ex una parte, & Comitem Rogerium, & Acariſios, ac factionem eorum ex altera. Compromiſſo à Beltaldi VI. Idus Aprilis utriuſque ciuitatis nomine confirmato, poſtridie iudex ad Conſilium de ratione eundi Fauentiam rettulit: decretumque eſt, ut præfectus ex Antianis, & conſulibus, quos illi placuiſſet, & pedites, & ſagittarios quos uellet, educeret: factaque poteſtas Fauentinos, & Balneocabellenſes extorres compellandi, quos uellet. eaque duobus ſequentibus diebus omnia in Conſilijs Fauentiæ, Bononiæque firmata. Bonacurſio inde Fauentiam profecto poſtridie, qui fuit Idibus Aprilis, Accurſius, & Azo ex uoluntate Fauentinorum extorrium, qui in Conſilio aderant, procuratores legerunt ad compromiſſum faciendum de omni lite, iniuriaque ſuperiore in Bonacurſium, ac poſtridie ipſi procuratores libere ſe in poteſtatem eius pro ſe, & ipſo Commūni, ac populo Bononienſi recipientis tradide-

runt.

runt. Poſt autem cum procuratores à prætore, & conſulibus Balneocaballenſibus, itemque Comite Rogerio conſtituti eadem ratione compromiſiſsent, tum XVI. Kal. Maij Bonacurſius Conſilium Fauentiæ habuit, rogauitque num ſuperiora omnia comprobarent, vellentque ſe habere poteſtatem pœnarum, & legum, & pellendi urbe quos vellet? omneſque ita iuſſerunt. atque hoc idem poſtridie Conſilium Balneocaballi, ac ſequenti populus in concione ſanciuit. Quibus rebus perfectis Bonacurſius pronunciauit arbitrium, & quos placuit, utrinque expulit, & ciuitates conſtituit, & Conradum Sureſinum prętorem impoſuit. Qui XI. Kal. Iun. Bononiam profectus in foro in concione ſuper carrocio ſic ſacramentum ſolemne concepit. *Ad honorem Dei, & ſanctæ Eccleſiæ, & Communis, populique Bononiæ iuro ego Conradus Sureſinus prætor Fauentiæ me recturum ciuitatem hinc ad Kal. Martias primas bona fide ad honorem, & commodum Communis, populique Bononiæ, atque Fauentiæ, & ad arbitrium prætoris, præfectique Bononiæ, & mandata eorum obſeruaturum.* Quibus rebus conſtitutis inde Foroliuienſium, & Foropopilienſium eſt conſequuta deditio. Cum enim eiſdem tumultibus, ſęuis ſtimulantibus factionum odijs, res utrobique miſceri prætor, & præfectus populi Bononienſis audiſſent, prætorem, & præfectum populi utriuſque ciuitatis Philippum Giringellum, & Lambertinum Samaritanum apud ſe compellari iuſſerunt, ut pro poteſtate ei incommodo remedium aliquod adhiberent. Ob eam rem IX. Kal. Iun. Foropopilij Boldus iudex Philippi prætoris ex uoluntate Conſilij Generalis conſtituit procuratorem Hugonem, vt permitteret prętori, & Conſilio Communis Bononię, pręfecto populi, & ipſi populo liberum arbitrium ſtatuendi quęcunque expedire Communi Foripopilij ducerent ſuper ijs rebus, quas poſtulaſſent. Poſtridie verò Foriliuij Matthęus iudex eiuſdem Philippi ex voluntate Conſilij Generalis procuratorem conſtituit Ioannem, vt adiret prętorem, pręfectumque populi Bonienſis, Antianos, & conſules, iuraretque ſe mandata eorum edita curaturum. atque ita cum Philippus prętor, Lambertinus pręfectus, ac Ioannes, & Hugo Procuratores Bononiam ueniſſent, poſtridie in foro concione aduocata ſuper carrocio, nomine ciuitatum prædictarum iurarunt, ſe in

auctoritate prætoris, præfectique populi fore. Poſt autem cum Manfredus prętor ex voluntate Bonacurſij pro ſe,& pręfecto,& Communi,populoque Bononienſi illis pręcepiſſet, indicta quin quaginta marcharum argenti mulcta, vt ſibi dicto audientes eſſent, IV. Kal. Sept. Bononię in concione Benuenutus Procurator Foroliuienſis Aimerico Procuratori Bononienſi promiſit,ſe ſer uaturum mandata omnia, quę iniungerentur Communi Foriliuij à prętore Communis Bononię, & pręfecto populi, Antianis,& conſulibus, & Communi prout ipſi interpretati eſſent, atque hanc promiſſionem à Communi ſuo ſanciendam pro eorundem arbitrio curaturum. Quibus rebus adminiſtratis IV. Idus Septembris Manfredus prætor, & Bonacurſius pręfectus, & Antiani, conſuleſque argentariorum, & mercatorum permiſſu Conſilij Generalis, ac Specialis præceperunt, ut ciues Foriliuij pacem inter ſe haberent, & ſi una pars alteram exegiſſet, ea damna alterius reſarciret, eamque in vrbem reciperet, & impenſas reficeret, quas Commune Bononiæ pro ea reducenda feciſſet, & ne Commune Foriliuij bellum iniuſſu Communis Bononiæ faceret, præterea commercium præberent ciuibus Bononienſibus ſine ſolutione Portorij: bellum, atque incurſiones inferrent, quibus Commune Bononię præcepiſset, arma, equoſque in urbe, & agro imperarent, cum imperata Bononiæ eſsent, amicos, & inimicos eoſdem haberent, pecunia Bononienſi vterentur, neque alia contractus obirent; quotannis prætorem, & præfectum ex Bononiæ urbe acciperent, ſi modo præfecto uti uellent: neque hæc lex aut abrogari, aut ei derogari, aut obrogari poſset iniuſsu Communis, populique Bononiæ. Additum pręterea, ne tantę rei memoria interiret, ut pactiones hę cum Imolenſibus, Fauentinis, Foroliuienſibus, Foropopilienſibus, & Ceruienſibus quotannis fideli ſcribarum manu deſcriberentur, legumque in tabulas referrentur. Hunc in modum Bononienſes Romaniolæ ciuitates, quas primum à Marcoaldo Duce, deinde à Friderico Imperatore occupatas magno armorum certamine cum Eccleſia vindicarant, demum, cum domeſticis ſeditionum fluctibus agitatę vltro ſeſe ſalutis ſuę gratia dederent, in ditionem acceperunt: primique omnium conſtituta libertate imperium adiunxerunt, quippe iampridem, ita iuris ſui, ut

nemini,

nemini,niſi legibus,obedirent,eas autem opes adepti,vt vicinas ciuitates terrore imperij continerent.ob has res ciuitas tantam rerum proſperitatem eximio Dei beneficio nacta multa grata ſuæ erga illum voluntatis argumenta dedit, eaque non ſolum in præſens extare, ſed etiam in poſterum ad perennem memoriam voluit. ſiquidem ad populum inſigni aliquo rei bene geſtæ monumento exhilarandum binos annuos equorum curſus inſtituit, vnum in die S. Petri, alterum in die S. Bortholemæi. Horum autem duorum curſuum in veterum legum libris, vnde pleraque alia hauſimus, per hæc tempora mentionem inuenimus. Quòd icciřco adiecimus, ne quis citeriorem hanc eſſe conſuetudinem, vulgarem fortaſſe ſequutus opinionem, exiſtimaret. Quin etiam homines, qui ſeruitutem ſeruiebant, perſoluto dominis pretio, populus liberauit, atque inter paganos rettulit. Etenim V I. Kal. Iulias Bonacurſius præfectus Antianos, conſules, & magiſtros artium, atque armorum cum omn bus conſiliarijs tam Magni, quàm Parui Conſilij conuocatos rogauit, vellent, iuberent ne, vt ſerui, & ſeruæ ad Commune, & populum Bononiæ peruenirent, ita vt omnes incolæ tam vrbis, quàm agri liberi eſſent. omnes ita, ut rogarat, iuſſerunt. ſcitumque factum, ut ſi qui ſeruos, & ſeruas habebant, eorum vendendorum arbitrium ad prætorem, præfectumque vellent deferre, Commune, ac populus eorundem emendorum poteſtatem eiſdem permitteret, ac precio ab eis conſtituto emeret. Compromiſſio vtrinque ſancito V I I. Kal. Sept. prætor, & præfectus in Conſilio Generali, & Speciali pronunciarunt, vt ſerui annorum X I V. denis libris ſinguli emerentur, minores verò octonis, eaque pecunia tribus ſubinde penſionibus dominis ſolueretur, & ut ſerui liberati paganorum in codicem referrentur, ac ſubirent onera Communis, ut liberi. Omnium, qui tum ſeruitute exempti ſunt, nomina adhuc in tabulis publicis numerantur: Brancaleo Andalus, quem Romam ſenatorem aduocatum ſupra cõmemorauimus, cum ſeuerius iuſto capitales quæſtiones exercere putaretur, quòd fures, ſicarios, & aliorũ flagitiorũ com pertos ſuſpẽdio, mutilatione, alijſq; grauiorũ pœnarũ detrimẽtis ſine vlla exceptione affecerat, in offenſionẽ potẽtũ, atq; nobiliũ popularibus ſuffragãtibus incidit. Itaq; ſeditione in vrbe cõ mota captus, atq; in carcerem tanquam ad pœnã coniectus eſt.

Qua re cognita vxor eius occulte Roma exijt, ac primo quoque tempore Bononiam properauit ciues ſuos obteſtatũ, ut arctius obſides Romanorum haberent, ne illis reſtitutis Romani durius in maritum ſuum conſulerent. Romani verò Pontificem adeuntes orarunt, vt Bononienſes ad obſides ſuos ſibi reddendos adduceret. atque ille eorum voluntate permotus primum petijt, vt Romanorum in eo gratificari ſtudio vellent; deinde grauiora minatus eſt, niſi in auctoritate ſua fuiſſent. Bononienſes autem mala omnia ſuſtinere, quàm obſides in certam ciuis ſui præclari uiri perniciem reſtituere maluerunt. Romani Emanuelem Madium Brixianum ſubſtituerunt, qui & ipſe ius ſeueriſſime dixit. Hoc eodem anno popularis reſpublica Mediolani eſt inſtituta. Leo enim archiepiſcopus non minus ciuitatis, quàm ipſius eccleſiæ adminiſtrationem exoptans, atque ad eam rem adiutoribus capitaneis, ac valuaſoribus vtens, reluctante, ut ante, plebe, rem eò deduxit, ut ad modum certaminibus faciendum duo præfecti, ſiue Antiani conſtituerentur, vnus, qui Nobilitatem, alter, qui populum duceret. Is honos Paulo Sureſino, & Martino Turriano delatus ſeditionem in præſens leniuit potius, quàm in poſterum ſuſtulit. Eodem anno in Germania Gulielmus Cæſar cum Friſijs bello inteſtino pugnauit: dum autem ex acie uictor excederet occulto ſagittæ ictu ab inſidiatore percuſſus interijt. Quo facto principes, quibus creãdi regis ius erat, ad comitia conuenerunt, ac diuiſis ſententijs duos legerunt, Ricardum Cornubię Comitem regis Angliæ fratrem, & Alphonſum Caſtellæ regem. Qui uerò ij principes eo tempore fuerint, Pariſius indicauit his uerbis: *Hi ſunt maximi in Alemania, ad quorum nutum pendet electio ipſius Regni, quod eſt quaſi ara Imperij Romanorum, archiepiſcopus Coloniæ, cuius titulus eſt, ſacri Imperij Protocancellarius, poſt honorem Archipræſulatus, archiepiſcopus Maguntinus, archiepiſcopus Treuerenſis, rex Bohemiæ, Comes Palatinus de Rheno, Dux Auſtriæ, Dux Sueuiæ, qui & Comes Bauariæ, Dux Poloniæ, marchiſius de Miſhe, marchiſius Brandeborg, Dux Saxoniæ, Dux de Brunneſuuic, Dux de Carantene, Dux de Melai, Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ, Landegrauius Thuringiæ, marchio Miſniæ. Inter omnes hos Magnates ſupereminens eſt archiepiſcopus Colonienſis, qui coronare tenetur regem Alemaniæ apud Aquiſgranum ab antiquo, & approbata conſuetudine.*

Inſignis porro hic annus fuit vrbe Patauina ex manibus Icilini mirabili felicitate extorta. Auctores tam præclari, ac memorandi facinoris extitère Azo marchio Ateſtinus, Tiſo Campoſanpetrius, ac potentiſſimus quiſque exul Patauinus. Hi, cum Icilinum animaduerterent inauditæ ſuæ crudelitatis habenas ita laxaſſe, vt nullum diem præterire pateretur, quo non in aliquem vel inſontem nouo aliquo necis genere, tormentive debacharetur, dolore atque indignitate accenſi rem ad Alexandrum Pontificem detulerunt, atque opem miſerrimis populorum temporibus implorarunt. Alexander primum miſericordia, deinde iuſta indignatione, non ſecus ac par erat, permotus ex Cardinalium auctoritate ſeſe ad ea, quæ vltima eſſe in Eccleſia ſolent, auxilia contulit: ideſt crucem aduerſus Icilinum, tanquam hæreticum, atque iniuſtum alienæ libertatis oppugnatorem indicere ſtatuit, & Philippum Fontanam Rauennæ archiepiſcopum legatum huic negocio cum ſumma auctoritate præpoſuit. Is mandato accepto, nulla interpoſita mora, Bononiam venit, ac conuocato in foro populo ſe legatum ad crucem indicendam contra Icilinum à Pontifice declaratum eſſe pronuntiauit. ſeque omnes homines cruce ſignaturum, qui arma aduerſus eum capere voluiſſent, atque eos ex auctoritate Pontificis, expiatione omnium ſcelerum affecturum adiecit. Quibus verbis ciues accenſi ad ſex millia hominum ſe ei bello, cruce ſumpta, ſubito deuouerunt. Inde Ferrariam profectus eadem ratione concionem in forum aduocauit, & cum clerus, ac religioſi, & laici omnes nouo audiendi ſtudio capti ilico confluxiſſent, pro porta baſilicæ ſtans clara voce dixit, ſe legatum contra Icilinum eſſe à Pontifice deſtinatum, ut exercitum ad recuperandum Patauium, atque Patauinos exules reducendos conficeret: quicunque huic militiæ nomen accepta cruce dediſſet, eum expiationem omnium flagitiorum eſſe conſequuturum. Quibus dictis mox ingentem numerum Ferrarienſium cruce, ipſo præcipue Azone hortatore, ac duce, vltro nomina dantium inſigniuit. Poſtremo Venetias delatus, atque eadem coram ſenatu illo teſtatus parem & ibi, ad delendum Icilinum animorum alacritatem inuenit, quòd vniuerſi opes eius nimias verebantur, & crudelitatem efferatam auerſabantur. Veneti verò, non

militares ſolum copias, ſed naualem etiam apparatum ſuppeditarunt, quin etiam duces duos viros militiæ maxime gnaros dederunt, Marcum Badoarium, qui à legato mareſcallus exercitus factus eſt, & Marcum Quirinum, quem ſibi præfectum Patauini exules delegerunt. Quibus rebus expletis legatus omnem cruceſignatorum exercitum ad Turrim Baibarum conuenire mandauit, ac ſe ad Patauium liberandum aduerſo Bachilione ducere velle oſtendit. Harum rerum certior factus Icilinus mille quingentos milites robuſtiſſimos, ac rei militaris periti ſſimos Patauio impoſuit, atque vrbis cuſtodiam Anſediſio prętori ex ſorore nato commiſit, ne minimo quidem vrbis amittendæ timore perculſus, Patauium ſatis tutum duplici murorum ambitu, valido præſidio & ſingulari Anſediſij fide, ac diligentia ratus, atque Anſediſio ipſo accuratius de ratione defendendæ vrbis admonito, ipſe Verona cum maximo Veronenſiũ, Vicetinorum, Patauinorum, & Pedemontanorum ſuorum exercitu in agrum Mantuanum irrupit, eumque vrbi ipſi imminens ferro, flammaque uaſtare pro inſita animi libidine inſtitit. Anſediſius autem hoſtium incurſum à Baibis futurumq; præſentiens, ut Venetarum acceſſum nauium propulſaret, amnes Brentam, & Bachilionem aliò deriuauit, neque in mare ſuo alueo manare permiſit, ac caſtra omnia ab illa parte ſita vallis, & præſidijs eximie confirmauit. Exercitus inde ab ea parte, quā diximus, in agrum Patauinum inuaſit, vexilliferum exulem quendam Patauinum nomine Carellum Fratrem Minorem habens, qui ingengentis ſpiritus vir patriæ recuperandæ cupidus hunc ſibi pro Chriſti honore laborem depopoſcit. atque aquas omnes exhauſtas adeptus explicitum introitum habuit. Quod ubi audijt Anſediſius, ad Plebem Sacci acceſſit cum maxima copiarum parte tranſitum eis interſcepturus, & purgatis foſſis locum uallis, cæteriſque rebus opportunis muniuit. Interim legatus ad caſtrum Brentæ progreſſus locum ſubito admotis machinis expugnauit, atque inde caſtra ad Corregiolam mouit. qua capta ad Pontelongum perrexit. quò cum Anſediſius occurriſſet, leuibus aliquot prœlijs factis Plebem ſe rettulit. Inde Concaldalberum eſt proceſſum, ac prælio duriſſimo cum maxima hoſtium cæde ab aurora ad veſperam facto caſtrum deditione receptum. atq; omnes incolæ nomina profitentes cruceſignati. poſtridie ad Bouo-

lentam eſt ventum, ac caſtro omiſſo ſuburbijs ignis iniectus. Tũ motis caſtris Cõſilua petita ac ſubito capta, oppidani item omnes militiæ crucesignatorum aſcripti. Hæc vbi Anſediſius uidit, licet maximo terrore perfuſus ſuos ad concionem uocauit, ac bono eſſe animo iuſſit. nam Icilinum triduò Patauium eſſe venturum, atque hoſtiles copias diſiecturum, quas ipſi contemnere prorſus deberent, quòd neque promiſſa eis procederent ſtipendia, neque commeatus opportuni amnium defluentium impedita ſubuectione ſuppeterent, & ducem rei bellicæ rudem nacti eſſent, ut qui maiorem rei diuinæ faciendæ, quàm exercitui ducendo, operam impendiſſet. ſe Patauium ad Icilinum excipiendum, & conſilia belli ſalutaria explicanda repetere uelle, atque eos interim Gorgiæ duci parêre iubere. Patatauium inde reuerſus quæſtores publicos vigintiquinque acciuit, atque eis, ut ducenta librarum millia ſibi curarent intra biduum, imperauit. ac mox difficultates ſummas tantæ exigendæ pecuniæ proponentes in teterrimis cuſtodijs fame confecit, & Gorgiam Plebe Patauium reuocauit, qui XVIII. Kal. Iulias dece ptis nocturna profectione hoſtibus paruit. Icilinus autem de omnibus rebus certior factus, ſiue ut bellum Mantuanum inchoatum perficeret, ſeu quod Patauino præſidio plus iuſto conſideret, opem in præſens ferre neglexit, atque urbi Mantuæ expugnandæ intentus ſuburbia cepit, eaque ſubiectis facibus inflammauit Anſediſius interim populo aduocato ſimulatam rationem, cur Plebem reliquiſſet, expoſuit, atque Icilinum urbis ſubſidio intra biduum aſſeruit affuturum. Poſtridie legatus caſtris motis ad Plebem acceſſit, eamque ſine certamine ullo obtinuit, quo uicini omnes ad crucem accipiendam accurrerunt. poſtridie re diuina perfecta, ac gratijs Deo de proſperis progreſſibus actis, principes ac duces exercitus ad concilium aduocauit, atque ita differere cœpit: Viri fortes gratias agite Deo, quod noſtras aperte partes ſuſcepit pro nobis pugnans, atque hoſtes Eccleſiæ fugans, ac ſanctum noſtrum propoſitum adiuuans, quod eſt Eccleſiam à perſequutoribus uindicare, carcerem aperire, imbecilles ſuſtinere, prauitatem hæreticam extirpare, rapinas prohibere, innocentes tueri, ac Patauium urbem catholicam ex ſæuiſſimi, atque hæretici tyranni faucibus eripere. Quare parati eſtote, ut cum omnibus, qui in his locis ferre ar-

ma poſſunt, craſtina die ad eius mœnia ſuccedamus, & quantum, virtus, dextræque noſtræ ualeant, Deo bene iuuante periculum faciamus. Poſtridie uerò mane, qui fuit XV. Kal. Iulias, vbi omnes cum impedimentis, machinis, commeatibuſque ſub uexillis ad iter inſtructos vidit, gaudio exultans adhibitis clericis hymnum in honorem S. Crucis cantauit. *Vexilla regis prodeunt, Crucis fulget myſterium.* quæ cum illi clara uoce, ita ut ab omnibus audirentur, pie, modulateque concinerent, duo millia tam equitum, quàm peditum præ lætitia lacrymantium uiſa ſunt. Inde motis caſtris ad pontem Sancti Nicolai ad Roncaliam prodijt. Gorgia uerò cum quinquaginta equitibus ad explorandum emiſſus, cum in pręcurſores ad ſecundum ab urbe lapidem incidiſſet, detrectato certamine retro abijt. His actis Anſediſius perturbatus quattuor millia Patauinorum, quibus minime omnium confidebat, Veronam tranſmiſit. deinde omnes vires copiarum ſuarum ad Portam Pontiſcurui, quô potiſſimum uenturum hoſtium exercitum ſentiebat, adduxit, & porta ualido pręſidio militum Vicetinorum firmata, alia in alijs murorum partibus, ut opus eſſe duxit, pręſidia virorum fortium collocauit. atque interim legatus ad Pontécuruum acceſsit. Tum quidam a porta in forum ſumma celeritate contendit, ſe percuſſum ab hoſtibus eſſe uociferans, qui, quòd uerba illa uoce tumultuaria iteraſset, creditus eſt, ad arma clamare. Quare Anſediſius hominem corripi, ac lingua ſtatim mulctari iuſsit, ex quo ille Anſediſio maledicere, atque fatum extremum prædicere cœpit. Itaque capite truncari iuſſus, licet negaret, ſe ad arma uocaſſe, mortem euitare non potuit. poſtridie uerò ubi illuxit, prœlium occurrente Anſediſio tanto ſtrepitu utrinque eſt initum, ut cœlum ruere eodem cum urbe impetu uideretur. demum porta cum turri eſt capta, atque omnes, qui eam tuebantur, occiſi. Quo facto Anſediſius relictis ſuburbijs trepidus intra ſecundum urbis cinctum ſe retulit. Suburbia ipſa primum ab exulibus Patauinis, deinde ab uniuerſo exercitu occupata. Poſtridie cum in Conſilio quidam ſuburbia comburenda, & urbem obſidione premendam eſſe cenſerent, uicit tamen alia ſententia, ut extemplo muris oppugnatio inferretur, dum Anſediſius metu exterritus ſibi conſilium caperet, atque antequam Icilinus illius auxilio

aduolaret. Itaque ſchalis, machiniſque admotis ſtatim prœlium multis in locis magna vtrinque cęde eſt initum. Verum ad portam Turricellarum ſęuior, ac periculoſior pugna conſtitit propter vicinam quorundam nobilium turrim, ex qua tela, & faces in Pontificios ſine intermiſſione iaciebantur. Itaque cum portæ hærentes ipſam refringere uectibus, ac ſecuribus conarentur, Patauinis feruentem ſuperfundentibus aquam, extincti nihil profecerunt. Cum autem legatus ſe nulla ex parte perrumpere in vrbem propter mœnium altitudinem poſſe videret, inde ad portam Altinatem, vbi murus infirmior erat, clericis, & fratribus omnium ordinum innumeris cinctus acceſſit, ac Fratrem quendam Minorem, qui in ſeculo machinas omnis generis Icilino induſtrie fabrefecerat, Gattum ſibi conſtrui iuſſit, per quem vrbem primo quoque tempore expugnaret. Is Gattum fecit, qui anteriore ex parte flammam euomebat, in poſteriore verò armatos incluſos habebat. Hic igitur admotus portæ demum ignem implicuit, quem mox Pontificij materia varij generis iniecta vehementius incitarunt. atque ita defenſores calore, fumoque deterritos locum relinquere coegerunt. Quod ut Anſediſius vidit, ſuorum nemine ſalutato porta Sancti Ioannis egreſſus Vicetiam properauit. Quare animaduerſa milites eius, qui ſuos adhuc ordines conſeruabant, ſubito in diuerſas partes effuſi ſunt; ac portas, mœnia, & propugnacula reliquerunt, ac Vicetiam ducem ſuum ſequuti ſunt. Patauini vt profectum Anſediſium cognouêre, porta Sancti Stephani patefacta Tiſonem, & alios nobiles ſuos introduxere, qui quoniam Anſediſium fugientem conſequi nequiuerunt, iram ſuam in illius milites effuderunt. Interim exercitus per diuerſas partes ingreſſus vrbem hoſtiliter adeo, licet repugnante legato, diripuit, ut non ſolum multa pretioſa, quæ à dominis humi conſeruendi gratia fuerant abdita, ſurripuerit, ſed multis etiam res ſuas defendere molientibus uitam uiolenter ademerit. legatus ſaluti ciuitatis conſuluit: nam & captiuis mille quingentis vincula dempſit, & carcerem ad S. Sophiam, vbi ſexcenti vtriuſque ſexus, homines ſeruabantur, aperuit, ac poſtero ſacris operatus gratias Deo ſolemniter egit, ac ciuitati ſacra, priuilegia, leges, immunitates, conſuetudines, carrociumque reſtituit, quod diu dominante Icili-

no abiectum deformatumque iacuerat. Populus autem ubi ſe tanta ſolutum ſeruitute conſpexit, ad pedes ſe legati abijciens, gratias egit, ac lacrymis fuſis ipſum à Deo pro ſalute ſua miſſum aſſeruit, atque eodem etiam obſequio marchionem, prætorem, mareſcallum, & cæteros patres patriæ ſolutatos excoluit, nec ſecius pueri, uirgineſque crucem præferentes cateruatim per urbem inceſſerunt, ac *Te Deum laudamus* uocibus lætisſimis cecinerunt. atque eadem gratulatio, quæ urbem, pagos etiam, & caſtra ultro urbi ipſi ſe dedentia occupauit. Etenim Monsſilicis excepta arce, & Ciuitatella ſeſe ciuitati Patauij tradiderant, ex qua trecenti, qui in carcere tenebantur, pallore macieque perempti extracti ſunt. Albericus nuncijs ad ſenatum misſis ſe Taruiſium, & res omnes ſuas ad mandata Eccleſiæ obtenturum, oſtendit. Ateſte, & Montagnana marchionis ſe fidei tradiderunt: demum omnia præter Calaonem, & Cerrum, & arcem Montis ſilicis in poteſtatem Eccleſiæ peruenere. Ne quid autem integræ uictoriæ deeſſet, Vendraminus etiam arcem urbis Patauinæ, cui præerat, ultro reſtituit. qua recepta ex tetris illis cuſtodijs quadringenti ſexaginta quattuor ſunt exempti, quos nemo obſitos ſquallore, & ſordibus dignoſcebat. Quod idem fecerunt, qui alteram arcem ad Pontemmolinum tenebant, in qua complures mulieres non ignobiles ſeruabantur. Poſtridie Icilino bello Mantuano parum proſpere facto, Veronam ſe referenti priuatus homo ſe obtulit, atque audientibus omnibus Patauium amiſſum renunciauit. Quo ille nuncio exanimatus ut ſe collegit, ipſum nuncium mendacij arguens ſuſpendi arbori iusſit. deinde alter ſucceſsit, qui ſecreto illud idem ſignificauit; tum præfecti quidam eius uenerunt, qui idem, culpam omnes in Anſedisium referentes, aſſeruerunt. ille uerò occulto dolore diſſimulato Veronam adijt, ac toto accito in urbem exercitu portas claudi, ac ſumma cura cuſtodiri mandauit. mox conceptam iram omnem in Patauinos euomere cupiens, omnes Patauinos inermes in locum unum coegit. (hi erant X I. hominum milia, quos apud ſe aut obſidum, aut militum, aut miniſtrorum nomine habebat) atque omnes ſatellitibus ſuis uarijs necis afficiendos generibus tradidit. Ita intra octo dies cuncti aut ſuſpendio, aut tractione,

aut igne, aut obtruncatione, aut fame deleti. Interim legatus conſilijs agitatis Vicetiam conſtituit aggredi. Quare nouis Ferrarienſium, Bononienſium, Venetorum, & Romanæ copijs auctus exercitum ad Lõgaretum adduxit. atq; ibi ſeptum hoſtium Bachilioni oppoſitum diſsipare molitus cum occurrentibus ad molis defenſionem Vicetinis cruentum ſanè prœlium edidit. demum hoſtibus profligatis ibi caſtra locauit, ac totum illum tractum populabundus iniuit. mox, cum falſus rumor increbruiſſet, Icilinum cum firmis copijs ad defendendam Vicetiam aduenire, exercitus eius tumultuari inſtituit, quem tumultum auxêre quoque Bononienſes, qui claſſem Venetam aduerſo flumine uenientem præſidio protegentes domum ſubito receſſerunt, prælata cauſſa, quòd debita ſibi ſtipendia miſſa non eſſent. Quibus de rebus legatus comperto, Vicetiam uere nouis ſubſidijs eſſe firmatam, IIII. Idus Auguſt. Patauium re infecta ſe rettulit. Icilinus inde Vicetiam profectus aduocata concione gratias omnibus egit, quod in officio permanſiſſent, ſeque perpetuam huius rei memoriam ſeruaturum oſtendit, ſimulque vt omnes ad ulciſcendas hoſtium populationes adeſſent, orauit. cui ab uniuerſis ſucclamatum eſt, ut Patauium peteretur. Quare cum tanta Vicetinorum alacritate permotus, tum tumultuoſo ponti ficiarum copiarum receptu excitatus conſilium recuperandi Patauii expediuit. Quo cognito legatus urbem ab ea parte, quæ Vicetiam reſpicit, quòd murus ibi imbecillior eſſet, ſibi muniendam putauit. quippe foſſam quingentos paſſus ultra mœnia protulit, ad eamque vallum ligneum clauis confixum ferreis ſtatuit, idque turribus, & proiecturis muniuit. ac duos foſſæ pontes, unum ad Sauonarolam, alterum ad S. Ioannem impoſuit: quod opus omnium generum, ſexuum, atque ætatum hominibus die, nocteque incumbentibus eximia celeritate eſt profligatum, uerum non omnino perfectum. Interim exercitum Icilinus pridie Kal. Sept. adduxit, ac duobus longe ab urbe paſſuum millibus ad Sermeolam caſtra fecit, ab ea parte, ubi uallum imperfectum erat, inuadere ſtatuens. Quod ubi legatus cognouit, copias ſuas inter mœnia, & uallum ſub tentoriis collocauit. eaſque locum defendere, prælio uerò abſtinere mandauit, porta S. Ioannis Comiti Sanbonifacio, Sauonarolæ uerò nobilibus Patauinis cõmiſſa, ne quẽ egredi ad pugnã permitterẽt, cuius auidisſimũ

eſſe quenque cernebat. Rebus in hunc modum diſpoſitis Icilinus ad vallum audacter ſuccedēs hoſtes ad prælium inuitauit,ac detrectantes uerbis etiam contumelioſiſsimis laceſsiuit, atque idem poſtridie quoque, ſed incaſſum, tentauit. Quare tum demum aſpere maledicere Vendramino cœpit, qui arcem tradidiſſet,per quam ſibi nullo negocio in urbem introitus patuiſſet. Inde Patauinorum quorundam,qui apud ſe erant, conſilia ſequutus ad eam partem urbis acceſsit, per quam in urbem Bachilio influit,ea ſpe ductus,ſe,quòd amnis aquis exhauſtus eſſet, per alueum in urbem facile irrepturum. uerùm ripas nouis legati præſidijs cuſtoditas nactus, conſilio Patauinorum irriſo uehementer excanduit,& Carturum, unde commeatus Basſiano uenientes intercipiebantur,immiſsis militibus expugnauit. Inde traiecto Bachilione ad opem arci Montisſilicis ab Azone obſeſſæ ferendam,prout ex edito loco ſignis quibuſdam aduocabatur, accurrere uoluit,verùm ne à tergo legatus inſtaret,veritus præter miſit. ac recuperatione Patauij deſperata ſilentio noctis Vicetiam ſe recepit. ac Vicetinis ſuburbia, Germanis vrbem cuſtodiendam attribuit, magnifica admodum apud eos oratione uſus,quòd legatum pontificium cum immenſo exercitu metu ſui perculſum coegiſſet intra ſepta ſe lignea continere, ac ſummo prælij diſcrimine abſtinere.Poſtridie verò Veronam reuerſus triginta octo Patauinos,qui ſuperſtites erant,morte affici in foro præcepit,quorum nemo erat,qui non ei aliquam aliquando operam fortem, fidelemque nauaſſet. Quibus ſubinde ſubſequente Ianuario Anſediſium ſororis filium Patauinæ cladis auctorem adiecit, quem ita laceratum,vt viſcera denudaret,in tormentis animam efflare coegit. quam pœnam ſine dubio ille meruerat, qui tot innocentes indigne per ſæuisſimos cruciatus extinxerat. Per eoſdem dies Azo obſidionem arcis Montisſilicis vrgens cuſtodes eius in tãtas rerum omnium difficultates adduxit, vt Gerardus cinctũ,cui præpoſitus erat,tradiderit. Quare Rhodigiũ ab Azone traductus magnis prœmiis eſt affectus: cuius exemplũ Prophetica cuſtos arcis ſequutus,Vicetinis,ut ſibi ſuſpectis,expulſis,& ipſe arcem Azonis poteſtati permiſit. ex quo ſummos item honores,ac ſingularia munera ab eo Ferrariæ tulit. Quo facto paullo poſt Calaon etiam,& Cerrum deditione recepta ſunt. Vterque inde ea perfidia fuit,vt alter poſt alterum ad Icili

num transfugerint, atque ei pacto pretio ſe occiſuros Azonem promiſerint. qua re patefacta Gerardus captus ad Antianos Patauii miſſus eſt, qui menſe Februario oculis erutis, naſo, auribuſque & labio ſuperiore præſectis ipſum Vicetiam miſerunt cum duobus Icilini exploratoribus à ſe pro merito mutilatis. Prophetica verò per Montemſilicis ad caudam equi pertractus abſciſſo capite in fruſtra diſcerptus eſt. Quibus rebus cognitis Albericus permotus cum Icilino fratre conſilium redeundi in gratiam cepit. ac pacem VIII. Idus Maij in Caſtrofranco agri Taruiſini oppido oſculo interpoſito ſanxit, tribus filiis obſidibus in fidem perpetuam datis. inde illius exemplum ſequutus multos falsò de proditione accuſandos curauit, eccleſiis grauia tributa impoſuit, clericis, religioſis, viduis, ac pupillis inſontibus facultates ademit, innoxios multos per exquiſita tormenta necauit. Quibus malis adducti multi uoluntarium ſibi conſciſcentes exilium aut Patauium, aut Venetias, aut Ferrariam abierunt. Icilinus autem Veronæ ei maxime rei ſtuduit, ut noui Cæſaris ſibi gratiam compararet, qua ſtatum ſuum titubantem firmaret. poſtquam autem diſſidentibus inter ſe principibus duos lectos audiuit, utrunque ſibi colendum exiſtimauit. Cęterum ineunte hoc anno quidam Germaniæ principes in Angliam ad Ricardum Comitem Cornubiæ adierunt, eumque ab omnibus uno conſenſu regem declaratum renunciarunt, ac litteras ea de re Conradi archiepiſcopi Colonienſis, aliorumque principum attulerunt. Is dignitate accepta tertio die Paſchæ ex Anglia ſoluit, atque in Germaniam profectus VI. Kal. Maij per Conradum inſigni regio decoratus Regnum adminiſtrare inſtituit. Inde exeunte anno Alphonſus exortus bellum Ricardo denunciauit, niſi regno ſibi cederet, ad quod ipſe pariter a principibus euocatus fuiſſet, quin etiam litteras ad Antianos, Conſilium, & populum Patauinum miſit, ipſos fideles ſuos appellans, quibus mandauit, ut legatos uiros honeſtiſsimos legerent, qui ſibi Lombardiam ingredienti occurrerent, ac debitum comitatis officium exhiberent, quas litteras ab Icilino fictas fuiſſe creditum eſt. Eo anno Mutinenſes Bononienſibus arbitrio Giberti de Friniano non obſequentibus ad ciuitates Lombardiæ ſe contulerunt. cum æqua poſtulare iudicati fuiſſent, Mediolanenſes, Brixiani, Mantuani, Ferratienſes,

Parmenſes,& Regiẽſes legatos ſuos cum prætoribus, & legatis Mutinenſium Bononiam miſerunt,ut in Generali Conſilio cauſſam eorum diligentius agerent. Quo facto cum nihil profeciſſent, Mutinenſes ad opem pontificis Alexandri ſe rettulerunt, atque has ad epiſcopum Mantuanum litteras impetrarunt: *Prætor, & Commune Mutinæ nobis ſignificarunt, Bononienſes arbitrio prætoris Parmæ ex formula compromiſſi ſuper lite Frinianenſi inſtituta nolle obtemperare. Itaque mandamus tibi, vt Commune Bononiæ ad hoc arbitrium ſeruandum per pœnam in compromiſſo expreſſam,omni dempta appellatione,impellas,modo ne in vniuerſitatem eorum execrationem,aut interdictum intendas, niſi præcipuum à nobis ſuper hac re mandatum accipias, Viterbij VII. Idus Auguſti. pontificatus noſtri anno tertio.* Eodem anno Bononienſes pontem nouum ſuper Rhenum amnem lateritium in uia Aemilia, Romanæ nimirum opus magnificentiæ, poſt multos tandem annos perfecerunt, qui in hodiernum vſque diem manens ſua & longitudine, & firmitate inſigne prætereuntibus præbet ſpectaculum. atque ei tuendo multa prædia attribuerunt. Quin etiã Curium in Romaniola occuparunt. & cum Imolenſes ab amicitia defeciſſent, ac Montemcatinum per inſidias occupaſſent, armis ad obſequium redire,& caſtrum reficere coegerunt. Mediolani Leo archiepiſcopus opibus Nobilium fultus rurſus inſtitit, ut vrbis ad ſe adminiſtrationem attraheret. Martinus autem Turrianus cauſſa populi repugnantis ſuſcepta ſe oppoſuit. ac certamine praui exempli in urbe commiſſo adeo uiribus præualuit, ut Nobilitatem omnem menſe Iunio excedere urbe compulerit. Egreſsi Nobiles cum Paulo,& archiepiſcopo, loco ad uires recuperandas quæſito, Nonis Auguſti Seprium occuparunt, atq; ibi ſe quaſi bellum urbi facturi omni genere præſidiorum ſepſerunt. Qua re populus incitatus hoſtes illos iudicauit,ac Martino duce cum carrocio ad Seprium oppugnãdum proceſsit. Cum autem prælium utrinq; acre inſtaret, legati amicarũ ciuitatum Fratribus Prædicatoribus,& Minoribus aliquot aſſumptis intercurrerunt, ac uerbis cum utriſq; de pace concilianda factis VI. Idus Sept. eos primum ad paciſcendas inducias, deinde ad cõtrouerſiam arbitrio Põtificis committẽdã auctoritate,ac gratia impulerunt. Leone inde pridie Idus Octobris uita functo, ſequenti anno Gregorius Mõtelongus legatus à pontifice miſſus aduenit,ac pridie Nonas Aprilis duos duarũ

partium præfectos, procereſque in monaſterium S. Ambroſij conuocauit; ac multis uerbis factis pacem inter factiones compoſuit, legibus multis ſcriptis, quas referre non eſt neceſſe. ea pax S. Ambroſij nominata. Comi etiam grauia Ruſconorum, & Vitanorum certamina interpoſita item pace ſedata. Hubertus autem Palauicinus, qui unà cum Boſone Douaria Cremonæ dominabatur, fœdus cum Icilino aduerſus Brixianos percusſit, qui adhuc firmi in partibus Eccleſiæ uerſabantur, ac re compoſita ſtatim impetum in fines Brixiæ unà cum Boſone, & exercitu Cremonenſium fecit, atque eis caſtra duo ademit. Qua re cognita Philippus legatus ilico Brixiam, ut ab hoſtili impresſione defenderet, properauit, atque eò exercitum ſociorum acciuit, ac conſilio cum ſuis capto aduerſus Hubertum iam urbi ipſi imminentem adduxit. Icilinus autem Verona cum delectibus ſuis egreſſus, ac Piſcariam profectus Ollium occulte traiecit, ac ſeſe cum Huberto coniunxit, eo conſilio, ut cum eo repente inuaderet legatum, haudquaquam ſatis ad tantam prœlij tempeſtatem perferendam inſtructum. Ea re præcepta legatus concilio aduocato primo ſibi pedem referendum, atque aduentantes Ferrarienſium, ac Bononienſium copias cum Azone expectandas putauit: deinde ſuorum contra ſentientium auctoritate permotus hoſtium in ſe uenientium impetum apud Gambarum excipere ſtatuit, ac ſeſe ad prælium comparauit. in prima acie Brixianos poſuerat. hi cum primam incurſionem, ac clamorem hoſtium ſuſtinere non poſſent, in fugam uerſi tantum reliquo exercitui tumultus, ac formidinis iniecerunt, ut præter paucos impauide reſiſtentes omnes terga conuerterint. Quare uniuerſo exercitu nullo negocio diſſipato infinitus hominum, & quidem nobilium numerus captiuus eſt factus: inter quos legatus ipſe, & Coſſadoca epiſcopus Veronenſis exul, & prætores Brixianus, ac Mantuanus. qui omnes Veronam in cuſtodias ad Icilini arbitrium miſſi ſunt. Hæc clades V. Kal. ſept. accepta. Qua Brixiani perculſi poſtridie antequam urbi oppugnationem admoueri, ac muros machinis percuti ſuos uiderent, oratoribus ad Icilinum, Hubertum, & Boſonem miſsis urbis deditionem ſaluis rebus ſuis fecerunt. Ita omnes æqua poteſtate urbem ingreſſi ſunt,

reſque ciuitatis pro arbitrio ſuo conſtituerunt. Poſt paucos inde dies Boſo ab Icilino, & Huberto diſceſſit, ac Cremonam ſe rettulit, cum inſidias ab ambobus ſibi conflari ſentiret, qui ſe per ſpeciem honoris Brixia ablegare, ac prætura Veronenſi illigare tentabant, ut ſoli Cremonæ, Brixiæque præeſſent. Quem non ita multo poſt Hubertus quoque ſequutus, Brixiam ſoli Icilino ſocium imperij detrectanti, ac ſe ipſum aperte deſpicienti reliquit. Icilinus autem ſolus Brixiana ciuitate potitus, ut tyrannidem more ſuo ſanciret, duas arces ilico condidit, eaſque obſcuris cuſtodijs multis inſtruxit. atque eò multos nobiles, ac populares initæ proditionis inſimulatos coniecit. quorum multos ædibus euerſis, ac bonis publicatis publice interfecit: quoſdam etiam in uaria loca relegauit, atque ita paucis diebus urbem florentiſſimam ciuibus, opibuſque exhauſit. Quibus rebus animaduerſis Patauini, Ferrarienſes, ac Mantuani extremum periculum partibus imminens intuentes, legatis ad Pontificem miſſis, miſeram Brixianorum conditionem, ac ſcelerata Icilini ad extinguendam Eccleſiam conſilia aperuerunt, orantes, ut alterum legatum in Marchiam deſtinaret, qui ſe aduerſus hoſtes ſæuientes protegeret. Ita Pontifex Henricum archiepiſcopum Ebredunenſem miſit, qui primo quoque tempore ad exercitum venit. Eodem anno ingens Romæ tumultus eſt concitatus. quia Madius ſenator mutato instituto populares varijs iniurijs afficiebat, & nobilitatis inſtinctu multis eos modis exhauriebat, ac ſolis nobilibus, & præcipue Hanniballenſibus placere ſtudebat. Qua re conciti populares ex auctoritate cuiuſdam Matthæi Anglici magno impetu proceſſerunt ad carcerem, in quo prior ſenator Brancaleo tenebatur, eoque perfracto ipſum extraxerunt, ac rurſus ſenatorem conſtituerunt, atque fidelitatem vetere ciuitatis inſtituto iurarunt. Confirmatus autem Brancaleo, popularibus adiuuantibus inimicos ſuos ex urbe deiecit, atque Hanniballenſes duos patibulis obtulit, neque in ea re ullam rationem habuit Pontificis, ſe ipſum cum fautoribus ſuis piorum communione pellentis, negans ſe uetere lege communione abigi poſſe, atque ipſi, & Cardinalibus extrema omnia intentauit. Quibus territus Pontifex urbe iterum exijt, ac Viterbium,

vt inde Aſiſium ſe referret, conceſſit. Inde Brancaleo, Manfredo Siciliæ rege omnia aduerſus Pontificem ſubſidia miniſtrante, Anagniam oppugnauit, arces, ac turres nobilium Romanorum, quæ erant quaſi ſpoliatorum cuſtodiæ conſtitutæ, circiter CXL. ad ſolum euertit. ac diſiectis prædonibus, & facinoroſis hominibus tam in urbe, quàm in vicinis agris extinctis, pacem ciuitati, ac quietem priſtinam reddidit. neque ita multo poſt cum magno omnium deſiderio uitæ finem impoſuit. Quod ut audijt Pontifex, Romanos ſtatim admonuit, ne quem iniuſſu ſuo ſenatorem deligerent, cuius auctoritatem illi adeò contempſerunt, ut patiuum Brancaleonis Catellanum, quem ſumme pontifex oderat, ſubſtituerint, ac caput Brancaleonis pretioſo uaſe reconditum ſuper marmoream columnam ſtatuerint, virtutis, ac beneuolentię ergò, quam ille erga populum Romanum præſtiterat. Quin etiam Bononiæ peſtifer ille ſeditionis morbus, quem ciuitas iampridem occulte cõtraxerat, palam erupit. nanque aliquot ante annis ex varijs cædibus mutuo perpetratis alienari, ac diſiungi multarum familiarum ſenſim animi cœperant. quæ procedente tempore cum inimicos ſuos opibus vlciſci ſeparatis non poſſent, uires inter ſe, ac patrandarum rerum conſilia contulerunt. atque in duas factiones ſecretæ, quarum vna Eccleſiæ, altera Imperij partes, more in Italiam accepto, ſuſceperat, hoc anno abditam, ac tandiu conceptam odiorum flammam euomuerunt. quippe contractis propinquorum, ac clientum ſuorum viribus arma inter ſe contulerunt. ac magna cæde vtrinque facta, & ciuili ſanguine vrbe imbuta tranquillum ſtatum reip. in omnes annos, qui conſequuti ſunt, perturbarunt. neque enim hoc loco libido ſtetit, ſed nullis coercita frenis in dies ad aſperiora, atque iniquiora proceſſit. Contendère autem Hieremęi cum Lambertacijs, Gallucij cum Carboneſijs, Lambertini cum Scannabeccis, Arteniſij cum Caſtrobrittis, alijque cum alijs. Quam ſeditionem poſtquam prætor concilianda pace in perpetuum ſedare non potuit, induciarum pactione, ac magnarum pecuniarum mulctatione in præſens lenire contendit. Alphonſus Cęſar cum in Italiam ad coronam accipiendã contenderet, atq; ea de re litteras ad Icilinum miſiſſet, audito, Saracenos Cordubam inuaſiſſe, conuerſo itinere ſeſe ad ſua defendenda recepit. ac miſſis nuncijs Pontificẽ

enixe orauit, ne quem alium, quàm ſe, ad Imperij dignitatem eueheret, quem magna pars principum concors ſummæ præeſſe reip. uoluiſſet. cui pontifex reſpondit, ita in more poſitum eſſe, ut nemo a Pontifice Auguſtalibus inſignibus ornaretur, niſi qui coronam regni Germanici, atque Italici peperiſſet, ſi ille eas ſibi paraſſet, ſe officio erga illum ſuo non defuturum. Quo reſponſo Alphonſus exterritus ex ſuorum auctoritate ſeſe in Hiſpania rebus ſuis tutandis continuit. Eo anno vniuerſam
1259 Italiam extrema annonæ penuria conflictauit. Poſtero Hubertus, & Boſo cum ſummum æque odium aduerſus Icilinum, à quo læſi, contemptique fuerant, concepiſſent, ac pari illius ulciſcendi cupiditate flagrarent, dimiſſis, quas inter ſe contraxerant, ſimultatibus in gratiam redierunt, & Brixilli cum Azone congreſſi tacitum cum eo fœdus icerunt ad Icilinum, cum tempus datum eſſet, communibus armis opprimendum. Azo inde Ferrariam reuerſos Ferrarienſes, Patauinos, & Mantuanos eadem ſocietate deuinxit. Inde Patauini in Paſchate excurſionem in agrum Veronenſem fecerunt, ac multis pagis incenſis, ac pluribus hominibus, pecoribuſque abactis poſt octo dies idem quoque in Vicetinum fecerunt. Tum menſe Maio pagum Canfriolæ, qui ad Icilinum defecerat, muniuerunt, ac præſidio confirmarunt. Quod Icilinus moleſtiſsime ferens (Baſſiani enim in finibus uerſabatur) eò repente contendit, ac pago in ditionem redacto milites Veronam vinctos traduxit, domos cum æde inflammauit, incolarum alios oculis, quoſdam manibus, nonnullos labijs, alios genitalibus ſpoliauit, mulieribus uerò præcipue mammas præſecuit. mox occaſione oblata cum Nobilitate Mediolanenſium fœdus percuſſit, ex quo uana ſpe occupandi Mediolani euectus cum imperio vitam amiſit. Res uerò memorabilis acta eſt hoc modo. IV. Kal. Aprilis Mediolani Populares in æde S. Teclæ coacti Martinum Turrianum iterum Antianum, nouo honoris exemplo legerunt. Qua re animaduerſa Nobiles nimias iam eius opes extimeſcentes Gulielmum Sureſinum ei oppoſuerunt, atque ipſo duce ſuſcepta cum plebe certamina inſtaurarunt, ac propterea multa cum ea in urbe prœlia commiſerunt. Quibus rebus Gregorius legatus præſens offenſus Gulielmum cum ſexcentis eius factionis hominibus relegauit. Hic verò adeò iracundia exarſit, ut inimicorum ulciſcendo-

rum

rum gratia conſilium patriæ libertatis prodendæ inierit. ſiquidem Veronam profectus Icilino capitali Eccleſiæ hoſti ſe Mediolani dominatum procuraturum oſtendit, ſi arma aduerſus Martinum, ac populum Mediolanenſem tuliſſet, atque in eam rem ſecretò filios fidei obſides dedit. Hac creſcendi occaſione auide Icilinus arrepta, repente delectum ex ſuis, & Germanis quam potuit maximum habuit, atque exeunte Auguſto Brixia mouit, & ad caſtrum Vrceorum, quod ſolum ex agro Brixiano in fide Eccleſiæ manſerat, adijt, ac direptis circumquaque agris extremum, ni ſibi deditionem feciſſet, exitium intentauit. Qua re cognita Hubertus, & Boſo, qui illius caſtri cuſtodiam agitabant, optatam belli cauſſam ſe nactos exiſtimantes, Soncinum cum Cremonenſibus contenderunt; Azo uerò cum Ferrarienſibus, Mantuanis, & Patauinis Marcariam uenit, atque eodem tempore Martinus Turrianus cum populo Mediolanenſi Soncinum uerſus iter intendit, uno omnes conſilio, ut iunctis copijs Icilinum ab Vrceorum obſidione depellerent. Icilinus autem, ut Martinum urbe egreſſum audiuit, in eam unam occaſionem intentus ſilentio noctis ab Vrceis mouit, & populo Brixiano remiſſo, Ollium, atque Abduam tranſijt, atque ibi amicos nactus Mediolanum uerſus ire perrexit, ſpe incitatus, facile ſe urbe defenſoribus uacua, prout cum Gulielmo compoſuerat, potiturum. Hoc uerò ut parari Martinus certo nuncio didicit, propere antequam ad Abduam perueniret, ſigna conuertit, atque ante illum Mediolanum iniuit. Icilinus uerò poſtquam ſua denudata conſilia uidit, rabie efferatus agrum Mediolanenſem igne, ferroque inuaſit, ac relicta vrbe Modoetiam, deinde Tricium, tum Vicomercatum acceſsit, quibus locis vbi potiri non potuit, ſuburbia inflammauit. demum Caſſianum progreſſus pontem recepit paullo ante à Mediolanenſibus in Abduam tranſeundi gratia factum. Quo cognito Hubertus, Boſo, & Azo ſpe haud dubia victoriæ ducti propere cum ſuis exercitibus aduolarunt, atque è regione Caſsiani non longe à ponte conſederunt, ac mox pontem ipſum ſuperato Icilini præſidio occuparunt, atque ab vtraque parte munitionibus, machinis, turribuſque firmarunt. Quibus cognitis Martinus vrbe iterum cum populo exijt, atque vt Icilinum à tergo concideret, Modoetiæ conſtitit. Icilinus cernens, ſe in maximas, quas non putarat, an-

guſtias eſſe compulſum, cum à fronte, atque à tergo ab hoſtibus urgeretur, & ſumma commeatuum inopia preſſus inter oppida, ac flumina hoſtilia clauderetur, ſummi prœlij copiam ſæpe fecit, quod ubi detrectari de induſtria uidit, ne ibi famé conficeretur, pontem perrumpere tranſeundi gratia ſtatuit, atque eò progreſſus eius defenſores inuaſit, eoſque ui facta iam propellere incipiebat, cum ſagittam ex propugnaculo pontis per baliſtam emiſſam in articulum pedis accepit. quod uulnus licet dolorem ingentem inureret, ipſe tamen euulſo ſpiculo aſtute dissimulauit, ubi uero ſe per pontem euadere non poſſe, ſenſit, Casſiano, loco ſibi, ut à uate quondam acceperat, fatali relicto, Vicomercatum repetijt, atque ibi amnem, ut pridie, uado tranauit. ceterum Bergomum uerſus properantem coniurati tandem adepti circumuenerunt, ac prœlio decertare coactum III. Kal. Octobris uiuum in poteſtatem redegerunt. Hunc uerò ubi captum priuatus homo conſpexit, adeo iram ex accepta iniuria contractam non tenuit, ut ipſum in caput grauisſime uulnerarit. Inermi inde in tabernaculum Boſonis adducto uulgo milites ad eum uiſendum, perinde atque ad egregium aliquod in terris ſpectaculum conuolarunt. non defuere quoque, qui oculos fortuna illius miſerabili ſaturare, ac probra, & contumelias ingerendo libidini ſuæ indulgere uoluerunt: quin etiam multis ſtimulantibus odijs ipſum ſuis manibus paricidam Italiæ diſcerpſiſſent, niſi marchionum eos auctoritas ab eiuſmodi temeritate retinuiſſet. uoces tamen multorum mortem crudeli tyranno identidem intentantium ſunt auditæ. ille interim Deum ſuorum ſcelerum uindicem adeſſe, confeſſus demiſſo uultu, triſtis, elinguis, ſine cibo, & ſine curatione totum diem tranſegit. Inde ſuperueniente nocte à principibus, ne occideretur, Soncinum ſub cuſtodia miſſus eſt. Ibi curatus, & à Boſone pro officio bonum habere animum iuſſus undecim dies manſit. quibus tranſactis demum dolore magis animi, quàm uulnerum grauitate confectus, ſine pœnitentia homo omnium ſceleratisſimus, ac Deo, hominibuſque inuiſus annos LXV. natus deceſsit, atque ibi ſepulturam accepit. Quæ res ubi percrebruit, uniuerſa Marchia ingentia gratulationis, ac lætitiæ ſigna edidit, teſtan-

tibus omnibus, nullum unquam hominem humano generi perniciosiorem, ac peſtilentiorem editum eſſe, adeò ut uulgo non homine ſatus, ſed dæmone putaretur. Hoc facto Brixiani in partibus Gibellinorum perſeuerantes ſummam inde quietem egerunt. Veronenſes præſidio Icilini depulſo libertatem recuperarunt, ſtatuque ciuitatis firmato Maſtinum Scaligerum ciuem ſuum prætorem ſibi aſciuerunt. Vicetini ſeſe Patauinorum fidei commiſere, atque ab eis prætorem accepêre. Taruiſini Alberico Icilini fratre cedente Matthæum Bodoarium patricium Venetum prætorem delegêre, atque ex eius, & Alberti epiſcopi auctoritate ciuitatem diuturna tyrannide afflictam reſtituêre. Albericus autem Icilino deleto parum ſe tuto eſſe Taruiſij ratus in caſtrum S. Zenonius nuper in finibus Taruiſinis ad eiuſmodi tempora conditum ſe recepit, atque eò theſaurum, ac familiam tranſtulit, arcem uerò in colle ſitam foſsis, muris, turribus, atque omni genere machinarum aduerſus quoſcunque hoſtium impetus communiuit, eamque omni genere cibariorum in multos annos inſtruxit, Germanos, atque Italos ſibi maxime probatos centum ſecum habens, atque alios uiginti conſiliorum participes. Ante uerò, quàm Taruiſio cederet, facinus omnium atrociſsimum, atque immanitate plane barbarum perpetrauit, quod Salimbenus illius ætatis æqualis memoriæ conſecrauit. Quippe ſæuiſsimo odio aduerſus Taruiſinos accenſus uiginti quinque ex urbis primoribus, quamuis nulla ab eis iniuria prouocatus arripuit, & ſuſpendio fœdiſsimo deſtinauit, ac mox XXX. nobiles mulieres illorum aut matres, aut filias, aut ſorores, aut uxores in forum produxit, atque in eorum conſpectu uix ſe filij ſui nothi rogatu ab earum amputandis naribus temperauit, pallas tamen uſque ad ubera ita præſecuit, ut etiam quæ uelanda erant, turpiſsime denudarit. ac ſubinde ſuſpenſis uiris eas ſub patibulo tranſire, atque oribus ſuis tibias expirantium tangere compulit. demum auxilij, ac conſilij inopes trans amnem Silim traduxit, atque ibi uaſta in ſolitudine dereliquit. Illæ autem omni humano ſubſidio deſtitutæ, ac uix mentis compotes factæ poſtquam ſatis ſe, ac fortunam ſuam muliebriter eluxerunt, pudendis parte ueſtium circa mam-

mas contenta utcunque connectis iter ad æſtuarium diſtans X V. millibus paſſuum intenderunt. Quò ubi ſummis laboribus per aſpera, & inculta loca iam die ad occaſum inclinante nudis afflictæ pedibus peruenerunt, piſcatorem, quem fortè prætereuntem proſpexerant, ad ſe lacrymarum plenæ uocarunt, atque ab illo auxilium ingeminatis fletibus popoſcerunt. Ille autem ſpecies eſſe dæmonum, aut marina monſtra aliquot arbitratus primum expauit, deinde propius animo collecto acceſsit: ac dira illarum calamitate perſpecta miſericordia tactus eis ſe, quoad poſſet, affuturum oſtendit, ac ſingulas exigua, quam habebat, cymba in breuem inſulam, ubi ſibi uile tugurium comparauerat, tranſtulit, atque ibi pro copia nocte comiter habuit. poſtridie uerò prima luce maiore lembo impoſitas Venetias omnes deuexit, atque eis in Diui Marci baſilica conſtitutis, ſtatim Octauianum Cardinalem pontificium Lombardiæ legatum, qui tum Venetijs erat, de nouo hoc, atque inter pauca fortunæ exempla memorando caſu edocuit. Quo ille audito perculſus extemplo ad eas uenit, ac cibo ſuppeditari iuſſo confeſtim populum uniuerſum ad concionem uocauit, ut rem turpem quidem auditu, ſed multo deformiorem aſpectu cognoſceret. Ita completo repente foro ex editiore loco ſeriem huius hiſtoriæ oratione, quàm potuit, acerbisſima demonſtrauit, ac ſub hæc uerba mulieres ita ut uenerant, nudatas, ac dehoneſtatas produxit. Quibus rebus uniuerſi pro ipſarum indignitate, ac fœditate permoti ingenti ſublato clamore dicere cœperunt: Moriatur deteſtandus tyrannus, ac uiuus cum vxore, & liberis concremetur, & tota eius progenies extirpetur. Quibus ille uocibus excitatus ſubiecit: Præclare admodum dicitis. ueſtra enim oratio præcipue cum diuina ſcriptura conſentit, quæ inquit: *Non ſit bonum impio, nec prolongentur dies eius, ſed ſicut umbra tranſeant, quia non timet faciem Dei.* Ego uerò quoniam tantum conſenſum, atque ardorem animorum ueſtrorum non niſi Dei uoluntate excitatum exiſtimo, auctoritate omnipotentis Dei & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & legationis apoſtolicæ, qua fungor, crucem aduerſus Albericum indicò, ac plenam omnibus peccatorum remiſ-

ſionem

ſionem indulgeo, qui uel ipſi contenderint, uel alios pro ſe miſerint, uel quodcunque adiumentum ad hanc peſtem è terris exterminandam attulerint. Inde matronis ſenatui commendatis vrbe diſceſsit. Ea res mire vniuerſam Marchiam ad vltimas pœnas de Alberico etiam expetendas accendit. Nobilitas inde Mediolani Iordanum Lucinum præfectum aſciuit. Martinus complures Nobiles in vrbe coniurare aduerſus ſe audiens Huberto Palauicino in quinquennium militare imperium certo attributo ſtipendio detulit, qui urbem magno populi fauore ingreſſus eſt. Cum autem Gibertus Corrigius Huberto obſtitiſſet, ne pariter à Parmenſibus acciretur, ipſum Hubertus poſt ſex annos prætura, vrbe, atque urbis imperio deturbauit, uir illa ætate multis nominibus clarus, niſi ingentia animi decora ingentia uitia polluiſſent. Nam Eccleſiæ adeo fuit inimicus, ut non ſolum hæreticos foue rit, ſed ipſe etiam de Deo peſsime & ſenſerit, & loquutus ſit, & ſacra, ac ſacrorum miniſtros afflixerit, atque ab Eccleſia damna tus reconciliationem gratiæ non quæſierit. Eo anno Romę Nobiles, quorum Brancaleo turres, arceſque diſiecerat, in unum conuenerunt, ac tumultu concito duos ſenatores ſibi crearunt, ac ſtatim impetum in patruum Brancaleonis ſenatorem ei ſuffectum fecerunt, atque ipſum in quadam arce Romę circundederunt eo animo, ut, ſi in poteſtatem adducerent, continuo trucidarent. ille autem confiſus ſacramento, quo ſe populus obligarat, & obſidibus, quos Brancaleo Bononiam miſerat, acriter ſe defendit, neque à nepotis nobilitate, uirtuteque defecit, qua ex re magnum vrbs Romana detrimentum accepit. Hoc anno grauisſime in tota Lombardia peſtilentia laboratum. Sequenti, qui fuit MCCLX, Pontifex diuturnis Ro- 1260
manorum precibus uictus, poſtquam repetitis monitis Bononienſes ad reddendos Romanis obſides adducere ſuos non potuit, uim ſibi adhibendam putauit, atque eis ſacra, & gymnaſium interdixit. Quod malum ſuperior ſeditio inter eaſdem accenſa familias cumulauit, ueteribus priuatis odijs, quæ extingui infeſto iampridem legum terrore debuerant, multo magis recenti ſuſcepto publicarum factionum ſtudio inflammatis. In die Paſchatis ad crucem Sanctorum hæc inita concertatio eſt. Cum una pars alteram urbe deturbare ſtuderet, ac gla-

dijs cominus, eminus uerò lapidibus, tel ſque rem gereret, uiribus tamen neutra præualuit. prætor enim intercurrens tumultum in præſens ſedauit, ac Gallucios, ceteroſque turbarum auctores XVI. millibus librarum mulctauit. inde inter nonnullas familias affinitas, inter alias amicitia inita. ob eam cauſſam cum Foroliuienſes ad arma veniſſent, Bononienſes, ne ea res ciuitatem ad noua imperia traheret, ueriti ſtatim ad eos exercitum adduxerunt, ac Gibellinos quieſcere nolentes prœlio ſubegerunt, nouiſque conditionibus ſibi obnoxios reddiderunt. Ex eis captiuorum ingens numerus Bononiam eſt reductus, atque in cuſtodias conditus. Eundem annum Deus familiæ à Romano extinctione inſignitum eſſe ſua miſericordia uoluit. quippe Alberico ſæpe cum ſuis è caſtro S. Zenonis excurrente, atque ipſum Baſſianenſium, & Taruiſinorum agrum infeſtum aſſiduis prædis pecudum, hominumque agendis habente, menſe Martio populi Marchiæ Azone marchione adhibito conuocati conſilium inierunt, qua potiſſimum ratione Albericum cum tota ſobole poſſent extinguere, ac tandem Marchiam non ſolum tyrannide, ſed etiam metu tyrannidis in perpetuum liberare. multis dictis ſententijs demum communibus populorum opibus bellum illi internecinum inferendum conſtituêre. Quare armis, machinis, commeatibus, ceteriſque rebus ad diuturnam obſidionem, atque oppugnationem neceſſarijs expeditis, Patauini, Vicetini, Taruiſini, ceterique finitimi populi cruce inſtructi Kal. Maij ad caſtrum S. Zenonis cum carrocijs acceſſerunt, ac caſtris poſitis ipſum ita cinxerunt, ut nemo aut inde erumpere, aut eò irrumpere ſe inuitis, atque inſcientibus poſſet, eo animo, ut non prius inde abſcederent, quàm caſtrum cum Alberico in poteſtatem adduxiſſent. Ita muris ſæpe trabuchis, manganis, gattis, lithoboliſque percutiendis, facibus, teliſque in hoſtes iaciendis, prœlijs cruentis edendis, res uſque in menſem Auguſtum extracta eſt, quo tempore Azo integrum adduxit Ferrarienſium ſupplementum. Quod ut Meſa Germanus murorum cuſtos animaduertit, milites præſidiarios aduocatos in hanc ſententiam appellauit: Neminem ueſtrum eſſe arbitror, commilitones, quin quanto in periculo ſimus, & quàm impari conditione pugnemus, intelligat. Nobis di-

midia pars noſtrorum ſociorum interijt, & quotidie aliquis interit, quique ſuperſtites ſunt, aſsidua prœliorum contentione debilitati ſunt, hoſtibus contrà uires, ac copiæ nouis in dies au xilijs, ac ſupplementis augentur; nos uictu, rebuſque neceſſarijs indigemus, illis omnia, quæ cupiunt, abunde undique ſuppetunt. Quin igitur, dum licet, atque integra res eſt, nobis conſulimus, & poſtquam oppidum tueri non poſſumus, ſaltem nos, & fortunas noſtras ſeruamus. Quam orationem cum uniuerſi maximo aſſenſu probaſſent, XII. Kal. Sept. murorum cinctum hoſtibus tradiderunt, cum eo, ut ipſi incolumes cum equis, armis, ac ſtipendijs ſuis abirent. Albericus autem ut hoſtes intra mœnia uidit, ſe proditum, ac perditum eſſe uociferans ex Palatio in turrim editiorem cum coniuge, & liberis ſuis refugit; atque ibi per triduum triſtitia, ac mœrore confectus manſit. poſtquam autem hoſtes arce occupata ſuffodiendæ turri cuniculos agere ſenſit, tum coniugem, ac liberos lacrymantes, ſic lacrymans appellauit: Quo rerum in articulo fortunæ noſtræ ſitæ ſint, cernitis. quippe eò redacti ſumus, ut propediem in manus noſtrorum hoſtium ueniamus: quos pro certo habendũ eſt, in nos duriſsime conſulturos, à quibus ſe multis modis uiolatos fuiſſe exiſtimant. ego uerò omne ſuppliciũ æquo animo patiar, ſi eos uobis innocentibus peperciſſe cognouero. Quòd ſi uobis uitam conceſſerint, mementote poſt necis meę uindices profiteri. neq; enim amicorũ, atq; affinium in Italia prompta uobis deerunt præſidia. & quotidie cogitate quemadmodum auitam uirtutis, ac fortitudinis gloriam conſeruetis. atq; his dictis lecto incubuit, ac flens fortunam deteſtari ſuam incœpit. inde collecto animo familiares ſuos acciuit, atq; ut ipſi ſibi in extremo diſcrimine ſuo conſulerent, auctoꝛ fuit, monens, ut ſe ipſum, ac familiam ſuam hoſtibus dederent, ac ſe, uxorem, & liberos Azoni pręcipue commendarent, ut memor affinitatis ſuam, & filiorum ſuorum clientelam ſuſciperet, & ſe captiuum tenere ſatis haberet. Quibus acceptis Ludouicus Bononienſis, qui erat familiarium princeps, Badoario prætore Taruiſij accerſito, ſe illi tradere Albericum, & familiam eius ſeruata incolumitate uelle oſtendit. quod cum ille ſe accipere non poſſe dixiſſet, ne ipſe ſe, & ſodales ſuos conſeruandi tempus amitteret, Albericum cum familia prætoribus, ac populis Marchiæ

accipientibus

accipientibus tradidit, atque ipſe cum ſocijs, prout pactus fuerat, exijt. Ceterùm ut populi ſe Alberici, & liberorum eius compotes factos ſenſerunt, uix magnitudinem lætitiæ, ac uoluptatis capere animo potuerunt. ac con ilio conuocato, & relatione de illis facta omnes uno conſenſu extremo in eos vindicandum eſſe ſupplicio, neque ulli parcendum eſſe cruciatui cenſuerunt. Ita primum filios eius ſex mares productos tibijs, brachijſque ipſorum in conſpectu parentum crudeliſsime amputatis mulctarunt, ac poſtquam membra ſingula à corpore puerorum auulſerant, ea ori, oculiſque eorum adhuc palpitantia admouerunt. Vxor autem, & filiæ duæ nubiles, quæ non ſolum innocentia, ſed etiam ætate, ac forma, qua facile omnium in ſe oculos conuertebant, miſericordiam elicere iure debebant, ad ſtipites alligatæ uiuentes, ac fruſtra fidem Dei, hominumq; flebiliter implorantes ſubiecto igne crematæ ſunt. Albericus ultimus, cui tam dirum ſpectaculum morte ipſa acerbius, atque atrocius fuerat, poſtquam peccata ſua rite confeſſus eſt, ipſo, ne loqui poſſet, ore occluſo, pedibus ad equi caudam alligatis per tota caſtra ſic tractus eſt, ut unuſquiſq; forcipibus bolum ex carnibus eius excerpſerit. Quare probris, ac tormentis ad ſatietatē inimicorum affectus, cum iam hominis ſpeciē, atq; habitum exuiſſet, expirauit. ut autem cadauera filiorū per caſtra populi cuiuſque diuiſa, ſic patris reliquiæ lupis, ceteriſque feris deuorandæ obiectæ ſunt, ac dirum in primis humanæ conditionis exemplum omnibus diuinam iuſtitiam intuentibus prębuerunt. Hæc X. Kal. Sept. geſta ſunt. Poſtridie tumultu populari concito caſtrum S. Zenonis euerſum, atq; inde Romanum quoq; ſolo æquatum. Filio, qui matronas à truncatione narium uindicarat, non ſolum uenia, ſed etiam pręmia data. Hic fuit exitus potentiſsimæ à Romano familiæ, quæ, niſi ei ſumma diligentia fuiſſet occurſum facilè imperium conſequuta Lombardię fuiſſet. Gibellinorum res in Marchia inclinatas contrà Senenſes in Etruria erexerunt, prœlio cum Florentinis ad Montem apertum commiſſo, in quo Florentinos, ceteroſque eorum ſocios Guelfos, inter quos & Bononienſes fuiſſe, Ioannes Villanus memoriæ prodidit, occidione occiderunt. Eodem anno mirabile quoddam, ac plane nouum religionis ſtudium animos Italorum inceſſit, ut ſe uerberibus in expiationem

peccatorum urbes paſſim, agroſque obeuntes afficerent. Initium autem huius rei à Perufinis inductum. Quippe Eremita quidam, uir ſpectatæ Sanctitatis ſpiritu diuino inſtinctus ad populum dicitur proceſsiſſe, eumque Dei nomine monuiſſe, niſi ad pœnitentiam ſe conferrent, ac ſupplices pacem eius, & miſericordiam poſtularent, fore, vt breui vniuerſi miſera, fœdaque lue conciderent. Quæ uox adeò in pectoribus eorum inſedit, ut nulla interpoſita mora pręcepta Eremitę, tanquam à Deo miſſa exhauſerint. Etenim iam ſeneſcente Autumno uiri, fœminæque omnis ætatis, ordiniſque repente corpora, perinde ac re compoſita, uſque ad umbilicum nudarunt, ac ſe ſumptis ad id loris cædere per urbem inſtructo agmine incedentes cœperunt, Sanctam Virginem, ut ſibi à filio ſalutem impetraret, ſummis clamoribus obteſtantes, atque iterum ueteribus odijs poſitis paces inter ſe mutuis oſculis adhibitis ſancientes. Inde urbe vexilla longo agmine præferentes egreſsi ad vicina oppida prodierunt, eaque cum ingenti illorum admiratione ingreſsi in uijs, ac templis eandem pietatem exercuerunt. Qua re populi illi permoti, & ipſi pariter eiuſdem Sanctitatis ſtudium aſciuerunt, ac ſe uerberantes, ac pacem, & miſericordiam ingeminatis uocibus implorantes cateruatim ad urbes proximas acceſſerunt. Atque ita ex Tuſcia in Marchiam, ex Marchia in Romaniam paſsim incendij more ea religio tranſijt. quippe ſinguli populi epiſcopis, ac magiſtratibus ſuis præcedentibus urbes, agroſque ea æmulatione iniecta luſtrarunt, ut nullius ſexus, ætatis, ac conditionis homines eſſent, quin huius uerberationis participes eſſe uellent. Ita fiebat, ut paſsim incondita carmina in Dei, & Sacræ Virginis laudes compoſita canerentur, peccatorum confeſsiones uix ſuppetentibus ad audiendum ſacerdotibus celebrarentur, atque omnino recta, quæ iampridem exoleuerat, Chriſti diſciplina reuocaretur. Hęc uerò religio ex urbe in urbem traducta cum populos paſsim, tanquam ſerpente quodam igne, comprehendiſſet, demum ab Imolenſibus excepta, & quaſi per manus Bononię tradita ciuitatem ipſam mirabiliter inflãmauit. Itaque & ipſi nudati ſeſe mulctarũt, ipſi diuinam opem ſuppliciter popoſcerunt, ipſi cum inimicis in gratiam redire, & reliqua pietatis officia, quę ceteri, ſuſcipere cõtenderunt, ac demum manu

facta hominum amplius uiginti millium ante diem feſtum omnium Sanctorum ſub uexillis Mutinam proceſſerunt, ibique pie baſilica S. Geminiani Epiſcopi uiſitata ſolemnem ſui uerberationem poſitis ueſtibus inierunt. Qua pietate Mutinenſes accenſi eandem diſciplinam continuò ſuſcepêre, ſuſceptamque Regium, ac Regienſes Parmam detulerunt. Cum autem Parmenſes Cremonam adire pararent, Ab Huberto Palauicino malum, ſi accederent, intentante deterriti Brixiam, Derthonem, & Papiam ſe contulerunt. Inde à Nouarienſibus, & Mediolanenſibus opera Turrianorum excluſos Taurinates, Charienſes, Haſtenſes, & reliquæ Pedemontanæ ciuitates comiter acceperunt, atque ad eorum exemplum ſeſe ſubito conformarunt. Derthoni uerò Sinibaldus Opizonus prætura peracta Genuam cum magno Derthonenſium comitatu reuerſus ueſtes in æde S. Franciſci depoſuit, ac ſeſe cum comitibus ſuis cædere cœpit, ac frequenter humi procumbens miſericordiam, ac pacem Dei iteratis uocibus implorauit. Quod factum primo Genuenſes irriſerunt, deinde ſummo ſtudio ſuſceperunt, nec ſolum inueteratis ſimulatibus renunciarunt, ſed etiam priſtina uita, ut pote multis ſceleribus inquinata, ſe abdicarunt. Ceterùm hi homines uulgo Deuoti, & hic annus Generalis Deuotionis annus eſt appellatus. Manſit inde in multis ciuitatibus clara huius religionis memoria ſacris Verberantium So-
1261 dalitijs eius rei monumento aliquot inſtitutis. Poſtero anno Bononienſis ſacrorum, & ſtudiorum detrimentum ferre nolentes legatis miſsis ad pontificem, ſe obſides dimiſſuros oſtenderunt, atque ita remiſsionem rerum interdictarum obtinuerunt. Hac re accepta Octauianus Cardinalis ex Francia, quò legatus à pontifice miſſus fuerat, ſe recipiens Bononiam uenit, ac pontificia auctoritate poſt annum ſacra, ſtudiaque ciuitati reſtituit. Alexandro inde pontifice VIII. Kal. Iunij uita functo, poſt tres amplius menſes, nempè IV. Kal. Sep. Vrbanus IV. Trecenſis eſt ſubſtitutus, ac prid. Non. conſecratus. Ab eo ordo militum S. Mariæ, quem ſupra inſtitutum commemorauimus, approbatus eſt. Leges uerò attulit Frater Rufinus Gurgo Placentinus pontificis pœnitentiarius, quas ſcripſerant huic ordini ſe dicantes uiri aliquot diuitijs, ac nobilitate præſtantes Catellanus Malauolta, Lodorengus Andalus, Gruamons Caccianimicus,

& Hugolinus Lambertinus Bononienſes, Selanea Liazarius Regienſis, & Rainerius Adelardus Mutinenſis. Erant autem, ut tunicam albam, & ſubcineriam togam induti crucem purpuream in campo albo duabus ſupra poſitis ſtellis præferrent, ac uiduarum, & pupillorum tutelam ſuſciperent, ac paci, & concordiæ inter homines conciliandæ ſtuderent. Quoniam autem ſuis quiſque in ædibus cum uxoribus, & filijs uitam egerunt, propterea uulgo Fratres Gaudentes uocati ſunt, ut Ioannes Villanus, & Frater Salimbenus in ſuis Chronicis prodiderunt. Huius autem ordinis magiſter ipſe Loderengus eſt inſtitutus. Interim Manfredo rege opibus in Italia ſuperante, atque ut Eccleſiam, ſic Eccleſiæ ſocios armis uarie perſequente, res ubique partis Eccleſiaſticæ in dies deteriores, infirmioreſque fiebant. præcipue autem in Tuſcia malè [illegible]um ea actum eſt, quòd Guelfi prœlio ſuperiore ad Montemapertum afflicti Florentia ultrò ceſſerunt, ac ſe Lucam, quæ partes tuebatur Eccleſiæ, contulerunt. Eo anno Nobiles Mediolanenſium exules fœdus cum Bergomatibus inierunt, cumque Bergomum commigraſſent, unà cum eis Abduam traiecerunt, atque oppidum aduerſariorum Licurtum aggreſsi magna ex parte uaſtarunt. Quo facto populus incenſus exercitum aduerſus Bergomates eduxit, ac tantum eis terroris incuſsit, ut ſtatim belli auertendi cauſſa damna ſeomnia Licurtibus reſarcituros promiſerint, atq; ex urbe excedere Nobiles, quos receperant, imperarint. Cum autem Nobiles Tabiagum ſe recepiſſent, ibique ſe communiuiſſent, Martinus egreſſus XIIII. Kal. Auguſti caſtrum expugnauit, atque ipſos magna ex parte captiuos Mediolanum abduxit. Hubertus Palauicinus iampridem recuperandæ Brixiæ imminens maximam Brixianis Guelfis Gambaram obtinentibus attulit cladem. inde cum de Guelfis reducendis agitaretur, primo, ne id fieret diſſuaſit, tum exercitu urbi admoto cũ Iacobo Cõfanonerio Guelforum exulum principe colloquutus euicit, ut ipſe ab utraque parte præfectus populi legeretur. quo facto extẽplo urbis dominatũ inuaſit, Ludouicus autem Sanbonifacius, ut ſe Veronam cum Guelfis exulibus reſtitueret, Azonis, & exulum auxilio fultus urbem uerſus proceſsit, atque ad quinque millia paſſuum ſubſtituit, expectans dum à parte reciperetur. Quod ubi pro ſpe non

contigit,

contigit, retro ſigna conuertit, ac bellum caſtris Veronenſibus intulit, Coloniamque, Sabbionem, Liniacum, & Portum cepit, atque ibi per aliquot menſes conſedit. Itaque ad finiendum bellum, & modum ciuilibus calamitatibus imponendum, in urbem receptus eſt. uerum Septembri menſe tumultu populari temere aduerſus Guelfos accenſo, ſibi diffiſus urbe rurſus exceſsit. poſtridie Conſilium conuocatum perpetuum illi eſſe
1262 exilium ſciuit. Poſtero uerò anno Gibellini credentes, ſe rempublicā diu tenere non poſſe, niſi ex factione ſua præfectum populi creauiſſent, communi conſenſu Maſtino Scaligero præfecturam in perpetuum detulerunt, qui diſcordijs in præſens conſopitis initium illi imperio dedit, quod deinde Veronæ Scaligeri tenuerunt. Eadem ratione Martinus Turrianus Mediolani præfectus, ſiue Antianus Nobiles, qui finibus agri Mediolanenſis incluſi erant, in diuerſas Lombardiæ ciuitates dimiſit. Hubertus autem auxilio Cremonenſium Placentiæ dominatum recuperauit, atque ibi Vicecomitem fratris filium prætorem impoſuit. Ciuitate Bononiæ ſiccitate maxima laborante Deuotorum ſocietas cum cereis accenſis Mutinam ſub uexillo religionis cauſſa proceſsit. Eos uerò Antiani, & populus ut aduentare ſenſerunt, cum ipſo urbis epiſcopo obuiam uſque ad caſtrum Leonis progreſsi comiter exceperunt, atque inſigni pompa in urbem introduxerunt, cum in baſilicam ingreſsi poſitis genibus adorabundi manerent, ab epiſcopo de more illius Eccleſiæ brachio S. Geminiani ſignati ſunt. ad eius conſpectum mulier, quæ in concione immundo ſpiritu uexabatur, præſentibus, atque acclamantibus omnibus liberata eſt. Ea ſupplicatione à Deo audita optata pluuia eſt impetrata. Sequenti anno
1263 Guelſi Florentini, quos Lucam commigraſſe commemorauimus, à Gibellinis præualentibus inde exire coacti Bononiam ſe cum uxoribus, & liberis receperunt: atque omnium rerum anguſtiis, ut in exilio, conflictati ibi uitam miſere admodum inierunt. In Romaniola quoque Guelfi pariter aut urbibus à Gibellinis exacti, aut certe miſerandum in modum afflicti. Præcipue Petrus Paganus Lambertaciorum amicus, vir Imolæ potens, Brittos Mindolorum opibus expulit, ac multis turribus, atque ædificijs eorum euerſis obſequio Bononienſium ciuitatem illam exemit. Quos ſequuti Fauentini ſimiliter Acarifijs electis defece-

runt. Qua re nunciata Bononienſes, vt cum ſua factione ſimul partum in eas vrbes imperium conſeruarent, exercitum conſcripſerunt, eoque Imolam adducto per octo dies urbem obſeſſam imperata facere coegerunt, noua illis conditione impoſita, ut eidem prætori, cui Bononienſes, parerent, atque ei ſalarij nomine quingentas libras annuas darent. Quin etiam immisſis agreſtibus terra foſſæ urbis expletæ. Inde Fauentiam idem terror armorum traductus. Ciuibus ad deditionem ipſa tantum belli oſtentatione compulſis pariter ipſę foſſæ complanatæ, ac clauſtris uicorum amotis arx, quam Fridericus Impe. conſtruxerat, diruta.

CAROLI SIGONII
DE REGNO ITALIAE
Liber Viceſimus.

DEINCEPS res Italiæ fluctuantes, ac factiones modo proſperis certaminum euentis euectas, modo aduerſis caſibus depreſſas, aut propter ſeditiones uicinorũ reſpicere arma coactas complectemur, donec ad ea demum tempora ueniemus, quibus Rex deſperato uetere ciuitatum obſequio, quas coercere armis, opibuſque retinere in auctoritate non potuit, eas beneficio ſuo, aut propria libertate frui, aut alterius obtemperare imperio ſi uiţ. cuius narrationis ab aduentu Gallorum in Italiam repetetur exordium. Vrbanus pontifex ut, acriter urgente Manfredo, labi uel potius præcipites ferri res Eccleſiæ vidit, opportunum, ac neceſſarium ſuſtinendis illis ſubſidium quærens ſolemne patrum Romæ concilium aduocauit, atque ibi relatione de ſumma Repub. facta, ex communi omnium ſententia crucem aduerſus Manfredum indicere, omneſque Chriſtianos, perinde ac contra Icilinum, promiſsis eccleſiaſticis ingentibus excitare conſtituit. quin etiam decreto facto ſanciuit, ut Carolus Comes Andegauenſis, Ludouici regis Francorum frater, uir illa tempeſtate opibus, uirtute, ac rei militaris prudentia inclyrus, ad auxilium partium acciretur, ac legato ad eum miſſo, ſe illum regem Siciliæ, atque Apuliæ inſtituturum, atque illi auxilio futurum ad Manfredum communem hoſtem eijciendum, oſtendit, ſi ualidas præſidio pereuntium Guelforum in Italiam copias adduxiſſet: quod ille, re cum fratre communicata, reſpondit, ſe ſine cunctatione facturum. Quæ ubi fama percrebruit, mirifice admodum Guelforum animos iampridẽ lãgueſcetes erexit, melioreſq; res eorũ in

dies effecit.Interim Mediolani noua ſeditio oborta,quæ poſtea clariſsimo Vicecomitum in illa vrbe Imperio occaſionem aperuit.Eius ſeditionis hæc cauſſa fuit. Cum duobus ante annis clerus diuiſis ſtudijs duos in locum Leonis archiepiſcopos, Raimundum Turrianum Martini fratrem, & Hubertum Septaram ſublegiſſet, re ad pontificis iudicium, voluntatemque reiecta, Vrbanus neutro illorum probato Othonem Vicecomitem Decij canonicum intulit, ſibi ab Octauiano Cardinale Turrianis infeſtiſsimo præcipue commendatum. Quod indigne adeo Martinus accepit, vt eo nomine à pontifice ſe totum auerterit, ac bona eccleſiarum iratus inuaſerit,& clericos vexare,quacunque potuit ratione,inſtiterit. Qua re audita Vrbanus,ſtatim ſacra Mediolanenſibus interdixit,atque Othonem conſecratum ad ſedem ineundam ſuo nixum auxilio miſit.Is in agrum Mediolanenſem profectus popoſcit, vt in vrbem ad eccleſiam regendam admitteretur. vbi verò id ſibi negari à Martino vidit, Kal. Aprilis Aronam exulibus Nobilibus ad ſe traductis inuaſit, ad quam recuperandam cum Martinus,Huberto duce,maximis adductis copijs acceſsiſſet,ille ſe tantam procellam ſuſtinere poſſe diffiſus, reddito oppido,ad pontificem ſe recepit. Quo profecto Turriani III. Non. Maias Aronam, atque Angleriam,ne ſibi obeſſe poſſent in poſterum,exciderunt.Idibus Iunij Nouariæ Torniellis oborta ſeditione a Bruſatis vrbe depulſis, Martinus accitus vrbis ſibi imperium vindicauit. inde IV. Kal. Decembris eo grauiter affecto populus in æde S. Teclæ coactus præfecturam in perpetuum Philippo fratri eius mandauit. neque ita multo poſt mortuo Martino,ſacramentum ei fidei dixit. Eodem etiam anno Hubertus Brixiæ tyrannidem adminiſtrans multos nobiles, quos vrbem tradere velle Turriano ſuſpicabatur, in carcerem Cremonæ coniecit. deinde Brixiam reductos in foro ſupplicio capitali affecit.Quibus rebus Parmę cognitis, cum idem inſtaret,vt in vrbem acciperetur,repudiatus eſt,Parmenſibus prę̨ſtantius eſſe cenſentibus,mille ei quotannis libras perſoluere, quàm tam trucem hominem in vrbem admittere.
Per eoſdem etiam dies Albertus Fontana exul Placentiam cum factione reuerſus præſidium Huberti expulit, & ſemetipſum prætorem conſtituit.Turbata ex ea re ciuitate ſuperueniens inde Cremona Gregorius legatus pontificius rem compoſuit,

atque Huberto ad dominatum Placentiæ dimittendum impulſo, Rinaldum Scotum prætorem ibi reliquit. Sequenti anno vbi
1264 Carolum ex Francia in Italiam cum exercitu ad partes Guelſorum fulciendas tranſiturum, certis nuncijs eſt allatum, Gibellini paſsim à Guelfis inualeſcentibus exturbari vrbibus cœpti, tanta repente mutatione fortunæ facta, ut qui diu antefirmi ſtetiſſent, iam plane concuſsi præcipiti quodam rapi rerum impetu uiderentur. præcipue quidem Mutinæ Iacopinus Rangonus cum parte Aigonorum, quos Guelforum principes diximus, Guelfis Bononienſibus, & Florentinis, qui Bononiæ degebant, aſcitis, die S. Luciæ Graſulfos, ideſt ipſam Gibellinorum factionem aggreſsi ſunt, prœlioque memorabili in foro facto, urbe omnes paucis interfectis exterminarunt. Poſtridie verò Opizo marchio Ateſtinus, qui Azoni auo Februario menſe defuncto ſucceſſerat, & Ludouicus Comes Sanbonifacij cum Ferrarienſium, & Mantuanorum manu validisſima accurrerunt, ſeque auxilio eorum veniſſe, qui in vrbe remanſerant, oſtenderunt. Mutinenſes autem poſtridie ad caſtrum aduerſariorum Gorzanum progreſsi ipſum funditus euerterunt, atque urbis procurationem vſque ad Kal. Ian. præfectis quattuor permiſerunt. Philippus archiepiſcopus legatus olim pontificius è cuſtodia Brixiæ, ubi ab Huberto ſeruabatur, elapſus Mantuam ad Ludouicum Sanbonifacium ſe recepit. Hubertum quinquennali ſtipendio perſoluto à populo Mediolani dimiſſum Nobiles ſibi exules aſciuerunt, atque eius opibus aduerſus populum uſi multa incommoda intulerunt. Philippus autem Turrianus, dum populi opibus augendis incubuit, ſimul etiam auctoritatem, ac dominatum ſuum in vrbe conſtituit. nam & caſtrum Tillij in Volturrena ſupra Comum euertit, & Robarium in agro Nouarienſi deleuit quibus opibus confirmatus, ac ſimul ingenti ſpiritu ex re bene geſta inflatus bellum inde Huberto, ac Boſoni intulit. Eodem anno Vulſinijs miranda res uiſa nouam in Eccleſiam ſolemnitatem induxit. Sacerdos ibi quidam, cum rem diuinam faciens ſacram rite hoſtiam frangeret, forte de ueritate ipſius Chriſti corporis dubitauit. Itaque ſubito ex ipſa hoſtia ſanguis tantus effluxit, ut multis linteum ipſum guttis imbuerit. Quare audita Vrbanus Pontifex, qui Vrbeueti ſedebat, attonitus ipſum ad

ſe afferri linteum iuſſum magno cleri,ac populi occurrentis honore excepit. eoque in eccleſia Vrbeuetana, ut ſede ampliore, ac digniore repoſito ſolemne corporis Chriſti die decima poſt Pentecoſtem cum inſigni pompa in perpetuum celebrandum inſtituit, cuius officium Fr. Thomas Aquinas condidit, qui ſacras illo tempore litteras Vrbeueti illuſtri iam tum doctrinæ, & ſanctitatis fama docebat. Per eoſdem dies crinita ſtella eſt viſa, quæ Iulio, Auguſto, & Septembri menſe inſigni magnitudine fulgens, ac ſpeciem ingentem edens omnes mortales in ſui admirationem adduxit. Ea verò dilapſa, Vrbanus pontifex VI. Non. Octobris Peruſiæ obijt, neque illo anno ſucceſſorem accepit. Proximo Regij Foliani, atque Roberti, ceterique Guelfi ut exemplo Mutinenſium Seſsios, ideſt Gibellinos, urbe deijcerent, ciuile cum eis in foro prœlium commiſerunt, cumq; eos ui ſe magna tuentes exturbare non poſſent, Mutinẽſes Guelfos in auxilium aduocarunt, quibus ſe Florentini quoque extorres nondum Mutina profecti Foreſio Adimaro duce ſibi delecto iunxêre. atque ita pridie Kal. Martias per uim in urbem ingreſſi rurſus grauiſsimo in foro prœlio conflixere. Erat tum inter Gibellinos vir unus, quem Cacum cognomine nuncupabant, qui ea corporis proceritate, ac robore præditus, ut prope gigantem æquaret, clauam ingentem manu tenens ferociter adeo aduerſariis minabatur, ut nemo præ illius timore prope ad eum auderet accedere. Quod ubi Florentini viderunt, tanti petendi decoris auidi duodecim ex ſuis in eum manu promptiſsimos iuuenes immiſerunt, qui virum ſtrictis gladiis undique a ꝑpetentes breui haud magno negocio confecerunt. Gibellini verò ut propugnatorem ſuum cæde ſtratum uiderunt, ſtatim in fugam ſe dantes Regio abierunt. Caci Regienſis, ut etiam Pottæ Mutinenſis in hunc vſque diem non iniucunda uulgaribus in iocis memoria celebratur. Hac re geſta, qui in urbe reſtiterunt, Gibellinos Razolum progreſſos citra tria millia paſsiuum accedere uetuerunt, ac Marco Gradonico Veneto prætore abdicare coacto Iacopinum Rãgonum ad ius in reliquum anni dicendum accerſiuerunt. Bononienſes autem veriti, ne eadem, qua Mutinenſes, & Regienſes tabe perirent (neque enim deerant, qui arrepta occaſione ſimultates, atq; odia partium inflammarent) ad pacem tuẽdam, & ſeditionum materiã

1265

ſubtrahendam publico decreto Loderengo,& Catellano fratribus S.Mariæ,viris in ciuitatibus, & familijs pacificandis illa tẽpeſtate exercitatis, ſimulq; Lambertino Rampono eximio iuriſconſulto ſummum totius rei componendę arbitrium tradiderunt. qui cum alias familias hoc morbo affectas ad ſanitatem, & concordiam adduxerunt, tum in primis Aſinellos, & Baſacomatres iampridem capitali inter ſe odio ſæuientes. Interim Clemens IV. Narbonẽſis ex epiſcopo Sabino Nonis Februarij Peruſiæ abſens pontifex ſubſtitutus Viterbium venit,atque ibi viij Kal. Martij conſecratus Carolum, ac populos Chriſtianos ijſdem, quibus Vrbanus, promisſis ad arma contra Manfredum transferenda ſolicitauit. Quibus acceptis Carolus Paſchate cum Ludouico fratre pie peracto, exercitu terra ſubſequi iuſſo, conſcendit,ac nauibus menſe Maio Romam acceſſit, & Clemente Viterbii conſidente, à Romanis non ſolum benigne exceptus, ſed etiam ſenatoria, quæ tum in urbe eminebat, dignitate ornatus, ſuum ibi terra aduenturum exercitum expectauit. III. Inde Kal. Iulias quattuor Cardinales Romam cum plenis à Clemente mandatis misſi ſolemnes tabulas confecerunt, quibus ipſi Regnum Apuliæ, & Siciliæ cum certo tributo, & certis conditionibus detulerunt. quas poſtea pontifex Peruſiæ confirmauit. Harum tabularum ſummam, nam pluribus exaratæ verbis ſunt, hoc loco intexuiſſem, ſi ad Regnum Italiæ, ideſt ad iura Lombardiæ, pertinere putaſſem. Quæ dum aguntur, Giufredus Belmontius legatus eius Bononiam adiit, ac concione aduocata oẽs ad arma aduerſus Manfredum capienda hortatus, crucem ex pontificis auctoritate indixit, denuncians, ſe remisſionem omnium peccatorum omnibus indulgere, qui rite confesſi huic ſe militiæ deuouiſſent, ac tutum iter aduentanti Caroli exercitui prçſtitiſſent. Quibus uocibus erecti Bononienſes ad decem millia nomina in illam expeditionem dederunt: inter quos ipſa ſodalitas Deuotorum eluxit, cuius qui magiſter erat, Vido Lambertinus, idem etiam uniuerſi dux exercitus fuit. atque rebus neceſſariis comparatis unà cum legato Mantuam proceſſerunt, quò ille ſocios omnes iuſſerat conuenire Mediolanenſes, Bergomates, Veronenſes, Mantuanos, Mutinenſes, Regienſes, & Ferrarienſes. atque ibi Nonis Auguſti Opizone Ateſtino, & Ludouico San-

bonifacio præſentibus, fœdus cum rege Carolo aduerſus Gibellinos percutieudum curauit. Ad extremum Hubertus Comes Flandriæ, qui Iunio menſe caſtra ex Gallia mouerat, monte Ciniſio ſuperato Nouembri in Lombardiam ope Gulielmi marchionis Montisferrati cum exercitu Caroli uenit. Is amice à legato pontificio, qui obuiam profectus erat, exceptus, atque inde Turrianis, Opizone, ceteriſque Guelfis fauentibus, iter per fines Brixianos ingreſſus, facilé aduerſos Huberti, Boſoniſque conatus, qui cum Veronenſibus, Cremonenſibus, & Brixianis tranſitum impedire conabantur, eluſit. Siquidem Ollio ad Palatiolum ſuperato Capreolum ingenti cœde facta recepit, ac ſubinde Montem clarum euertit. demum in Mantuanum, & Ferrarienſem agrum tranſgreſſus Ferrariam, ac Bononiam adiit, ab omnibus his ciuitatibus rebus, quod ſatis eſſet ad uictum, & iter opportunis inſtructus. Huic verò expeditioni egregiam quoque operam exules Florentini nauarunt, qui ex Gibellinorum locupletati ſpolijs erant, quos Mutina, Regioque deiecerant. ita per Romaniolam, & Marchiam incolumis Romam exeunte anno cum magna Caroli gratulatione peruenit. Cuius itineri ipſum etiam fauiſſe cęlum uiſum eſt, cum illa hiems omni prorſus niue, glacie, pluuia, frigoreque uacarit. Quibus rebus permoti Brixiani exulibus ſuis reconciliati Huberti præſidium deiecerunt, atque ad Philippum Turrianum ſe contulerunt, qui Brixiam procedens ſubita morte correptus eſt. Eius inde locum Napus Turrianus patruelis excepit, qui Franciſcum fratrem eis prætorem uniuerſa Turriana ditione potitus impoſuit. Ineunte inde anno Carolus in die Epiphaniæ iuſſu Clementis per duos Cardinales legatos Romæ rex Siciliæ, & Apuliæ appellatus mox in Apuliam infeſto exercitu abiit, & ponte Ciperani ſuperato, cum occurrente Manfredo ſummo prœlio ad Beneuentum decertauit, quo non ſolum exercitum eius diſiecit, ac fudit, ſed ipſum etiam pridie Kalendas Martias interemit, ac ſubinde regnum utrunque ſibi aſciuit. Huius uictorię nuncio accepto ſingulæ amicæ ciuitates legatos ad Carolum, & Ludouicum fratrem eius regem Franciæ gratulatum miſerunt. Clade uerò Manfredi audita Gibellinorum non minus animi,

quam

quàm opes funditus conciderunt. Siquidem vbique à Guelfis vſque ad internecionem exagitati ex plerisque vrbibus exire compulſi ſunt. Ac primum quidem VI. Non. Maii Mutinenſes Bononienſibus, Florentinis, Regienſibus, & Parmenſibus aduocatis ad mõtem Vallariũ acceſſerunt, quò ſe ciues ſui Gibellini receperant, atq; magnis inde incommodis agrum Mutinenſem afficiebant. & caſtrum maxima multitudine circunſeſſum tribus trabuchis, gattisq; multis uerberare cœperunt. Erat in eo caſtro ex factione Graſulforum Aegidius Pius cum plerisq; aliis virtute, ac nobilitate præſtantibus. Hi primò caſtrum mutua cæde patrata, & gattis obſidentium duobus incenſis, egregie defenderunt; deindè inopia aquæ, qua nec ſe, neque equos ſuos alere poterant, ac fœtore quoque incluſarum pecudum laborare cęperunt. neque Manfredus Pius, Bonacurſius Montecuculus, & Graſulfi extorres cum Lambertaciis Bononienſibus ex inſperato ſe oſtendentes tanto eos eximere periculo potuerunt. Itaque IV. Non. Iulias vallo hoſtium fruſtra incenſo poſtridie caſtrum, ac ſe in ditionem hoſtium permiſerunt. Florentini verò cum Loderengum, & Catellanum Fratres S. Mariæ Bononia ad ſe prætores accerſiuiſſent, atque eis & remp. gerendam, & ciuitatem pacificandam cõmiſiſſent, eorum opera Guelfos in urbem, Gibellinis exeuntibus, reduxerunt. Quæ mala ut Hubertus, Boſo, & ceteri Gibellini viderunt, Conradinum Conradi regis filium, ac Friderici nepotẽ ex Germania in Italiam aduerſus Carolum ad partium ruentium ſubſidium aduocarunt. Interim Bononiæ quieſcente à veteribus tumultibus ciuitate populus nouis priuatarum offenſionum procellis eſt agitatus. Plebs enim Gulielmi, & Brandeliſii Lambertinorum domos populata ſubuertit, quod Scannabecco ciui præclaro vitam eripuiſſent. Sutores etiam correptis temere armis Prætorio incendium intulerunt, ac Ioannem ſutorem captum prætori Io. Dandulo eripuerunt in eum animaduertere ex lege paranti, quod adulterum cum vxore deprehenſum interemiſſet. Eo præturæ honore depulſo uiginti duobus diebus Antiani reip. præfuerunt. inde reſtitutus ſutores duobus librarũ millibus condemnauit. Quin etiam Albertus Caccianimicus cum Vidone Gruamontis fratris ſui filio altereans uſque adeo iracundia eſt prouectus, ut Venetico, & Caccianimico

filijs occidendum mandauit. Quo ſcelere perpetrato populus
Albertum hoſtem iudicauit, atque ædes igne ſubdito inflam-
mauit. Poſtero anno cum certus rumor increbruiſſet, Conradi-
num in Lombardiam iter inſtruere, ut labentem cauſſam Gibel- 1267
linorum fulciret, pontifex capellanum ſuum legatum ad popu-
los in fide continendos miſit, Beltramus uerò Græcus prætor
Mediolani, Napi, & marchionis Montisferrati rogatu, ciuitati-
bus, & principibus Lombardiæ conuentum Mediolanum indi-
xit ad renouandum fœdus pro ſalute propria aduerſus hoſtes
quoſcunque tegenda. Quare III. Non. Maij cum legati Montiſ-
ferrati, Vercellarum, Nouariȩ, Comi, Bergomi, Laudis, Brixiæ,
Mantuæ, Ferrariæ, & marchionis Ateſtini, Vicetiæ, Patauij, &
Parmæ Mediolanum cum amplis ad id mandatis ueniſſent, in
nouo Communis palatio conuocati de inſidijs, ac fraudibus ab
Huberto, Boſone, Veronenſibus, Cremonenſibus, & Papien-
ſibus ſȩpe initis rettulerunt, multiſque uerbis ea de re factis, ut
conſilijs occurrerent, quæ illi de adducendo in Italiam Conra-
dino aduerſus eccleſiaſticam libertatem inierant, fœdus in-
ſtaurare conſtituerunt. Ita III. Non. Maias magni animorum
conſenſione decretum, vt Napus Turrianus perpetuus Antia-
nus populi Mediolanenſis, & Franciſcus Turrianus plebis prin-
ceps ius, & facultatem haberent renouandi fȩderis inter Com-
mune Mediolani, Marchionem, ac Commune Montisferrati, &
alia Communia ciuitatum ſupraſcriptarum, ita ut neque Tur-
riani, neque Commune, populuſque Mediolanenſis quidquam
agere, tranſigere, ac paciſci aliorum fœderatorum iniuſsu poſ-
ſent, neque alij iniuſſu ipſorum: & ut Napus, & Franciſcus, Com
mune, & populus ius haberent exercitus educendi, & equeſtres
excurſiones pro arbitrio faciendi, promittentibus omnibus le-
gatis, ac principibus pro ſe, ac ciuitatibus ſuis, ſe opem, ſubſi-
diumque laturos, prout opus eſſe cenſuiſſent, aut ipſi requiſiti
fuiſsent. Legatus autem pontificis in Lombardiã profectus tan
tum ſiue eloquẽtia, ſiue auctoritate contendit, ut Cremonẽſes,
qui ad eam vſque diẽ haud ambigua fide in auctoritate Imperij
ſteterant, ad partes Eccleſiȩ ſuſcipiendas adduxerit. Quare nõ
ſolum Hubertum urbe præſenti Boſonis auxilio expulerunt, ſed
ciues etiam ſuos, qui ultra XX. annos in exilio propter cõtraria
ſtudia fuerant, receperunt, ac ſeſe Mediolanenſibus, atque eorũ

parti amicos poſthac fore profesſi ſunt. Hubertus autem tantum in clerico, ſic enim loquebatur, fuiſſe virium demiratus ſeſe ad caſtra ſua in agro Placentino ſita recepit, atq; à uirtute haud quaquam in tanta rerum iniquitate defecit. Eodem menſe Napus inique paſſus, ſe, ac ciuitatem Mediolanenſem iam per annos quattuor vſu ſacrorum, ac diuinorum officiorum orbatam apoſtolicæ expertem gratię trahere uitam, rem quacunque ratione componere cum pontifice ſtatuit, atque ea de re Romam nuncios deſtinauit. Hi cum ad urbem ueniſſent, à Clemente, tanquam deteſtabiles, atque impij homines inire prohibiti, ſeſe ad Carolum contulerunt, ac comiter ab eo accepti Romam inde ſe cum eius nuncio (ſic enim petiuerant) receperunt: atq; ipſius gratia in urbem admisſi Senatum ſine cunctatione obtinuerunt. Ibi primum orator regius à pontifice, & Cardinalibus nomine Caroli poſtulauit, ut Turrianos, quos ad dicendam cauſſam miſiſſent, æquis auribus, animiſque audirent, quos ſatis conſtaret, cum ſemper pontifici deditisſimos, & Cæſari infeſtisſimos extitiſſe, tum paullo ante exercitum ſuum in Italiam ad Eccleſiæ commoda tranſeuntem rebus omnibus neceſſariis inſtruxiſſe. Data inde dicendi poteſtate Turrianus dicere orſus ſic cauſſam populi, ac Turrianorum explicuit, ut non ſolum omnem tumultuum culpam in Othonem, Nobilitatemque rettulerit, ſed eos etiam immoderata linguæ procacitate euectus parum honeſtis ſuperbiæ, atque impotentiæ criminationibus onerauerit: Quare ſe propterea dignos, qui in ſinum Eccleſiæ, vnde iniuſte fuerant pulſi, reciperentur, adiecit. Quæ omnia Otho pręſens accepto ad reſpondendum loco eximia conſtantia, ac moderatione animi refutauit, cum diceret, ſe nihil unquam aggreſsum, nihil molitum, niſi ad ſalutem Mediolanenſis Eccleſiæ fuiſſe, neque unquam ab auctoritate Sedis Apoſtolicę receſſiſse; Turrianos autem contrà ſpecioſum tuendi populi titulum pręferentes omnia ad urbis tyrannidem occupandam, & cogitaſse ſemper, & perfeciſse, pręcipue autem ciuitatis antiſtitem, ac Nobilitatem contra edicta pontificia propria Eccleſia, ac patria deturbaſse, atque omnibus ſuis fortunis euerſos fœde diu in exilio uiuere coegiſse. Cauſſa utrinque perorata pontifex animo in Othonem inclinans,

mans, legatis reſpondit, ſe nulla ratione adduci poſſe, ut ſacra ciuitati, quæ peterent, reſtitueret, niſi Napus Othonem in urbe, tanquam archiepiſcopum recepiſſet. Quod cum legati ipſum ſine dubio facturum dixiſſent, Otho tamen omnia ad irritum, ut ante, caſura timens, ut Cardinalis legatus Mediolanum ea de re mitteretut, elicuit. Interim prætor Mediolani Bergomatibus, ac Nouarienſibus euocatis carrocium aduerſus Papienſes eduxit, ac Viglebanum aggreſſus non agrum ſolum ſumma uaſtitate affecit, ſed ipſum etiam oppidum in ditionem adduxit, Papienſibus tanto pauore perculſis, ut ſecum acie decertare non ſuſtinuerint. Cremonenſes verò prorſus ſe in antiquam libertatem aſſerere cupientes Boſonem quoque tyrannidem apud ſe tacite molientem, eodem legato impellente, deturbauerunt, ac certis ſe continere agri ſui finibus pręceperunt. Ex quibus mox Boſo egreſſus in caſtrum ſe ſuum, Rochettam nomine, contulit; atque inde agrum Cremonenſium infeſtum habere inſtituit. Qua re perciti Cremonenſes auxilio Guelforum è Lombardia, & Tuſcia accerſito ad Rochettam acceſſerunt, atque eam per menſem Iulium, Auguſtum, & Septembrem obſeſſam oppugnauerunt. Cui expeditioni Hieremęi quoque Bononia centum equites cum trinis equis ſingulos ſummiſerunt. Bononiæ nouis rixis illo etiam anno tumultuatum, ut ſatis omnibus appareret, ex crebra turbarum ciuilium flamma ingens propediem incendium erupturum, quo uniuerſa reſp. conflagaret, atque humani generis hoſtem, ut ciuilibus ſeditionibus uicinos ciuitatis attriuerat, ſic hanc etiam nouis in dies miſcendis certaminibus ad ſeruitutem, & exitium deſtinare, nullamque proptereà concitandorum odiorum, & irritandorum animum occaſionem omittere. Tertio ergo Idus Maij nouam Scannabecci cum Lambertinis rixam in urbe commiſerunt, in qua præter cæteros Bartholemæus Guidizanus interijt. Quare tumultu grauiſſimo concito, ne ad extrema deſcenderetur, Antianis, & prętori mandatum eſt à Communi, ut adhibitis militaribus collegijs per octo dies domos eorum ciuium obſeruarent. Quo facto Lambertini Mantuam, Scannabecci Florentiam relegati. Simul etiam Loderengo, & Catellano negocium datum, ut familiarum diſcordias tollerent, qui re ſuſcepta pacem

compo-

compoſuerunt,eamque opportuno multarum nuptiarum fœdere confirmarunt, exules è tabulis exemerunt, & mulctas, quas prætor eis intulerat, qui ad nixam confluxerant, deleuerunt. Cum autem Batholemæus Butrigarius Antianus cum alijs ex uico S. Vitalis in palatium progreſſus iudices ad inducendas tabulas coegiſſet, iratus prætor depoſito magiſtratu urbe exceſſit. Eodem anno Conradinus traiectis Alpibus Veronam ineunte Octobri menſe peruenit, ibique hiemauit. Cuius metu Cremonenſes cum ſocijs ſuis à Rochettæ obſidione ſe remouerunt. Carolus autem in Etruriam contra eum accurrit, eiſquè magna ex parte deletis caſtrum Podij Bonicij firmiſſimum,quo plerique eorum confugerant, diuturna obſidione Idibus Decembris recepit. Proximo, Conradinns IV. Idus Ian. Verona
1268 profectus ad Rochettam Boſonis acceſſit, ac traiecto Abdua per Laudenſem agrum Papiam peruenit, ibique menſes duos moratus in oram Genuenſium tranſijt, vnde terreſtri itinere Piſas Maio menſe aduenit, ab omnibus vbique Gibellinis eodem, quo Imperator,honore ſuſceptus, mox ſpretis Pontificijs edictis, quibus in Apuliam tranſire prohibebatur, illuc iter intendit. Itaque Luca per decem diès fruſtra tentata, ſed Podio Bonicij per deditionem recepto Senas proceſsit, atque ibi agens per præfectos ſuos VI. Kal. Iulias exercitum Caroli in Apuliam redeuntem ad Arretium pròfligauit. Senis inde profectus, ac Viterbium,ubi ſe continebat pontifex, prætergreſſus Romam peruenit, a Romanis, licet Eccleſiæ hoſtis,ſummo ſtudio animorum exceptus, ac multis ſacris ædibus ſpoliatis inde in Apuliam prodiit,uerùm infauſto admodum aduentu,ut pôtifex prudens prædixerat,tum cum Viterbium prętereuntē audierat.ſiquidem die uiceſimo prœlio cum Carolo commiſſo non ſolum exercitus eius in fugam actus, atque conciſus,ſed ipſe etiā poſt captus iuſſu Caroli,iudicio cōſtituto,quaſi latro', ſupplicio ultimo eſt affectus. Ea clade accepta factio Gibellina,quę felici ipſius in Lōbardiā acceſſu ac proxima re bene in Etruria geſta ſuſtulerat animos, quaſi mortifero aliquo affecta vulnere corruit.cōtrà uerò tāta uictoria parta pars Guelſorū erecta.His auditis filia Ducis Burgundię magno principum comitatu ſtipata menſe Octobri in Italiam lęta peruenit, ut ad Carolum, cui deſponſa erat, accederet honorifice ab omnibus ciuitatibus ſui

ſtudioſis

ſtudioſis excepta. Mediolani uijs omnibus extra urbem, & in urbe, quâ tranſitura erat, inſtructis magiſtratus cum carrocio, ac uexillis ciuitatis VIII. Idus Octobris occurrit, atque illuſtri ſub umbella receptam in urbem cum ingenti populi gratulatione adduxit, ac conuiuijs nobilisſimis, & uiſendis multorum dierum ſpectaculis decorauit. Bononiam inde aduentanti Bononienſes item cum carrocio magnifice purpura ſtrato, atque omnibus Armorum, Artiumque collegijs uſque ad pontem Rheni ſeſe obuiam effuderunt, ac pari pompæ ordine in urbem introduxerunt. Per eoſdem dies Vido Caccianimicus fugam Hencio regi adhuc in cuſtodia uerſanti occulte parauit. Verum cum uinifer ipſum œnophoro clam incluſum efferret, indicio mulieris, quæ illum ex feneſtra forte deſpexit, eſt proditus. quare uterque repente arreptus ille capite, hic cuſtodia arctiore damnatus eſt. Per hos dies Parmæ, & Brixiæ Guelfi priſtina cum exulibus ſuis certamina inſtaurarunt. Quippe Parmenſes Mutinenſium, Cremonenſium, Placentinorum, & Regienſium Guelforum auxilijs euocatis Burgum prodierunt, idque acri obſidione cinxerunt, ac uaſtatis circum agris oppidum mœnibus exuerunt, foſſas repleuerunt, & cum incolas ex domibus ſuis longum Parmam uerſus conficere ſuburbium imperaſſent, exules ſuos in urbem deintegro receperunt. Brixiæ autem cum ciuitate ad Eccleſiæ partes redacta, non deeſſent, qui antiqua ſtudia incluſa pectore continentes opem Conradino adhuc uiuenti ferrent, Guelfi eos armis perſequendos tanquam rerum nouarum cupidos, cenſuêre. Qua occaſione arrepta Franciſcus Turrianus prætor urbis imperio imminens, multos ex utraque parte inſolentius ſe gerentes corripuit, ac Mediolanum pro obſidibus miſit, & cum alios ex Guelfis potentioribus ablegare pararet, ipſe ab eis præturæ honore deiectus eſt. Ita Gibellini timore magno perculſi urbe denuo exceſſerunt, ac multa ex agro caſtella occupauerunt, quę Guelfi ſumma ſibi ope recuperanda, in primiſque Manerbium arbitrati ſunt. Turbatis inde hoc modo rebus, pacis demum mentione illata res ad Philippi legati arbitrium eſt reiecta. Cum porro Franciſcus id ageret, ut præturam ereptam recuperaret, noua ex ea re agitati diſcordia rurſus ciuilium armorum inter ſe contentione pugnarunt, qua multi interempti, multo plures capti Mediolanum ſunt miſsi. Eo-

dem anno Laurentius Teupulus Dux Venetiarum, cum magna rei frumentariæ inopia premeretur, legatos Patauium, Taruiſium, & Ferrariam ad idoneam commeatus petendam copiam miſit, nec quidquam æqui obtinuit. quare ira permotus, ex ſenatuſconſulto mercibus, quæ Pado ultro citroque deuehebantur, uectigalia noua impoſuit, ſimulque addidit, ut commeatus, qui à Rauenna deuecti mare ipſum attingerent, Venetias deferrentur; & ad id ſolito diligentius portus obſeruari mandauit. Eam uerò rem cum ceteri ægre tulerunt, tum præcipue Bononienſes, qui illa nauigatione libera uti ad neceſſarios exportandos ex Romaniola commeatus, ſolebant, ac propterea oratores duos Venetias ſuper eo negocio deſtinarunt, Creſcentem Creſcentium, & Paullum Thebaldum, qui nihil profecerunt. III. Idus Nouembris legatus põtificis Mediolanum miſſus Conſilium aduocauit, ac ſe interdicto ciuitatem laxaturum, ſi præceptis Eccleſiæ paruiſſet, oſtendit. cum ſe omnes in auctoritate eius futuros dixiſſent, nomine pontificis mandauit, ut Othonem, tanquam uerum archiepiſcopum reciperent, ac debitum honorem haberent. neque in poſterum clerum moleſtia, aut onere ullo afficerent, & damna illata refarcirent, ac iureiurando ab omnibus exacto interdictum ſuſtulit, communionemque reſtituit. Interim III. Kal. Decembris Clemens Viterbij obijt. Quo nunció accepto Turriani nihil eorum, quæ ſpoponderant, obſeruarunt. Quare Nobiles noua adhuc inſtare certamina conſpicantes, Franciſcum Borrum ſibi ducem præfecerunt. Tumultu Brixtano perſpecto Carolus rex, ut opportunam medicinam afferret, ſequenti anno legatum Brixiã miſit, qui pacem inter Brixianos, Turrianoſque componeret. cuius arbitrio cum ſe Brixiani ſtaturos promiſiſſent, legatus decreuit, ut ciuitas captos in ciuili prœlio Guelfos Parmam ilico ablegaret, cui præcepto ipſa non paruit, atq; ea de re certiorem Carolum fecit. Carolus decreto illo infirmato Hugonem Stacham legatum alterum miſit, qui cum uideret, pacem niſi ipſis amãdatis ciuibus conuenire non poſſe, eos Albam dimiſit. Cremonenſes menſe Iulio ad Rochettam, ubi Boſo erat, oppugnãdam cum ſociorum auxilijs redierunt, eamque tandem expugnatam ſubuerterunt. Mutinæ Iacopinus Rangonis prætor Graſulfos patria extorres, qui inter Mutinam, ac Rhenum ſedes poſuerant,

inde, ne aſsiduis agrum excurſionibns lacerarent per prætorem Bononienſem ſummouit;eoque facto Lambertacios Bononiæ grauius irritauit. Bononiæ Aiardus Pretus,quia auctor Conſilio fuerat, ut tributum nomine mutui populo indiceretur, tumultu populari diſcerptus eſt. Soldo Gallucio, qui Philippino ex Collegio Branchæ militi mortem attulerat, collegæ domos in urbe, agriſque uindictæ gratia concremarunt. Quin etiam optimatibus plebem aſsidue deprimentibus ab Collegijs militaribus Branchæ,Grifonis, & Lombardiæ denunciatum eſt, ne ad uillas ſuas adirent, ſi capiti ſuo parcere uellent. Becatelli, & Salæ ſęuo quoque inter ſe certamine conflixerunt. Cauſſam rixę attulit Bartolemęus Becatellus à Hieronymo Sala,quem prę ire in ducenda chorea uoluit, in faciem ſauciatus. Concurſu ab utriſque familijs ilico facto, ac certamine inito multi utrinque occiſi, ac uulnerati ſunt: maiorque nimirum ſubſequuta cædes fuiſſet,niſi Albertus prętor cum cohorte ſua intercurrens ſęuientem ſeditionis flammam compeſcuiſſet, ac Hieronymum comprehenſum in carcerem conieciſſet,ubi tandiu habuit,donec pace compoſita in gratiam ipſę inter ſe familię redierũt. Poſt autẽ cum ipſe in Conſilium progreſſus grauem in quoſdã ſentẽtiam recitari iuberet, populus ea re ſic eſt offenſus, ut tumultuoſis exclamare uocibus cœperit, Moriatur prętor. Quod ubi ille cognouit,ſtatim periculo animaduerſo campanam Communis incitatius percuti, quaſi ad ſui ſubſidium, imperauit. Cuius occentu audito repente Comacius Gallucius ſublato uexillo ſe in forum proripuit, ac ſe auxilio Communis aduenіſſe, oſtendit. quem mox tria militaria Collegia ſubſequuta populum iam opprimendi hominis cauſſa portas moliri Palatij properantem coercuerunt, ac prętorem imminente periculo ſubduxerunt. Laude Napus à Succio Viſtarino Laudenſi iniuria prouocatus nulli alij rei magis, quàm uicinis ciuitatibus ſubigendis intentus cum auxilijs Comenſium, Bergomatium, Nouarienſium, & Vercellenſium carrocium aduerſus Laudenſes imperium recuſantes adduxit, ac caſtra ad Laudem ueterem poſuit,atque agro circumiecto uaſtato pridie Idus Septembris arcem ibi condere cœpit, qua munita inde poſt ſex dies exercitum reduxit. Francinus autem Borrus, quem ſibi pręfectum Capitanei, & Valuaſores exules ſumpſerant, uiribus No-

bilitatis diffiſus ex auctoritate Gulielmi marchionis Montisfer rati in Hiſpaniam ad Alphonſum regem contendit, ac Mediola ni dominatum ei promiſit, ſi opportuna ſibi aduerſus Turrianos auxilia miniſtraſſet. Cui Alphonſus aſſenſus octingentos Hiſpa nos milites tribuit, ac Gulielmum ipſum marchionem generum ſuum in ſpem vicarij Imperialis erectum ſe eidem ad bellum adiungere ſocium iuſsit. Ita Francinus domum reuerſus repente cum his in agrum Mediolanenſium ipſo adiuuante marchione irrupit, ipſumque latè vaſtare inſtituit. Cui Turrianus tanta mole ſe obtulit, ut eos oppreſſos finem facere prędandi coegerit, quo ex facto vehementius odium aduerſus Nobilitatem, ac marchionem exarſit. Hubertus Palauicinus iam ætate confectus in montibus Placentiæ mortuus eſt ea aduerſus Eccleſiam pertinacia, ut à nemine religioſo redigi ad agnitionem ſalutis, atque ad officium pęnitentiæ quiuerit. Eo anno varijs prodigijs in Italia laboratum, dira tempeſtate, inuſitata auium multitudine, atque horribili terræmotu. Adulto enim Aprili tanta per noctem, diemque cœlo effuſa nix eſt, ut ad inauditam altitudinem creuerit: ſequenti nocte tanta pruinæ copia fluxit, ut uineas omnes aduſſerit: uenti feroces adeò ſæuierunt, ut magnã partem arborum etiã robuſtiſsimarum euulſerint. auiũ multitudo globis confertis adeo deuolauit, ut uix cœlum interſpici poſſet, tanto præterea ſtrepitu, ac ſegetum detrimento, ut ſpeciem tranſeuntis, atq; omnia depopulantis exercitus exhiberet. Terra ſic ab imis ſedibus concuſſa contremuit, ut mons Anconę diffiſus in mare proſilierit. Annus inde milleſsimus ducen

1270 teſimus ſeptuageſimus bello cum Venetis à Bononienſibus inito fuit inſignis, omnium, quę hi geſſerunt, maximè memorando; uel quia cũ gente potentiſsima ſuſceperunt, uel quia ſoli, ac proprijs uiribus confecerunt. Cum enim ultra pati non poſſent, veterem externi ſibi commeatus copiam à Venetis intercluſam, ac maritimæ nauigationis uſum ademptum eſſe, neque ſalem, neque frumenta ex Romaniola deuehere, niſi grauiſsimo ſoluto portorio ad alienum arbitrium, poſſe, conſilium ſæpe de adhibendo remedio habuerunt; demum re in utranque partem agitata, placuit, caſtrum ad oſtium Padi, quod Primarium dicitur, in agro Rauennate conſtruere, idque caſtro S. Alberti, quod Veneti decennio ante quinq; millibus paſſuum à mari cõdiderant

in ulteriore ripa, opponere. ſic enim ſe conſequuturos putarant, ut liberum Padi ingreſſum, atque ita uel inuitis Venetis immunem nauigationem haberent. Vt tamen iure potius, quàm ui agere uiderentur, legatos iterum Venetias miſerunt, qui abrogationem legis de Portorijs poſcerent; atque interim ædificationem caſtelli, atque unà exercitum ad eam, ſi prohiberetur, defendendam pararunt. Dux ex ſenatus auctoritate cum nihil eorum, quæ peterentur, concedere decreuiſſet, nullum reſponſum legatis dedit; ſed legatos ſe, qui uoluntatem ſuam aperirent, miſſurum Bononiam dixit. miſsi uerò Ioannes Dandulus, & Nicolaus Quirinus cum ciuitatem reuocare à propoſito nequiuiſſent, domum redierunt, atque offenſos animos Bononienſis populi retulerunt. Ita his rebus exactis arma ſumma ope utrinque parata, à Bononienſibus, ut pro arbitratu caſtrum extruerent, à Venetis, ut operi impedimentum afferrent. Vido prætor ad Primarium cum quadraginta hominum millibus, ceteroque bellico apparatu ipſo autumno profectus caſtri fundamenta iacere ex architectorum adhibitorum ſententia inſtitit. Contrà uerò Marcus Badoarius cum claſſe nouem triremium, multorumque præterea Lemborum ad S. Albertum progreſſus ipſum caſtrum in omnem hoſtilis eruptionis euentum confirmare contendit, ac mox Bononienſes, ne caſtellum in margine ripæ ſibi oppoſitum conderent, prohibere, ac manganis, trabuchis, alijſque, quas de induſtria adduxerat, machinis lapides, aliaque omnis generis tela in eos ingerere. Quæ cum illi cuncta propulſare non poſſent, prętor conſilium paullulum à ripa ſecedendi cœpit, atque ibi, ut tutiore ab hoſtili incurſione loco, turrim excelſam ex tabulis excitauit, eamque tectorum multorum corona magni inſtar ſub urbij cinxit. ac totum opus uallo ex ſtipitibus, ligniſque ad tempus compacto firmauit, ac demum præſidio militari ad tuendum locum impoſito domum receſsit. Quo facto Baduarius quoque Pancratio Barbo ſucceſſore accepto Venetias redijt. Res foris ſummo ſtudio geſta domi quietiorem populum habuit. Turriani item hoc anno bellum Laudenſe continuarunt. Quippe Aprili exeunte carrocium eduxerunt, & ad urbem profecti caſtra ſingulis portis oppoſuerũt, illud enixe inhibere uolẽtes, ne Laudenſes urbe erumperent, & in ſe ipſos agro populando intentos inuaderent;

atque ita urbe clauſa agrum pro arbitrio lacerarunt. qua re co-
gnita Nouarienſes, Cremonenſes, Placentini, Bergomates, &
Parmenſes ſe illis in prędæ potius, quàm in pugnæ ſocietatem
iunxerunt. Inde induciis pactis receſſum. poſtremo Napus pacē
petentibus dedit, atque prętura inita urbem pręſidio communi-
uit. Mox noua, quę inter ciues exarſerat, ſeditione compoſita
duabus arcibus ad urbem in imperio continendam conſtructis
ſeſe Mediolanum recepit, ac Succium cum filio ciuitatis turba-
torem reduxit. Brixiæ cum Guelfi IV. Non. Ian. per Hugonem
legatum reducerētur, atque eis multi honoris cauſſa ex urbe ob
uiam prodiiſſent, repente exules conuocati armati inermes in-
uaſerunt, atque Hugone dimiſſo eorum alios occiderunt; in fu-
gam alios coniecerūt. Qui verò vrbem tenebant, Hugonem co
miter receperunt, ac per eum priuilegia ſibi confirmari à Caro-
lo obtinuerunt. Exules autem coactis copiis bellum patriæ intu-
lêre, ac pridie Non. Auguſti apud Cogallum caſtrametati urbē
obſidione cinxêre. Quibus urbani occurrentes atrox prælium
commiſerunt, quo eos in fugam uerſos ad Ollium pręcipites im
pulerunt. Eodem anno cum Cardinales Viterbii conſidentes in
ter ſe de ſubſtituendo pontifice conſentire non poſſent, Philip-
pus rex Francię, & Carolus rex Sicilię imminens Eccleſię detri-
mentum iniquo animo patientes Viterbium acceſſerunt, atque
eos ad comitia perficienda rogarunt. Ea res mire ad accenden-
dos eorum animos valuit. Brixiani exules adhuc Manerbium ob
1271 tinebant. Quod vrbani indigne ferentes poſtero anno cum auxi
liis Caroli, Mantuanorum, Veronenſium, Cremonenſium, & Pla
centinorum ad obſidionem eius proceſſerūt, idq; Kal. Octobris
ad deditionem adduxerunt. caſtrum eiectis incolis, & bonis eo-
rum direptis ſolo æquatum. captiuis libertas data. mox Pompe
ianum adorti breui captū, direptumq; funditus euerterunt. No
uariæ cum Guelfi pace cum Gibellinis compoſita à Turrianorū
amicitia defeciſſent, digni uiſi ſunt, qui armis ad officium redire
compellerentur. Comenſes autem cū Acurſium Cuticam Napi
uicariū captum in cuſtodiā condidiſſent, eū ibi, donec Simo Lo
carnas liberaretur, habuerunt. Bononiēſes cū Venetis, Mutinēſi
bus, & Foroliuienſibus dimicarunt, atque ubiq; bene pugnarūt.
Apud S. Albertū Iacobus Dādulus, Hermolaus Iuſtus, & Hermo
laus Teupulus Barbū deinceps exceperunt, ac bellū pro uiribus

gerere, & Bononienſes loco depellere contenderunt. Demum Girardinus Longus aduenit, ſed quia exercitum peſtilentia grauis inceſſerat, quieſcendum ſibi putauit. Ea re animaduerſa Lãfrancus prætor Bononienſium, occaſione uſus, exercitu in lembos impoſito tacite ad hoſtes acceſsit, atq; improuiſos adortus in tantum tumultum coniecit, ut repente loco ceſſerint, ac nauibus in portum Volanæ refugerint. Bononienſes autem lembis aliquot, ac tentorijs, & prędą non parua potiti ad caſtra ſua lęti ſe receperunt. Succedens inde Longo Andreas Zenus non ſolum caſtra relicta recuperauit, ſed etiam ultro laceſſere Bononienſes perrexit. Cum Mutinenſibus porrò ita actum Lambertacij grauiſsime paſsi, Graſulfos Aigonorum opera ex agro inter Rhenum, & Mutinam deturbatos, ut officium factioni ſuę laboranti pręſtarent, omni ope contenderunt, Mutinenſibus indiceretur, ut caſtra cis Scultemnam ſita diruerent, quæ ex fœdere diruta habere deberent. Ex altera parte Hieremęi Fauētinis, & Foroliuienſibus irati, quòd defectione à ſe inita Guelfis exactis Gibellinos exules recepiſſent, duriora his quędam alia in ſpeciem imperarunt; bellum ambobus intentatum, niſi mandata mature feciſſent. Illis autem parêre detrectantibus exercitus utroq; eſt deſtinatus. Menſe Auguſto Anſelmus præfectus cum exercitus parte Sabinianum caſtrum Mutinenſium adijt. Lanfrancus uerò prætor alterum Foriliuium duxit; ita vtrunque oppidum oppugnari magna mole eſt cœptum. Cum autem populo tribus bellis grauiſsimis occupato res in anguſtum locum eſſent adductæ, duo delectis militaribus admota remedia ſunt. primũ enim nouũ militare collegium ex optimatibus ciuitatis conſtituerũt, idque ſocietatē Iuſtitię appellatum tribus ueteribus Collegijs Branchæ, Griſonis, & Lombardorum adiecerunt. deinde pręfectus populi, Antiani, & conſules ſtatuerunt, ut omnes homines vrbis, agrique ab octodecim annis uſque ad ſeptuaginta ad caſtra Primarij, aut Sabiniani, aut Foriliuij pergerent, neque inde ſine domini permiſsione diſcederent; qui ſecus feciſſet, is neque in Conſilia legi, neque magiſtratum capere poſſet. neque ei in cauſsis pecuniarijs ius uſque ad quinquēnium redderetur; nec pro ciue haberetur, neq; damna accepta, niſi poſt quinquennium, ſarcirentur. Sabiniano capto inde bellum ad montem Albanum, & montem Vmbrarium, aliaque Mutinenſium caſtra

tranſlatum, eaque recepta ſtatim euerſa. Tum Sancæſarium in
poteſtatem adductum. Dum autem caſtro illi diripiendo incum
bitur, ecce repente populus Mutinenſis ad arma tumultuoſo, vt
in re trepida, occentu campanæ vocatus accurrit, ac commiſſo
cum Bononienſibus prȩlio eos caſtro excedere compulit. Ita
Sancæſario relicto ad pontem S. Ambroſij, & pontem Nauicu-
larum eodem impetu prouolarunt, eo conſilio, ut amne Sculte-
mnæ traiecto in agrum eorum infeſtius procurſarent, verùm à
Mutinenſibus cum auxilio Parmenſium accurrentibus ſumma
ope repulſi ſunt. His à Lambertacijs aduerſus Mutinenſes ad-
miniſtratis, Hieremæi eadem, ac multò grauiora mala agro Fo-
roliuienſium rependerunt. Atque hæc initia ſequentis ſedi-
tionis fuêre, cui ut occurrerent (neque enim obſcura concer-
tatio erat) ciuitatis rectores octoginta uiros turbarum, ac tu-
multuum in primis auctores urbe exegerunt, ac certis finibus in
cluſerunt. Cremonenſes caſtrum Malgratum diruêre, Tur-
riani Cremam, Regienſes Corbariam in ſuis finibus ſubegê-
re. Eo quoque anno Philippus rex Franciæ reuertens ex Afri-
ca Bononiam adijt, atque ad Prædicatores diuertit. Is duas
ſecum arcas deferebat, quarum in vna erat corpus S. Ludoui-
ci regis patris ſui, in altera Triſtani fratris: quorum uterque
cum ad Tunetem Saracenis eripiendum armatus acceſſiſſet,
Carthagine diem ſuum obierat. corpus Ludouici, dum Re-
gium, Parmamque deuectum eſt, duo inſignia miracula edi-
dit. Ricardus item Cæſar IV. Non. Aprilis in Anglia obijt.
Principes Germanorum comitia quidẽ ſufficiẽdo Cȩſari habue
runt, ſed neq; hoc, neque ſequenti anno quidquam propter pri-
uatas diſcordias perfecerunt. Viterbij uerò poſt uarias Car-
dinalium in Pontifice ſubſtituendo diſſenſiones tandem om-
nes in Theobaldum Vicecomitem Placentinum Leodienſem
archidiaconum uoti cauſſa tum agentem in Syria conſenſe-
runt, ac Kal. Septembris renunciatum ilico per nuncios in
Italiam reuocarunt. Eodem anno ingenti rei frumentariæ
inopia laboratum. Sequenti, Bononienſes, ac Veneti mu-
1272 tuis ſe belli detrimentis afficere inſtiterunt. Quippe Marcus
Gradonicus, & Iacobus Dandulus in Rauennatem ripam,
ac Luchinus prȩtor in Venetam exſcenderunt, ac valla in-
uicem, & ſuburbia ferro, igneque lacerare conati ſunt.

Rauennates cum prædę partem ſibi uindicarent, eamque Bononienſes abnuerent, prætor appellatus ex fœdere deberi decreuit. Ijdem etiam multorum Bononienſium, qui in prœlijs vulnerati Rauennæ deceſſerant, ad ſe bona trahentes, hæredibus eorum ſingulis centenas libras ſoluere debere iudicati ſunt. De Mutinenſi inde, & Foroliuienſi bello ipſorum potius partium, quàm ciuitatum crimine ullo conflato agitatum. Lambertacij enim Mutinenſe bellum urgentes legatos Parmam miſerunt petitum, ne agrum tueri uellent, qui eſſet à Sicla amne uſque ad Rhenum; nam & ſe agrum, qui pertineret à Sicla ad Parmam fluuium, dimiſſuros. Quibus Parmenſes reſponderunt, non eſſe moris, ut vicini vicinis bellum internecinum inferrent, ſe Mutinenſes ſocios ſuos dubijs eorum in rebus nequaquam deſerere in animo habere, uerùm eis eam fidem præſtare, quam ſuis ipſi patere temporibus, perſpexiſſent. Hoc reſponſo accepto Conſilium Generale, ac Populi habuêre, ac ſoli bellum facere, & caſtra, agrumque cis Scultemnam eripere Mutinenſibus decreuêre, ac prætorem, & præfectum in id decretum ſacramento adegêre, quod lapide inciſum in pariete Palatij eſt locatum. Mutinenſes autem cum de agro dando rogati, ſe ne glebam quidem ceſſuros, niſi armis coactos reſpondiſſent, continuo ſocios ſuos auxilio acciuerunt. Ex quibus Cremonenſes centum equites cum trinis equis ſingulos miſerunt, Parmenſes duo millia peditum, & magnam manum equitum, Opizo cum omnibus Ferrarienſium militibus affuit. multi etiam Regio Guelfi uoluntate, non iuſſu ciuitatis, ultro eiuſmodi ſe militiæ obtulêre. atque omnes exeunte Aprili Mutinę magno ſtudio conuênere. Delectu Bononię habito, & carrocio in forum educto, cum ibi omnes inſtructi ſtarent, Hieremæi inſurrexeruut, ac ſe contrà Mutinenſes cum Eccleſia ſentientes ituros negarunt. Quòd ſi Lambertacij pertinacius in propoſito permanerent, ſe Opizonem cum amicis Mutinenſiū accituros, ac domos Lambertaciorum, & ſociorum eorum appetituros, ac ferro, igneq; diſſipaturòs, eoſq; vrbe deturbaturos: & ſi illi Mutinā uiolaſſent, ſe Forumliuiū uexaturos, quò ſe contuliſſent, qui a præſenti ſtatu ciuitatis auerſi eſſent. Quibus uerbis auditis Lābertacij perterriti ſecū cogitare de ſua, & Foroliuienſiū incolumitate cœperūt, atq; utriuſq; ſeruādi cauſſa de bello Mutinenſi

omittendo

puli Bononiæ pacem compoſuit legibus infraſcriptis: Die nono Auguſti Conſilium, & Maſſa populi dederunt poteſtatem prætori, & præfecto populi ad procuratorem creandum, ad pacem componendam. poſtridie, ideſt decima Auguſti Videſtus de Ponte Caſali prætor Bononiæ, & Imolæ, & Iacobus Amorotus de Lanzauechis præfectus populi ex auctoritate omnium Antianorum, & conſulum populi Bononiæ, & decreto Conſilij, & Maſſæ populi facta die nona Auguſti conſtituerunt Fr. Bonuicinum ordinis Minorum ad pacem, & indutias faciendas inter Commune Bononiæ, & Commune Venetiarum de omnibus bellis, ac diſcordijs, quæ inter ſe interceſſiſſent, aut intercederent, promittentes, ſe rata omnia habituros, quæ illi egiſſent. Procurator autem ſpopondit, prætorem, & homines Bononienſes munitionem cuſtodum, quos habebant ad Primarium, in poſterum remoturos, ac caſtrum deleturos, neque amplius refecturos, ita vt intra duos menſes omnia euerſa haberent, neque moleſtiam Communi Venetiarum, aut hominibus allaturos, quin Dux, & homines Veneti Vicedominum in ciuitate Rauennæ habeant, quem habere debent ex pacto inter Ducem, & Commune Veneiorum, & Commune Rauennæ inito. Item promiſit, Rauennates ijs conditionibus Communi Venetiarum iunctos fore, quibus erant, antequam bellum inciperetur. Die quintodecimo Auguſto Laurentius Teupulus Dux Venetiarum conſtituit procuratorem Laurentium Pugnam ad pacem faciendam remiſſis omnibus bannis, & iniurijs allatis à Communi Bononiæ Communi Venetiarum per cauſſam belli, & promiſit, ſe ratum habiturum, quod ille ſtatuiſſet. Item promiſit, ſe conceſſurum, vt quotannis Bononienſes per ſuos miniſtros poſſent extrahere ex Marchia Anconitana, & Romaniola viginti millia corbium frumenti, & per mare, & per portum Primarij, & per aquam Bononiam pro vſu ſuo deuehere, & vt quotannis de ſale Ceruiæ poſſent per mare, & per portum Primarij, & per aquam Bononiam deuehere triginta millia ſalis pro vſu ſuo, ita vt ad caſtrum S. Alberti ad Primarium ſedere poſſint tres homines, qui nomine ſuo id frumentum, & ſalem explorent, & bona fide æſtiment. De captiuis verò vtrinque factis res integra maneat vſque ad feſtum S. Andreæ proximum; ad quem diem ſi nihil erit tranſactum, res ſint in eo ſtatu, quo nunc ſunt. His hoc modo tranſactis Bononienſes caſtrum remouerunt, atque omnibus lignis Fratribus Minoribus Rauennæ donatis copias reduxerunt. Interim Hieremæi Lambertacijs fruſtra reluctantibus tenuerunt, ut Forumliuium

exercitus duceretur, atque eò profecti caſtra ad urbem poſuerant, atque inde excurſionibus, ac certaminibus urbem, & agrum eorum infeſtum reddere inſtituerant. Bello autem ardente accidit, ut Eduardus rex Anglię à bello Saracenico rediens eò accederet. cum autem cauſſam belli cognouiſſet, atque incitatos vtrinque temere animos cerneret, officij ſui eſſe putauit, ut ambas partes ad concordiam, pacemque redigeret. Vbi uerò rem aggreſſus nihil ſe proficere obſtinatis ad exitium animis ſenſit, utroſque dimiſit. Hieremęi uaſtato agro, ſegetibuſque corruptis domum regreſsi ſunt. Gregorius autem pontifex, ut laboranti iampridem Eccleſię, quam poſſet, opem afferret, atque in primis ut principes, ac populos Chriſtianos ad Terram Sanctam ex manibus Saracenorum extorquendam acueret, concilium Lugdunum in inſequentem annum indixit. Itaque & ipſe adeſſe cupiens Viterbio profectus Florentiam XIII. Kal. Iulias adijt, atque ibi ęſtatem mira urbis amęnitate captus traducere ſtatuit. mox cum ciuitatis ſtatum uarijs ſeditionum fluctibus agitatum animaduerteret, pacem ſibi inter factiones conciliandam ſuſcepit, ac Carolo rege adhibito, & magiſtratibus, & principibus aduocatis orationem ad eos admodum grauem, atque utilem habuit. quam, quia his illuminandis temporibus apta eſt, ijſdem uerbis hîc intexere placuit, quibus à S. Antonino refertur: *Cum ad curãdas hominum infirmitates ſuos diſcipulos magiſter ille ſupremus dimitteret, in quancumque domum intrarent, pacem ei domui dicere præcepit. Et nos igitur, quanquam immeriti ad huiuſmodi muneris ſucceſſionem uocati ſic in mandatis ambulaſſe credemur, & præceptum domini, cui non parere nefas eſt, adimpleſſe, ſi hanc ueſtram urbem ingreſſi pacem illi edicamus. Nam quid agat quis uel ad obedientiam maius, uel ad utilitatem hominum condecentius? conſtat enim nec domum, nec ciuitatem ſaluam eſſe ullam poſſe, ſi pax exulet, diſcordia inſit. Vnde ex eodem ſacrario illa quoque ſunt prompta: Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Equidem iam antea diſcordias, & diſſenſiones huius populi audiens, mecum ipſe horrebam, & nunc cum hanc ueſtram urbem inſpexi, ac propius morbo admoui manum, uehementius horreo, miſereorque uòs prudentes quondam homines in tantam amentiam eſſe prolapſos. Etenim per immortalem, & ineffabilem Deum quid ſibi uolunt hæc partium ſtudia? quid contentiones iſtæ ciuiles? quid ineſtinguibile odium, ac penè ueſanus male-*

uolentiæ

uolentiæ ardor in proximos, in ciues, in conſanguineos ueſtros? Eſt hominum quidem pueriles ſtultitiæ annos ſupergreſſorum conſilij ſui, præſertim in re maiori, & ſeria rationem aliquam probabilem reddere. Vos quæſo utra tandem ratione factum ueſtrum defendere poteſtis, diuina ne an humana? Atqui ſi diuina reſpicitis præcepta, nihil eſt fere, quod magis diligere debeatis, quàm proximos veſtros, vos capitaliter eos odiſtis: ſi humana, nihil magis, quàm patriam, vos impie illam euertitis; neque enim patria quidquam eſt aliud quàm ciuitas, neque ciuitas aliud, quàm ciues ipſi, quos qui pellit, qui necat, qui perſequitur, propinquos odit, patriam vaſtat. At vnde iſta ueſania, vnde hic tantus manat furor? cauſſam profecto non leuem, non contemnendam, ſed grauiſſimam, vrgentiſſimamque ſubeſſe oportet, quæ ad tam nefaria mentem, voluntatemque perpellat. Quæ nam eſt igitur, hæc tam præpotens, tamque perurgens cauſſa? iuuat enim audire, immo doleo audiuiſſe. Quod Guelfus es, inquit, aut Gibellinus, nomina ne ipſis quidem, qui illa proferunt, nota. In his non nobilitas modo, uerum etiam fatua plebs, cuius nec intereſſe quidquam poteſt, inſanit. ac prout huius, uel illius factionis eſt, ita alterius nomen in opprobrium iactat, & capitali perſequitur odio. Ea nimirum cauſſa eſt, qua ciues necantur, domus incenduntur, euertitur patria, ſititur proximi ſanguis. O puerilem ſtultitiam, ò amentiam ſane non ferendam: Gibellinus eſt, at Chriſtianus, at ciuis, at proximus, at conſanguineus. ergo hæc tot, & tam valida coniunctionis nomina Gibellino ſuccumbent, & id vnum, atque inane nomen, quod quid ſignificet, nemo intelligit, plus valebit ad odium, quàm iſta omnia tam præclara, ac tam ſolida, expreſſaque ad caritatem? Neque verò magis ego uos, quàm illos reprehendo, nam utriſque idem eſt error, & querelæ ratio par. vtraque enim factio dum potuit, ciues pepulit, domos incendit, ſanguinem proximorum concupiuit: altera alteram ſæpius ulta eſt, & ab irato Deo quaſi flagellum quoddam ad affligendum alterutrum uiciſſim traditum. Cum igitur in ijs, quæ ſuperiore tempore à vobis factitata ſunt, inſignis ſtultitia, ueſanus error, euerſio patriæ, ac diuinæ ſimul, humanæque legis contemptus non cernatur modo, uerum etiam palpetur, quid iam tandem de hominibus non ad extremum perditis? non ne contraria facere velle, quàm adhuc feciſtis. Reſipiſcite ergo aliquando, & hæc partium ſtudia peſtifera quidem, ac deteſtanda obliuione ſempiterna delete. ſit pro odio caritas, pro maleuolentia dilectio, pro euerſione ſtatus, pro pernicie ſalus: Ecce enim illi ipſi, quos urbe eieciſtis, præuenientes pacem petunt, ac depoſito inani partium furore, memo-

riaque omnium præteritorum deleta concordibus uobiſcum animis uiuere cupiunt. Id illi nunciant, id illi ſuppliciter expoſcunt. Quomodo igitur pax etiam ad mundi huius inanem faſtum glorioſior, & honorificentior eſſe poteſt, quàm uobis remp. obtinentibus pacem ab illis peti, ac ueſtro beneficio in urbem reduci? Nempe in alterutris iniurijs extrema quæque ac cerbiſſima eſt. Si itaque illi accepti recentis uulneris memoriam deponere parati ſunt, quid vos, qui id vulnus intuliſtis, facere decet? non ne multo procliuius memoriam omnium iniuriarum obrutam uelle? Denique quoniam hæc veſtra ſtudia pro Romanis pontificibus contra eorum inimicos ſuſcepiſſe aſſeueratis, ego Romanus pontifex hos ciues veſtros, & ſi hactenus offenderint, redeuntes tamen ad gremium recepi, ac remiſſis iniurijs pro filijs habeo. Et vos ergo in noſtra cauſſa non plus, quam nos ipſos velle par eſt. Quare ſi bellum pro nobis ſuſcepiſtis, pro nobis etiam pacem ſuſcipiatis. Hac oratione offenſi præcipue Guelfi ſunt, iniquè ferentes, pontificem cauſſam inimicorum aduerſus amiciſsimos ſuſcepiſſe: quare ſe facturos abnuerunt, ut capitales hoſtes ſuos in urbem reciperent, ac tranquillitatem reip. perturbarent. Inſtante inde pontifice eò delapſi ſunt, vt rem ad Caroli arbitrium, iudiciumque referrent. qui cauſſa cognita V. Idus Iulias pacem inter vtranque factionem pronunciauit, ac grauiſſimas in eos, qui violaſſent, pœnas conſtituit, & obſides multos à Gibellinis pro fide cuſtodienda exegit. Quarto inde poſt die Gregorius, pace à factionibus uiolata offenſus, ciuitate interdicto ſubiecta, diſceſsit, ac reliquum æſtatis apud Vbaldinos in Mugello tranſegit. Inde Septembri menſe venit Bononiam. unde profectus recto Aemiliæ itinere Placentiam in patriam adijt V. Non. Octobris, ac ſecum Othonem archiepiſcopum, quem reſtituere cupiebat, adduxit. quem poſtquam à Turrianis uidet repudiari, Placentiç ſubſiſtere uſque ad ſuum à Concilio reditum iuſsit. Placentia inde digreſſus VIII. Idus Mediolanum à ciuitate obuiam cum carrocio prodeunte exceptus iniuit. Ibi Turrianis reconciliatus Raimundum Napi fratrem epiſcopum Comenſem eccleſia Aquileienſi ornauit. ac poſt biduũ urbe profectus Lugdunum proceſsit. Interim principes Alamaniæ Francofordiam ad regia comitia conuenerunt, atque uarijs inter ſe certare ſententijs inſtiterunt, cum quidam ex eis æquum eſſe, Alphonſum retinere cenſerent, alij uerò, regem Germaniæ, non niſi ex ipſa Germania, legi debere, contenderent. Ceterùm Gregorio

gorio aperte denunciante, ſe creaturum regem, niſi ipſi commu ni concordia delegiſſent, demum IV. Idus Octobris omnes uno animo in Rodulfum Comitem Habſpurgi, principem exiguarũ quidem opum, ſed maximos gerentem ſpiritus conſenſerũt. Nouariæ Bruſati arce à Turrianis condita obſidione potiti ſunt.

RODVLFO REGE.

PER eoſdem dies archiepiſcopus Aquinenſis legatus pontificis Brixianos inter ſe reconciliatos mox cũ Turrianis etiam pacem facere iuſſit cum eo, ut libras mille ducentas Franciſco Turriano tribuerent pro mercede præturæ, qua illum iniuria deieciſſent, atque extorres centum quinquaginta proſcriberẽt. Quibus rebus perfectis inde foſſas, & propugnacula Vrceorum, Palatioli, & Semigę, quę à ciuitate defecerant, adæquari pręcepit. Poſtero, Fr. Thomas Aquinas Neapoli à pontifice ad Conciliũ 1274
euocatus in itinere mortem Nonis Martijs ſanctiſsime obiit. Otho archiepiſcopus haud ambiguas Turrianorum inſidias ueritus Lugdunum ſe contulit. Gregorius autẽ pontifex Kal. Maijs Concilium inſtituit, quò non ſolum frequentes epiſcopi conuenerunt, ſed ipſe etiam Imp. Conſtantinopolitanus & Philippus Francię affuit. In eo quæſtio de Spiritu ſancto tractata, coactiq; Gręci confiteri, Spiritum Sanctum à Patre, filioq; procedere. expeditio item in Terram Sanctã decreta. Comitia pontificia, quę propter diuturnas patrum diſſenſiones in longum trahi erãt cæpta, legibus nouis formata, & cõclaue inſtitutũ, vt eis anguſtijs Cardinales aſtricti rem pontificiam maturius expedirent. Electio etiam Rodulfi Cęſaris aduerſus Alphonſum confirmata. Fr. Bonauentura ſummus ordinis Minorum theologus in Cardinalium numerum in Pentecoſte cooptatus. Cõcilium pridie Non. Auguſti perfectum. Interim Mãtuę, & Bononię bellum ex diſſenſione partium excitatum. Mantuę Pinamons urbis dominatum in multos annos inuaſit. Cum enim placuiſſet, ut multarum ciuitatum exemplo pręfectum ambę ſibi factiones aſciſcerẽt, factũ eſt, ut una Pinamontem Bonacolſium, altera Othonem Zenecallum delegerit. Othone uerò inde poſt tres menſes per fraudẽ occiſo ſolus Pinamons pręfecturam obluctãte nemine tenuit. Poſt

autem cum præfecti generalis titulum ſibi vindicans Arlottos, Agnellos, & Groſſos aduerſarios eſſet adeptus, & ipſos pariter exire urbe coegit, & cum Gonzagam occupauiſſent, diu ibi obſeſſos fame ad deditionem faciendam adduxit. Bononiæ uerò uentum eſt ad eas anguſtias, quas euitare prudens ciuitas, ſic ipſo probante Deo, non potuit. nam quò ſerius ceteris, eò truculentius ſua in ſemet arma conuertit, ut uerè illud Iſaiæ in illam conueniat: *Bibiſti de manu Domini calicem iræ eius, & potaſti uſque ad fæces.* Quippe Aprili menſe Hieremæos gloriantes, quòd nouum populi decretum elicuiſſent, ut exercitus Forumliuium Lambertacijs inuitis adduceretur, Lambertacij dolore, atque iracundia incitati ex improuiſo adorti ſunt, atque vniuerſo populo ad capiẽda arma progreſſo, ex feneſtris, & tectorum culminibus lapides temere in eos iacere inſtituerunt. Quare populus ira percitus ad Gulielmum prętorem contendit, orans, vt recentibus tam fędi exempli tumultus auctoribus dignam pęnã infligeret. Quibus ille uocibus excitus continuo, ut eorum furorem, rabiemq; comprimeret, quattuor ædes Lambertaciorum, & duas Hieremæorum euertit. Neque verò ea res ſeditionem ſedauit. verùm vtraq; pars ſubſidijs extrinſecus accerſitis aſsidue inde die, nocteque dimicare perſeuerauit, ferro, igne, ac machinis nõ aliter, atq; ſi in caſtris cum acerbiſsimis hoſtibus inſtructa acie decertaret. nec ſolum in foro, aut in uijs conflixerunt, verùm etiam ex turribus alter alterum appetere, atq; oppugnare contenderunt, tãta cędis, ac ſanguinis ciuilis cupiditate ardẽtes, ut uix ſomno, aut cibo capiendo uacarent, matronę uerò viriles ueſtes, animoſque indutæ pugnantibus ſuis arma, ac cibos eadem animorum alacritate ſubminiſtrarent. Quo fiebat, ut plurimis quotidie cadentibus, aut vulnera accipientibus, multis etiam tectis incẽdio conflagrãtibus ingens ubique tumultus triſti męrore, luctuq; miſtus hæreret. Interim ſuum utriſque ſociale ſubſidium venit. Ea re comperta Collegium Branchæ, & Grifonis ad portam S. Felicis menſe Iunio prodierunt, ac Lombardis ſocijs Guelforum aditum obſtruxerunt. Inde porta S. Iſaię obuiam Florentinis egreſsi certamen in alueo Rheni cum eis acrius ędiderunt, teſtantes, nolle eos urbem Bononiæ perdere, per inde ac Florentiam perdidiſſent, in quo multi capti, cęſique ſunt. Qui uerò Lambertaciorum ſubſidio ex Romaniola ueniebant, nuncio de ſubſidijs

Guelforum repulſis accepto, Imola per occaſionem, & Solarolo receptis ſeſe Fauentiam rettulerunt. Ad extremum Collegia cum tribunis plebis iuſſerunt, ut ambæ factiones armis poſitis fidei conſeruandæ gratia ſibi obſides darent. ac datos cuſtodiæ Collegij Branchæ commiſerunt, in quo ambæ partes plurimum confidebant. Dimiſsis inde Hieremæianis Lambertaciani Caſtrum francum traducti ſunt, ut ibi manerent, quouſque à Gibellinis Imola, Fauentia, & Forumliuium redderentur. His ita rebus compoſitis Hieremæi carrocium in forum perduxerunt, vt ad has urbes repetendas contenderent. Quod vbi Lambertacij conſpexerunt, uetere, ac noua ira exſtimulati ipſum repentino impetu inuaſerunt, ac præſidio interempto certamen multo, quàm ante, acerbius inſtaurarunt. Collegijs autem cum reliquo populo in Lambertacios, tanquam perfidos, incurrentibus, atque omnia promiſcuâ cæde ſternentibus, Lambertacij rebus ſuis diffiſi, tempori cedere ſtatuerunt, ac die S. Io. Baptiſtæ relicta patria Fauentiam ad duodecim millia hominum confugerunt, ubi Theobaldus Acariſius ciuis Bononienſis princeps factionis agebat. In ea pugna Peregrinus Ruſticanus, Magoratus, Bonifacius Areoſtus, aliique multi cecidêre, reliquis exilium indictum, & bona publicata ſunt. Gulielmus, & Iacobus prætura, & præfectura depulſi. Ea ſeditio XL. dierum ſpatio ſæuiit. Profectis Lambertaciis Hieremei ſubinde uictoria uſi bellum perſequi ſtatuerunt. Itaque Octobri menſe Mutinenſibus, ceteriſque ſocijs, quos ſupra diximus, euocatis exercitum Imolam adduxerunt, eaque recepta, inde Fauentiam perrexerunt, agroque uaſtato urbem obſidione ſeptam uario machinarum genere oppugnarunt. Verum quia à Lambertacijs ſtrenue defendebatur, potiri ſe poſſe diffiſi imminente hieme reliquerunt. Qua re cognita Foroliuienſes ſibi timentes Vidonem Comitem Montiſferetri uirum ſtrenuum ducem ſibi ex Gibellinis depopoſcerunt. Per eoſdem dies Turriani aduerſus Bruſatos Nouarienſes quieſcere neſcientes tanto apparatu egreſsi ſunt, ut eos timore perterritos præceptis ſuis obtemperare, atque obſides in fidem dare coegerint. Rodulſus autem rex legatis à Napo miſsis ſolicitatus ipſum generalem Vicarium Mediolani conſtituit, firmamque ei cohortem Germanorum

ad capitis eius cuſtodiam tribuit, cui ipſe filium Caſſonum præfecit. Quod ipſum Italici regni per regem alienandi principium fuit. quæ res nos admonet, ut labori, induſtriæque noſtræ faſtigium imponere cogitemus. Lucenſes fœdus cum Guelfis Etruriæ, nempè Florentinis, Senenſibus, Piſtorienſibus, Pratenſibus, Sanminiatenſibus, Sangeminianenſibus, Volaterranis, Collenſibus, & cum Iudice Galluræ fecerunt, ac bellum Piſanis intulerunt. Se-
1275 quenti anno XIX. Kal. Febr. exules Mediolanenſes cum Hiſpanis militibus, & Bruſatis Nouariam urbem tenentibus præſidium è Ponte Ticini aduerſus Turrianos exigere inſtiterunt. Bonauentura Cardinalis III. Idus Iulij Lugduni uitam amiſit, ac præſente Gregorio pontifice ſepultura affectus eſt. Gregorius inde menſe Auguſto Lugduno profectus proceſsit Bellicadorum. Ibi cum Alphonſus rex obuium ſe tuliſſet, grauiſsime cum eo queſtus eſt, quod cauſſa ſua nondum diſcuſſa Rodulfum deſignari Cæſarem permiſiſſet. Cui ille per uiros legum peritos, quod in rem erat, reſpondit, ac cauſſæ illius infirmitate demonſtrata, ipſum ſe regni titulo abdicare, ac Rodulfo animo æquiſsimo cedere iuſsit. Inde pridie Non. Septembris litteras ad Parmenſem, & Comaclenſem epiſcopos dedit, ut Bonifacium Gallum in poſſeſsione eccleſiæ Rauennatis loco Philippi Fontanæ demortui conſtituerent. Mox Viennam, ac ſubinde Lauſannam progreſſo Rodulfus ipſe quoque cum coniuge, liberiſque occurrit, ac multis uerbis de rep. ac ſummis utriuſque rebus factis iurauit, ſe bona Eccleſiæ ſarta tecta tutaturum, propediem Romam ad coronam accipiendam uenturum, ac cruce ſumpta ad ſacrum bellum aduerſus Saracenos ſine ulla detrectatione properaturum. Tum in Lombardiæ campos degreſſus III. Idus Nouembris Mediolanum eodem, quo nuper honore, iniuit. ac Turrianis benigne habitis præter ſpem omnium Othonem Bugellæ ſe in exilio continere mandauit. Recta inde iter per Aemiliam ita habuit, vt Nonis Decembris Regij feſtum S. Nicolai peregerit. Demum in Etruriam tranſgreſſus Arretium petijt. Interim Bononiæ Hieremæi bellum Fauentinum continuarunt, quod imperfectum ſuperiore anno reliquerant. Quippe VI. Idus Aprilis Malateſta

præfecto populi duce cum magnis equestribus, ac pedestribus copijs ad Fauentiam prodierunt, ac castris ante portam positis leui prœlio facto XL. Fauentinos interemerunt. VII verò Kal. Maij cum annuo quasi defuncti officio domum ſe reciperent, forte inciderunt in ducentos equites, & quingentos pedites Lambertaciorum, copiaſque Fauentinorum, quæ ſe à castris agriſque Bononienſium populandis ad vrbis ſuæ defenſionem referebant. Quibus uiſis ira euecti manum ſine cunctatione conſeruerunt, verùm a Lambertacijs præpotentibus pulſi acrius, quàm constantius depugnarunt. quare in fugam uerſi ad fluuium Sanguinarium tanta clade affecti ſunt, ut maiorem memoria non tenerent. ſiquidem amiſſo carrocio, quod Fauentiã perductum eſt, præter eos, qui Senio amne hausti ſunt, duo millia cęſa capti quinquenti ſunt vnà cum tribus millibus curruum, qui res exercitui, & obſidioni neceſſarias deferebant. Ex principibus periere Nicolaus Baccialerius, Henricutius Gallucius, Tomaſinus Areoſtus, Hugolinus Zambonus, Gulielmus Malauolta, Albertus Sala, & Bartholomęus Baſacomatrà. Reliqui domum reuerſi haudquaquam animum demiſerunt. uerùm opportunis conſilijs initis ſubito exercitum, & carrocium cum reliquo militari apparatu reſtituerunt, & poſt dies XL. iterum ad Fauentiam contenderunt eo animo, ut, ſi res ferret, de ſumma rerum vna dimicatione decernerent. Fauentinis acceſſerunt Foroliuienſes Vidonem ducem cum mille equitibus peregrinis habentes. III. Idus Iun. qui dies S. Antonio Patauino ſacer erat, Malateſta ad S. Proculi pontem profectus populatoribus ad ſegetes incendendas immiſſis equites inſtructos in conſpectum vrbis dedit, pedites verò longo ſe interuallo ſubſequi iuſsit. Hoc vbi Vido comperit, locum ſibi rei benegerẽdę datum ratus copias ſuas numero quidẽ inferiores, ſed uallo equitum firmiſsimo ſeptas educit, & cõtra eum procedit: neque uerò Malateſta prœlium detrectauit. Itaque cõmiſſa pugna acriter vtrinque confligitur. Ne tum quidẽ equites Lambertaciorum impetũ pertulerunt. verùm in fugam coniecti ſeſe inſequẽtibus hoſtibus cędendos, & capiendos obtulerunt, nobilibus id ęquo animo patientibus, quibus plebs ſuperbe admodũ inſultabat. Itaq; Comes Panici, vt populũ fugientẽ aſpexit, ſęuo ipſum conuicio excepit, ac ſuę illum inſolentię admonuit. Pe-

ditatus vbi equites disſipatos terga dare uidit, in vnum collatus ad uexillum carrocij conſtitit, atque ibi ſe confirmauit. Vido verò ſuperueniens primo poſtulauit, ut ſe dederent, antequam ferro conciſi vniuerſi perirent. Quod vbi abnuentes animaduertit, ſiti, metu, ac mœrore confectos in armis per aliquot horas continuit. poſt autẽ dimicare coactos, cum locum ad uibrandos gladios propter conſtipatos, ac conſertos inter ſe ordines non haberent, pro arbitratu cecidit. Ad extremum magna una prę ceteris baliſta prolata cuneos eorum ita diſiecit, ut funditus profligarit. Quare multis occiſis, captiſque, reliqui conſilij inopes ſe ſine certamine dediderũt. Ea pugna a Nona uſque ad Veſperas eſt pugna. quattuor millia deſiderata, capti mille ſexcenti ſunt, tentoria, & currus cum inſtrumentis bellicis ad quattuor millia in poteſtatem hoſtium peruenerunt. Lambertacij ex ſpolijs Hieremęorũ locupletati egregie ſuum ſe vltos eſſe exiliũ arbitrãtes, mox eodem & animorũ, & victoriæ impetu ſeſe ex agro Fauentino in Bononienſem incitauerunt, atque populatione effuſe facta complura caſtra ſine magno admodũ certamine receperũt. Quibus rebus auditis Ceruienſes, qui ſoli in ditione manebant, abſciſſas res Bononienſium rati ad Foroliuienſes ſe contulẽre, Princiualle Stuffa oppidũ, cuius ipſe cuſtos erat, repẽte prodente. Triſtis huius tã acerbæ cladis nuncius in vrbẽ allatus ingenti ſtatim omnem ciuitatem męſtitia, luctuque repleuit, cum ſinguli propriam, vniuerſi autem publicam fortunam uelut in extremo rerum diſcrimine complorarent, ſeque repente ſua culpa ex altisſimo dignitatis, ac potentiæ culmine deturbatos aduerſo vno prelii certamine cernerent: quippe uniuerſa Romaniola alienata in magnum etiam vrbis ſimul, ac libertatis amittendæ periculum deueniſſe. Quare clauſis tabernis, iuſtitioque indicto omnium animos illa una cura, & cogitatio occupauit, vt conſeſtim remedia tantis malis auertendis, ac propulſandis idonea quęrerentur. neque enim res moram pati uidebatur, cum ciuitas duabus partibus, una eiecta, altera afflicta in apertisſimũ diſcrimen ſeruitutis eſſet adducta, ſi vicini cõſociatis armis unà ad ipſius perniciem conſpiraſſent. Multis in Cõſilio dictis ſententiis demum eò decurſum eſt, ut auxilium a rege Carolo peteretur, iſque libertatis uindex, is partium tutor optaretur. Legati ad id publice miſsi paucis urbis ſtatum, ac ciuitatis poſtulatum

expo-

expoſuerunt. Quæ ubi ille cognouit, ut erat ſumma comitate, ac prudentia præditus, extemplo eos ſe in fidem accipere, neque temporibus eorum aliquando defuturum eſſe reſpondit. atque ita confeſtim Ricardum Beluarum, hominem Burgundum prętorem Bononiam cum firmo militum prępſidio miſit. Quę res ut mirifice ciuitatis animos recreauit, ſic hoſtium urbi imminentium impetum refrenauit. Poſtero anno Gregorio IV. Idus Ian. 1276
mortuo Petrus Tarantaſienſis ordinis Prædicatorum ex epiſcopo Oſtienſi XII. Kal. Febr. ſuffectus Innocentij V. nomen accepit. Is conſecratus Arretio Viterbium abijt, atq; ibi Florentinos interdicto Gregoriano exoluit. Illo uerò poſt quinq; menſes Romę extincto, Cardinales Çarolo rege vrbis ſenatore pręſente Othobonum Fliſcum Genuenſem S. Hadriani diaconum Card. IV. Idus Iulias ſuffecerunt, atq; Hadrianum V. vocarūt, qui ut ſe immenſæ Caroli in urbe potentiæ ſubtraheret, Viterbium abijt, ac Rodulfum Cęſarem, prout Gregorio promiſerat, in Italiā uenire ad imminuendas opes eius pręcepit. atq; inde intra XI. dies vitā nōdum conſecratus amiſit. Hunc verò mox Io. Petrus Vlyſſiponenſis Tuſculanus epiſcopus Idibus Septembris excepit, ac Ioānis XXI. nomen aſſumpſit. Rodulfus Boemico bello implicitus in Italiam uenire non potuit. Interim Bononiēſes omnes eò uires neruoſq; ciuitatis intendêre, ut caſtra ſua, quæ ab aduerſarijs capta erāt, in poteſtatem redigerent. Quare Ricardo prętore duce menſe Maio equites portę S. Petri, & poſt etiam Rauennatis urbe egreſsi ad caſtrum Petræ Colorę acceſſerūt. Erat loci cuſtos Gualandus. hic ubi oppugnando oppido ad deditionē perpelli non potuit, delinitus decem millium librarū munere ceſſit. Ita caſtrum cum decem exulibus Lābertaciorū uenit in ditionem. quo facto, ne amplius receptaculum hoſtium eſſet, à fundamentis eſt dirutum. captiui Bononiam abducti, atque in cubiculum Prætorij conditi. unde poſtea carcer ille Petræ Coloræ nomen obtinuit. Hac re proſpere geſta inde tota belli moles Lollianum traducta. quo equites portę Sterię, & S. Proculi mēſe Iunio proceſſerunt. Et hoc, poſtquam diu fuit māganis laceratū, Vbaldino Lollianenſe præfecto dedente potiti ſunt. Ille verò cum ad Hieremęos tranſiſſet, & in Conſilio populi partē eorū iuraſſet, libris quattuor millibus, & quingētis à ciuitate donatus eſt. Inde ad cetera loca adductus exercitus rem conatu feliciore cōfecit.

ac pręcipue caſtrum Leonis Sextum, & Biſſanum primo impetu expugnauit. Quare multiplici victoria parta lętior, atque animo erectior eſſe ciuitas, vt in rebus ſęuis, ac prope perditis, cœpit. Ceterùm inſignis annus prodigioſa imbrium aſsiduitate, & magnitudine fuit: quibus late exundantia flumina ſata prope omnia corruperunt, atque ipſa etiam itinera confuderunt. Hoc eodem anno Mediolani bellum inter Turrianos, & Vicecomites eſt incœptum, quod deinde ad multos annos uario rerum ſucceſſu protractū prorſus Turrianorum opes infregit, Vicecomitumq; firmauit. Quippe Gregorij pontificis obitu nunciato, Otho, quem Bugellę ab eo deſtitutum commemorauimus, ac ceteri Nobilium exules aſsiduis tributis exhauſti, atq; alijs omnibus vitę incommodis afflictati opportuna Papię conſilia de recuperanda patria, & bello Turrianis inferēdo inter ſe cōtulerūt, atq; ad id Gottifredum Languſci Comitem uirū fortem, & inter Papiēſes auctoritate, atq; opibus principē ſpe pręfecturę Mediolanenſis erectū ſibi ducem depopoſcerunt. Ita ſocijs, quos potuêre, vndiq; cōuocatis fines Mediolanēſium a partibus duabus inuadunt. Quippe Gottifredus ad lacū maiorem profectus ſtatim Aronam, atq; Angleriam occupat, ac ſubinde vicinarū ad ſe vallium acolas, mōtiumq; traducit. Otho verò in regionem Sepriē ſem progreſſus non ſolum Seprium ipſum repentino impetu opprimit, ſed etiam effuſis inde excurſionibus factis maximam finitimis pagis trepidationem inijcit. Quibus malis permotus Napus ſubito domeſticas copias, fęderataſq; collegit, ac Caſſono filio cū Germanorum manu validiſsima aduerſus eos emiſſo, ipſe impigre ſubſequi cum carrocio inſtitit. His autē Angleriā properātibus ſeſe ad Guaſſeram amnē Gottifredus obiecit, ac ſummo cum eis prœlio, verùm parum ſecundo, conflixit. Nam Turriani poſtquam ducem ſuū Germanum haſta ab eo transfoſſum uiderunt, ira perciti magna ui ſe in eum incitauerunt, ac cum ſuis terga uertere coegerunt. Quo in tumultu ipſe hærente in limo equo, & Theobaldus Vicecomes cum magno nobilium numero captus eſt. reliqui amiſſo duce perterriti alij Papiam, alij Nouariam pręcipiti fuga dilapſi ſunt. Otho primū Vercellas, deinde Bugellā delatus. Turriani mox victoria tanta inſolētius vſi illud barbara feritate fecerūt, quòd Gottifredum, ac Theobaldum cum XXIIII. nobilibus capite mulctauerunt. Theobaldus

enim iuuenis fuit cum corporis, tum animi robore inclytus, &, quod memoratu dignum eſt, Andreocij Othonis fratris filius, ac Magni Matthęi, qui poſt Vicecomitum propagauit imperiũ, pater. cuius mortem Otho impatienter adeo tulit, ut ſępe ſe eccleſiam amiſiſſe potius velle, quam tam eximiæ indolis iuuenem dixerit. Poſt aliquot inde dies Otho ab exulibus Vercellis conuentus, atque ad cauſſam Nobilitatis amplectendam, quæ patria pulſa tum ut cum maxime laborabat, rogatus in hunc modũ reſpondit: Non recuſo, ciues, quin operam vobis meam in tam afflictis rebus, quæcunq; ea ſit, præſtem, ac communibus calamitatibus conſulam, verùm meminiſſe vos volo, archiepiſcopi partes eſſe, acceptas iniurias non armis vindicare, ſed in domino condonare. Quare ego non magis laborabo, vt vos laribus veſtris reſtituam, quàm ut cum inimicis in gratiam redigam. Inde Nouariam profectus, atq; ibi idoneam militum manum nactus Seprium redijt, atq; omni ope oppugnatam recepit. Qua re cognita Napus, & Caſſonus propere cum ſuis copijs, & promptis Lombardorum auxilijs acceſſerũt, ac Seprium militari corona circundederunt. In ea obſidione duo maxima prælia edita, quorum uno Turriani fuſi, ac ſumma Othonis clementia conſeruati, altero Otho ipſe cum uniuerſa Nobilitate fugatus eſt. Verum in tanta rerum iniquitate ipſe præcipue auxilium ab inſita animo virtute petiuit. ſiquidem à Comenſibus iram Turrianorum extimeſcentibus, atque ab alijs occurrentibus locis excluſus, ac Canobij demum manere biduo tantum permiſſus, uſque adeo eloquentia ſua loci primores permouit, vt eorum ope naues, ac cętera ad renouandum bellum neceſſaria compararit. Quare Gulielmo marchione Montisferrati terreſtri, ac Simone Locarnate nauticę rei pręposito inde Angleriam repetiuit, eamque repente in ditionem adduxit. Aronam inde obſidentibus ſubito Caſſonus ſuperueniens tantam omnibus trepidationem incuſſit, ut ſtatim Gulielmus nulla tentata pugna Nouariam ſe receperit. Qua re animaduerſa reliquus inde & nauticus, & terreſtris exercitus pariter ſalutem fuga petiuit, ac caſtra, prędamque uniuerſam in Caſſoni poteſtate reliquit. Verum ne tum quidem animus Othonem ad rem labentem ſuſtinẽdam deſtituit. ſiquidem Nouariam reuerſus amicos bonum habere animum iuſſit, cladem nõ ipſorum culpa, ſed ipſius marchionis ignauia eſſe

acceptam, ſe poſthac belli gerendi rationem longe aliam initurum: Simonem autem ad Comenſes ſuos profectum admonuit, ut eos ad communicãdas ſecum belli rationes adduceret. Quòd ſi aſſequi non poſſet, ſaltem inter ipſas factiones diſcordias ſereret. Quod Simon tanta diligẽtia prꝑſtitit, vt non multo poſt ipſę prꝑlio inter ſe durisſimo cum inſigni Othonianę partis uictoria depugnarint. Qua re accepta lętus Otho Comũ ilico aduolauit,
1277 atq; ibi opibus ſuis cõfirmãdis incubuit. Ita in ſequenti ineunte anno Comi degens Ricardũ Languſciũ Gottifredi fratrem Laumelli Comitẽ ducẽ militarẽ aſciuit, & Papienſibus, Nouarienſibus, & Comenſibus euocatis, montana loca, & totam oram lacus Comenſis aggreſſus Cliuate, Leucum, & reliqua circum oppida cepit. Quas ob res tantum terroris Turrianis incusſit, ut Napus Caſſonum cum quingentis militibus mittere coactus ſit, qui illis tranſitum in agrum Mediolanenſem obſtruerent. ipſe uerò Como poſt egreſſus præcedente cruce, ac Ricardo cum vniuerſo exercitu ſubſequente agrum Mediolanenſem, nemine ſe obijciente, iniuit, inimicos pasſim in fidem recipiens, atque in officio ſui ſtudioſos confirmans. ac Decium, vbi multos annos canonicum egerat, ac plurimos necesſitudine ſibi deuinctos habebat, procesſit eo animo, ut aut ſummo certamine, aut oppidi expugnatione dignitatem ſuam ſimul cum libertate recuperaret. Quod ubi Napus cognouit, Pontium Amatum prætorem cum parte exercitus eò ire præcepit, ac mox ipſe cum reliqua ſubſequutus caſtra è regione Othonis locauit. Neque verò ardentibus vtrinque pugnandi ſtudio animis mora prꝑlio facta eſt. die S. Agnetis, qui XII. Kal. Febr. agitur, ad arma eſt uentum, tantaque utrinque cæde dimicatum, quanta per multos ante annos non erat. verùm infelici à parte Turrianorum euentu: neque enim ſolum Pontius prætor, & Franciſcus Turrianus pugnantes interierunt, ſed etiam Napus ipſe cum multis proceribus ſuis captus in poteſtatem Othonis peruenit. Etenim equo lapſus tandiu in luto nullis ſuis adiuuantibus iacuit, quoad Otho accurrens illum erexit, atq; è manibus multorum, qui capiti eius imminebant, eripuit. Quo facto continuo exercitus in fugam verſus quò quiſque potuit, ſalutis cauſſa petiuit. Hæc verò vbi Caſſonus vidit præſidio Canturij relicto Mediolanum propere ſe recepit, atque obiectis portarum clauſtris fer

ro,

ro, ſecuribuſque refractis ingreſſus magna feſtinatione vſque ad Broletum nouum peruaſit. Ibi populum ſub armis ſtantem alloquutus uetera merita Turrianæ gentes expoſuit, orans, ne ſe, patremque ſuum captiuum desererent, qui propter eorum defenſionem in tantas pręcipitati difficultates, atque anguſtias eſſent; ſupereſſe ſibi adhuc ad priſtinam fortunam retinendam uires, modo uoluntas eis opis impigre ferendę ſuppeteret. nemine autem reſponſum dante, aut ſignum aliquod propenſę uoluntatis edente, ne circumuentus in manus Othonis traderetur, extemplo urbe exijt, ac Laudemque Cremonamque acceſsit, à quibus repulſus Parmam contendit. Eo profecto Mediolanenſes factas Turrianorum opes ſentientes, urbem Othoni primo quoque tempore dedere ſtatuerunt, ac legatis Decium miſsis ipſum ut Eccleſię antiſtitem, & urbis principem ſalutarunt, atque ad poſſeſsionem accipiendam uenire orarunt. Otho autem cum Napum, ac quinque alios Turrianorum principes in arce Comi Baradello cuſtodiendos dediſſet, ad urbem iter conuertit: atque eò progreſſus antequam patentibus portis ingrederetur, Concilio ducum, ac procerum aduocato, ſic audientibus illis diſſeruit. Poſtquam uos Deus tantæ compotes victoriæ fecit, ut magno ueſtrorum inimicorum incommodo patriam, unde diu exulaſtis, mecum repetituri ſitis, rogo uos, ut benignitatem, ac clementiam erga aduerſarios ueſtros exerceatis, Dei pręcepta in memoriam potiſsimum reuocantes, cuius miſericordia, non uirtute propria tantam conſequuti uictoriam eſtis: neque uerò uos ſolum oro, ut à cæde, & ſanguine temperetis, ſed etiam, quod ſecundum eſt, à prędatione, & rapinis: neque enim decorum, aut dignum eſt, archiepiſcopum eccleſiam in magna ciuitatis gratulatione ineuntem aut funera, aut direptionem, aut lacrymas ullas ſuorum ciuium conſpicari. Quod ſi uos feceritis, cauſſam afferretis, ut inimici beneficijs ueſtris prouocati uobiſcum in poſterum benignitate, ac comitate contendant. Cui omnes reſponderunt, ſe facturos, ut ille moneret. Ingredientem ergo urbem ſacerdotes cum inſignibus, atque uniuerſus cum liberis, coniugibuſque populus ipſis præcedentibus ciuitatis ordinibus, lętis animis, uultibuſque pacem implorans excepit: inde ad baſilicam Ambroſianam progreſſum rerum omnium ſacrarum principem, atque humanarum do-

minum appellauit. Quibus rebus ordine abſolutis ille ad res ciuitatis conſtituendas conuerſus diem S. Agnetis, quo tanta quęſita uictoria fuerat, ſanctum, ac feſtum ciuitati in poſterũ eſſe iuſſit, præturã vrbis ex annua ſemeſtrem redegit, Ricardum Languſcium prætorem, Simonem Locarnatem pręfectum populi annuum fecit, aliquot plebeiorum familias de ſe optime meritas nobilium ordini aggregauit, reliquos uerò comiter adeo excepit, ut ab eis tanquam parens alter cultus ſit. Eodem etiam anno Veronam tumultus ingens perturbauit. Maſtinus urbis præfectus ius Pigotijs aduerſus quendam uirginis ſuę ſtupratorem non dixit. Ea re accenſa Pigotiorum familia Maſtinum ipſum aduerſario ſuo fauentem uindicare conſtituit, atque Scaramella Scaramellio in conſilij, faciniorisque ſocietatem aſcito ipſum in uia, dum per urbem equo ueheretur, adorta confodit. Quo facto uniuerſa ciuitate perculſa cum autores ſceleris euaſiſſent, repente correpti focij ſupplicio, ut in tanto flagitio decuit, capitali affecti ſunt. Præfectura inde communi conſenſu ad Albertum Maſtini filium eſt delata, ac dominatus decreto ciuitatis, quod adhuc legitur, confirmatus. Rauennę quoque nouum certamen obortum. Vido Polentanus minor, Lamberti filius, ecclesię ſtudioſus auxilio Lancilotti Malateſtę Ariminenſis generi ſui, nixus aduerſarijs ſuis Trauerſarijs pulſis, urbis Rauennę potitus eſt. Quo nuncio accepto Hieremęi ſibi faciendum eſſe putarunt, ut eum omni ope ad eam retinendam iuuarent. Quare pecuniam eò cum pedeſtribus, atque equeſtribus auxilijs duce Iacobo Prendipartio deſtinarũt. Quod ubi Gibellini exules eiuſmodi occaſionibus imminentes ſenſere, ipſos tertio à Rauenna lapide ex inſidijs inuaſère, ac cruento certamine edito centum pedites cum ipſo duce interemère, & pecunia erepta ducentos equites abduxère. Quæ præda pleriſque ipſorum, qui rebus neceſſarijs propter exilij diuturnitatem egebant, haud modico præſidio fuit. Eo anno Ioannes pontifex Viterbij in cubiculo dormiens repentina cameræ ruina oppreſſus XIV. Kal. Iun. uita ceſſit. Quo facto Cardinales Romam repetentes conclaue inierunt. Quoniam uerò Carolus rex urbis ſenator huic præſidens omne ſtudium eò contulit, ut Gallum aliquem ad pontificatum eueherent, tantum inter eos certamen accendit, ut comitia in ſextum uſque menſem di-

ſtulerint. demum Ioannem Caietanum Vrſinum Card. S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum VII. Kal. Decembris ſuffecerunt, qui Nicolai III. nomen aſſumpſit. Rodulfus autem Cæſar Rodulfum vicarium Imperij in Etruriam miſit, qui ſacramenta ab amicis, & in fide manentibus ciuitatibus poſceret, ac iura, quæ relinquebantur, Regni, ſiue Imperij retineret, à quo Gerardus præfectus monachorum Camaldulenſium XV. Kal. Septembris confirmationem priuilegiorum ueterum impetrauit. Annus hic fuit uarijs ſæuientibus morbis in populo infamis, quibus ingentes, atque aſſiduę pluuię acceſſerunt, propter quas neque ſegetes ſuo tempore colligi, neque ſeri frumenta potuerunt. Poſtero, Nicolaus 1278
pontifex ut ingentes in pectore ſpiritus aluit, ſic res magnas ſibi pro Eccleſiæ dignitate, ac ſalute obeundas ſuſcepit. Itaque ut Caroli regis nimiam iam in vrbe, atque Italia potentiam imminueret, ſenatoriam ab eo dignitatem repopoſcit. eaque recepta mox ſtatuit, ut nullus rex, aut regij ſanguinis, aut dignitatis excelſioris poſthac in ſenatorem urbis aſſumi, neque urbs à quoquam quocunque nomine regi ultra annuum ſpatium poſſet, niſi id pontifex præcipuo munere indulſiſſet. in decreto autem illo hæc inter cetera poſuit, quibus contumaciam quoque Romanorum erga apoſtolicam ſedem perſtrinxit: *Non ne Romana ciuitas ſub regentis eo tempore nefando ſubuerſa regimine ipſam vrbem ſpeculum fidei tanta reſperſit infamia, vt à matre ſua Ro. Eccleſia filia prædilecta deuiare compulſa, quondam Conradinum, qui de uenenoſa radice Friderici quondam Ro. Imperatoris colubri tortuoſi iuſto ipſius Eccleſiæ iudicio reprobati prodijſſe videbatur in regulum, quique ad exterminium Ro. matris Eccleſiæ manifeſtis indicijs una cum ſuis fautoribus aſpirabat, in contemptum Dei, ſuæ matris, ac ipſius urbis opprobrium patenter exciperet, recepto faueret, conſtituens ſe per hac tam patentis matris ſuæ Eccleſiæ filiam adiutricem?* Quin etiam eidem perſuaſit, ut Vicariatum Etruriæ Rodulfo Cæſari traderet, quò eum ad ſacram expeditionem accenderet. nam ipſum ſibi haud ſatis uirium ad tantam rem aggrediendam ſupereſſe cauſſari, quòd Carolus magnam partem Italiæ obtineret. Inde ad Rodulfum conuerſus, grauiter ſe offenſum, oſtendit, quòd ille contrà quàm Gregorio pontifici promiſiſſet, adhuc neque in Italiam ad coronam accipiendam ueniſſet, neque ad Hieroſolyma

recuperanda ſe comparaſſet, ac pro vicariatu Etruriæ reſtituto ab eo Romaniolæ Comitatum popoſcit, quem reges iam inde a Friderico primo ſibi in magna contentione retinuerant, cum ad ius Eccleſię ab antiquo pertineret. Rodulfus autem partim ipſo vicariatus Etruſci beneficio delinitus, partim Nicolai gratiæ fouendę cupidus haud inuitus fecit, vt Romaniolę iura, vnde modica quædam vectigalia exigebat, pontifici reſtitueret, idq; publicis ſcriptis tabulis confirmaret. Quibus rebus actis pontifex Fr. Latinum ſororis ſuę filium ex ordine Prędicatorum, quem IV. Idus Martij epiſcopum oſtienſem allegerat, legatum in Etruriam, Marchiam, Romaniolam, & Lombardiam decreuit, eiq; negocium Italiæ conſtituendę, ac pacificandę commiſit, ac mox Bertoldum Vrſinum fratrem Comitem Romaniolę declarauit, eiq; imperium ad eam, ſi reſiſteret, armis recuperandā attribuit. Is cum firmisſimo exercitu in Romaniolam profectus vrbes, quę à Gibellinis Vidone Montefeltrio duce tenebantur, recuperare inſtituit. ac bellum in ea regione in multos poſt annos inſtituit. Ex his Rauenna, Imola, & Ariminum dicto audientes extemplo fuerunt: Fauentini, Foroliuienſes, & Cęſenates, licet multis detrimentis affecti, tamen à Montefeltrio duce defenſi ad deditionem non potuêre perpelli. Bononienſes ad fidem iurandam vocati, iura Eccleſię ſe cognoſcere velle dixerunt, atq; eis cognitis iurarunt, iuri tamen ſuo cauere uolentes legatos cum procuratoribus ad eum Viterbium ad ſolénes actus proteſtationis obeundos miſerunt. Extant adhuc tabulę, ex quibus quemadmodum tranſactum negocium ſit, perſpici poteſt, ſcriptę in hęc uerba: *Anno MCCLXXVIII. Ind. VI. IV. Kal. Auguſti, Domini Nicolai papæ III. anno primo Antoninus de Manzolino legum doctor, & Liazarinus de Liazarinis ſyndici Poteſtatis, Capitanei, Conſilij, & Communis Bononiæ coram ſanctiſſimo Domino Nicolao papa, & uenerabilibus Cardinalibus Ordeonio Tuſculano, Bentiuegna Albanenſi epiſcopis, Anthero tit. S. Praxedis, Gulielmo tit. S. Marci, Gerardo baſilicæ XII. apoſtolorū presbyteris, Iacobo S. Mariæ in Coſmedin, Gottifredo S. Georgij ad Velabrum, Matthæo S. Mariæ in Porticu, Iordani S. Euſtachij diaconis Cardinalibus conſtituti fecerunt proteſtationem in hæc verba: Nos Antoninus de Manzolino, & Liazarinus de Liazarinis ſyndici Poteſtatis, Capitanei, Conſilij, & Communis Bononiæ proteſtamur, quòd per recognitionem dominij, ditionis, iuris, iuriſdictionis, poteſtatis, ac principatus gra-*

tiam

tiam facimus nomine Poteſtatis, Capitanei, Conſilij, & Communis Bononiæ pro ipſa ciuitate, territorio, & diſtrictu ipſius, & pro vniuerſis, & ſingulis prædictorum ciuitatis, territorij, & diſtrictus, videlicet, quòd ciuitas ipſa Bononienſis, & territorium, ac diſtrictus ad B. Petrum, & vos ſanctiſſime P. D. Nicolae PP. III. & ad ſucceſſores veſtros Romanos pontifices, & ad ipſam Ro. Eccleſiam pleno iure, ac integrè pertineant, & veſtri P. D. Nicolae III. & ſucceſſorum tuorum, & ipſius Eccleſiæ pleni dominij, iuriſdictionis, ditionis, poteſtatis, & principatus exiſtant. Et quòd per iuramentum fidelitatis, quod verbis præſtitimus, non intendimus, quòd per prædicta, vel aliquod prædictorum in aliquo derogetur iuri; ſi quod ex priuilegijs, & conſuetudinibus, pactionibus, & conuentionibus ipſis ciuitati Bononiæ, territorio, & diſtrictui eſſet legitime acquiſitum. neq; quòd per hanc proteſtationem iuri veſtro, & ſucceſſorum, & Eccleſiæ prædictorum, quod in ciuitate, territorio, & diſtrictu præfertis, vllum præiudicium generetur, nec defenſionibus competentibus ipſi Ro. Eccleſiæ, vel alijs contra priuilegia, conſuetudines, pactiones, vel conuentiones ſupradictas, ex quibus obſtaculum, vel impedimentum poſſit obijci, nec prædictis recognitioni, ac iuramento fidelitatis, quas ſimpliciter, & abſolute proteſtamur, ne per hæc in aliquo detrahatur. Volumus tamen, & proteſtamur, ut dictum eſt, vt iura prædictorum ciuitatis, territorij, & diſtrictus ſibi ſeruentur illæſa. Actum Viterbij in epiſcopali palatio in camera D. Papæ, Galeotto de Lambertinis, Guidone de Calbulo, Thoma de Ghiſelerijs, Nicolao de Laſtignano nuncijs ambaſciatoribus Communis Bononiæ. Inde pridie Idus Iulij Latinus legatus Bononiam venit, ac multa de concilianda pace loquutus cum Hieremæos ad obſides in rem dandos induxiſſet, rem conficere per Gibellinos intolerabilia poſtulantes non potuit. Itaq; inde profectus Florentiam adiit. ibi rem ex ſententia geſſit, ſi quidem VIII. Idus Octobris per delectos vtrinque procuratores oſculis interpoſitis partes conciliauit, ac Gibellinos in vrbem reduxit. inde decreto aduerſus mulieres inſigni confecto, quo eas velo, non reticulis, caput obnubere in publico iuſſit, in Romaniam ſe recepit. Ex altera parte Otho archiepiſcopus reliquias partę uictorię perſequens caſtrum Montorphanum, quod à Turrianis tenebatur, obſidendum, atque ipſos Turrianos, qui Cremonam confugerant, inde depellendos curauit. tum Laudenſibus imperium detrectantibus bellum per Victarinos exules mouit. Qua re cognita Caſſonus Parma, & Raimundus Aquileia cum firmiſſima uterque

militum manu auxilio aduolarunt: Ex quibus Caſſonus rebus fe-
licisſime geſtis ipſum in ſummum Imperij amittendi diſcrimen
adduxit. ſiquidem Bergato Viſtarinis adempto Lambrum tra-
iecit, ac nemine occurrente Melegnanum, Landrianum, Trili-
uium, & Cauaragium cepit. Inde Crema incenſa Papienſium
agrum inuaſit. tum inſulam Fulcheriam excepta Riuolta ſube-
git. tum ſuperbia elatus ad ſuburbia quoq; Mediolani procesſit,
atque inde haſtam in valuas ædis S. Euſtorgij torſit, ex quo ma-
ximus in vrbe tumultus eſt concitus. inde Brugnanum vltra Ber
gomum obſidione circumdedit. poſt V. Idus Auguſti Casſianũ,
inde ſe proripiente Othone, recuperauit, ac ſubinde Vaprium
occupauit. Quibus detrimentis noua capere conſilia Otho cõ-
pulſus Gulielmum marchionem Montisferrati belli ducem ſti-
pendio in quinquennium conſtituto conduxit, atq; ei ſummam
totius belli, paciſque commiſit. Quę res Turrianos à progreſſu
1279 coercuit. Sequenti anno pax multis in ciuitatibus ex pontificis
ſententia conſtituta. Bononiæ .n. Orlandus Canosſius prætor
indutias inter Hieremæos, & Lambertacios, quod Latinus ob-
tinere non potuerat, pepigit. Fauentiæ Latinus inter Manfre-
dos, & Acariſios pacem tranſegit. Rauennæ Bertoldus Polen-
tanos, & Trauerſarios inter ſe reconciliauit, ac Trauerſarijs in
vrbem reductis Bonifacio quoque archiepiſcopo adiuuante dã-
na, quę Polẽtani intulerant, reſarcienda curauit, atq; vtranq; fa-
ctionem obſequium iurare pontifici compulit. In alijs contrà
multiplex tumultus exarſit. Nam Parmæ cum fratres Prędicato
res mulierem nobilem hæreſis Catharorum conuictam damnaſ-
ſent, atq; igne ſubdito combusſiſſent, quidam tumultu populari
concito in eos inſurrexerunt, atq; iniectis temerè manibus om-
nes vrbe exegerunt. Quare à fr. Latino legato, qui tum Florentię
reſidebat, & ipſi piorum cõione depulſi ſunt. Mediolani verò
Gulielmus marchio ad caſtra amiſſa Othoni recuperanda egreſ
ſus Tricium primo impetu cepit. Inde Vapriũ aggreſſus Raimũ
do interueniente dimiſit. poſt autem cũ inter Othonem, & Rai-
mundum induti primum, deinde pax conueniſſet cum eo, ut in-
iuriæ ſponte abolerentur, captiui utrinque reſtituerentur, dam-
na ſarcirentur, caſtra occupata communi amicorum fidei, ac cu
ſtodiæ traderentur, Gulielmus arma ſpectans caſtra rurſus in-
uaſit, atque ubi uis aperta non ualuit, inſidias etiam Conrado

Caſtilioneo, & Huberto Ozeno, quibus illa pręcipue erant commiſſa, parauit. quibus patefactis Conradus Laudem profugit, Hubertus ſeſe in Ozeno caſtro ſocijs adhibitis præſidio confirmauit, atq; inde Papienſes, & Mediolanéſes infeſtis fatigare incurſionibus inſtitit. Quibus Gulielmus accenſus nouum delectũ habuit, atq; ad Ozenum profectus ipſum vehementi admota oppugnatione recepit. Eo anno Kal. Maij terra ſęuiſsimo, ac periculoſiſsimo tremore cõcuſſa, quo omnium animi inſolita formidine cõſternati ſunt. Camerini tectorũ partes duæ procubuerunt, ac multos vtriuſq; ſexus hoĩes ruinarum magnitudine contriuerunt. Tres montes, inter quos duo lacus, & caſtrum erant ſiti, penitus conſederunt, lacus autem & caſtrum ipſum voragine terrę abſorptum. In Romania & montibus inter Bononiam, ac Florentiam interiectis caſtra, atq; ædificia multa ad terrã prociderunt, multosq; item homines oppreſſerunt. Quo timore perculſi reliqui ſub dio habitare ſtatuerunt, ac paſsim in campis ſibi tabernacula poſuerunt, atque inter alios Latinus quoque legatus eodem modo habitauit. Cremonæ verò Albertus quidam uini portator mortuus tanta, atque adeo mirabilia ſanctitatis edidit ſigna, vt omnium in ſe oculos, menteſque conuerterit. Quo factum eſt, vt ad eius ſepulturam inuiſendam ingens accolarum numerus aduolarit. Milleſimo inde ducenteſimo octuageſimo 1280
Bertoldus Romaniolæ Comes Bononiæ præturam adminiſtrauit. Ille verò cum cetera ad conſtituendam urbem accommodata curauit, tum præcipue, ut fœdus inter factiones iungeretur, elaborauit. neque ſtudium fefellit euentus. ſiquidem obſidibus ab vtraq; parte acceptis, atque in diuerſas agri arces cuſtodiæ cauſſa dimiſsis ipſos ad oſcula inter ſe celebranda per delectos utrinque arbitros impulit. Ita Lambertacij V. Kal. Octobris permittentibus Hieremæis Bononiam redierunt, ac domos, & poſſesſiones ſuas recuperarunt. Quo facto poſtridie Bertoldus ambas partes in forum acciuit, ac ſingulas utriuſque factionis familias appellans omnes ad concordiam, pacemque ſeruandam nomine pontificis adhortatus eſt, admonens, eos obſides pignora præſtandæ fidei tribuiſſe, eoſque in poteſtate pontificis eſſe magna eorum pernicie, qui fide, atque officio deceſſiſent. Ita ciuitas priſtino frequentiæ decore, ornatuque reſumpto per aliquot inde dies à ſeditione, tumultuq; ocium habuit.

Paucis inde poſt diebus Gibellini quieſcere neſcientes conce-
ptam iampridem animis continere iram non potuerunt, ac pa-
lam fremere Guelfis audientibus inſtiterunt, ſe pręſenti ſtatu cõ
tentos non eſſe, dimidiã vrbanorum officiorum partẽ depoſce-
re, ni vltro daretur, ſe ui, ac ferro vindicaturos eſſe. Interim X I.
Kal. Decembris Nicolaus pontifex uita ceſſit. Neque ita multò
poſt Bertoldus in Romaniam ad Natalicia Domini celebranda
contendit. Quibus rebus Gibellini erecti pridie Natiuitatis ho
ra dieĩ tertia armati, atque inſtructi in forum proceſſerunt, eoq;
occupato mortem Guelfis magno clamore intentare cęperunt,
eoſque qui ad tumultum temere conuolarant, è foro exegerunt,
atq; ex eis ſexaginta necarunt. Qua re cognita præfectus rei mi-
litaris ſuos armari extemplo milites iuſſit, ac ſimul magna Guel
forum manu aſſumpta in forum prouolauit, & commiſſo cum Gi
bellinis certamine magno cum ſuorum detrimento pugnauit.
Demum plebs Gibellinis ciuitatis ocium perturbantibus infen-
ſior facta ſubſidio venit, ac prœlium, quod langueſcere uideba-
tur, accendit, idq; uſque ad veſperas, cum aſsidue ningeret, du-
xit. Hanc verò tempeſtatem vbi ſe ſuſtinere non poſſe Gibellini
ſenſerunt, foro tandem ceſſerunt, atque acriter in terga Guelfis
hærentibus uſq; ad portam impulſi vrbe ſe effuderunt, ac Fauen
tiam, & Forumliuium ſecedentes ibi ſe iterum confirmarũt, mul
tis ex ſuis relictis, qui aut capti, aut vulnerati, aut deſiderati ipſo
in certamine ſunt. Quibus omnibus mox ciuili rabie, domus in
vrbe, & uillæ in agro direptæ, atque incenſæ ſunt. Poſt paullo
Bertoldus ſeditionis huius certior factus in urbem recurrit, ac
Guelfis uictoriam gratulatus ex voluntate Conſilij Gibellino-
rum, qui abierant, ſex millia exilio, totidemque relegatione
mulctauit. Vercellis item Gibellini, homines ubique turbu-
lenti, atque auidi nouarum rerum exacti. Senogallia uerò con
trà per proditionem in poteſtatem Vidonis Monteſeltrii ue-
nit, qui iracundia percitus ſtatim homines mille quingentos
morte affecit. Cremonenſes autem & Parmenſes pace inter ſe
facta ſua ſibi uiciſsim, quæ tenebant, carrocia reddiderunt:
eamque rem magna populorum utrinque gratulatione, ac plau
ſu in vigilia Natiuitatis B. Virginis celebrarunt. Poſtero an-
1282 no Simon Turonenſis Card. tit. S. Cæciliæ presb. VIII. Kal.
Martij ad pontificatum euectus, & Martinus IV. uocatus. Is

Nicolai ueſtigia perſequutus, omnē item diligentiam adhibuit, ut Romaniolam ex manibus Vidonis Monteſeltrij pro domino ſe gerentis eriperet. Quare Ioannem Eppam, hominem Gallū, nepotem ſuum loco Bertoldi Comitem Romaniolæ declarauit, ac neceſſarijs rebus, copijſque inſtructum bellum aduerſus Vidonem, ceteroſque imperium Eccleſię abnuentes gerere imperauit. Bertoldus autem Romam diſceſſurus Hieremęos hortatus eſt, vt, poſtquā hoſtes ſuos exterminaſſent, poſthac paci, ocioque ſtuderent: & ſedem in primis pontificiā colerent: atque obſides vtriuſque partis ſe Romam adducere uelle, oſtendit. Tum illi enixe eum orarunt, ut ſuos ſibi reſtitueret: neque enim ſua, ſed Lambertaciorum, culpa de fide deceſſum eſſe. Quorum ille voluntati ſic paruit, ut X V. librarum millibus acceptis obſides eis ſuos reddiderit, Gibellinorum uerò ſecum adduxerit. Ioannes autem Vidoni Forumliuium eripere cupiens auxilia Bononienſium, Lombardorum, Tuſcorum, & Romaniolorum ad Gallicas, quas adduxerat, copias addidit, ac X I I I. Kal. Iulij Bononia in agrum Foroliuienſem agmine infeſto proceſsit, ac per octo dies eum longe, lateque omnia urendo, atque uaſtando percurrit, inde ad urbem progreſſus, atque à Vidone prouocatus diē illi pugnę denunciauit, quem tamen Vido mœnibus ſeſe continens nō obiuit. Quare urbe obſidione potiri diffiſus inde ceſsit, ac populatione agrorum redintegrata in agrum Fauentinum ſe rettulit, quem pariter direptione, atque incendio deformauit. Menſe inde Auguſto necopinatam Fauentię dolo recipiendę occaſionē eſt nactus. Tibaldus Zambraſius Caratonis filius uir inter Gibellinos eo tempore princeps à Lambertacijs Fauentię degentibus porco, quem in delicijs habebat, ludicro, vt aiunt, furto exutus, ac per contemptum irriſus ęgre vſque adeo tulit, ut extēplo animum ad eos ulciſcendos adiecerit. Quare adhibitis amicis ſuis dixit: Quid de his hominibus agemus, qui adeo ſuperbiunt, ut in nos, quaſi in captiuos ſuos inſultent? cui quidam ex eis nomine Gerardus reſpondit: Eijciamus eos. Tum Tibaldus ipſum aſſumpſit, ac ſacrum religioſi habitum, ne agnoſceretur, indutus Bononiam adiit, atque eſſe, quæ ſecreto cum tribunis plebis agere uellet, oſtendit, ac fidem eorum, quæ dicturus eſſet, tegendorū popoſcit. Colloquio inde impetrato ſe Fauentiam illis daturum promiſit, ſi ſecum pacem haberent,

& caput ſuum cuſtodirent, ac ſe, & propinquos ſuos ciuitate donarent, & in collegia ciuitatis aſcriberent. ipſe verò contrà ſe iureiurando, quoad uita ſuppeteret, partes Guelforum aſſertuſum obſtrinxit. Tribuni re cum Ioanne Comite, Stoldo Roſsio prætore, ceteriſque, quibus opus erat, communicata conditionem acceperunt, ſi Tibaldus in ea, quæ promiſerat, obſides daret. Quare Tibaldus non ſolum obſides, ſed etiam prædes ſe daturum reſpondit; atque ita re compoſita diſceſsit. inde diem, quo pars magna Gibellinorum ad quoddam caſtrum obſidendum exceſſura erat, indixit. quæ vbi venit, ille cum ſuis, quos conſilij fecit participes, nocte vias vrbis obſepſit, vt Gibellinis copiam auxiliorum adimeret, & mox ſecuribus portam vrbis refregit, qua patefacta Ioannes Comes, ac Stoldus prætor, qui cum exercitu Bononienſium, Gallorum, Guelforumque aduenerant, in urbem irruperunt, atque antequàm Gibellini ſentirent, in forum mortem eis inclamantes accurrerunt. Gibellini nocturno tumultu exciti, atque hoſtile aliquid eſſe rati, & ipſi mox in forum armati prouolarunt. princeps eorum erat Magarotus, qui explicito vexillo omnes poſt ſe ceteros trahens atrociſsimum cum Guelfis prœlium inijt. Hunc verò vt ſe inter alios oſtentantem Guidottinus Prendipartius Bononienſis aſpexit, equo propulſo lancea ſuos adhortantem transfodit, Guidottinum verò Ruffinus Principius adortus ei equum ſuffodit, atque ipſe ab eo ad pedes degreſſo claua percuſſus eſt. Poſtquam autem magna cæde utrinque pugnatum eſt, Gibellini cedere coacti è foro abierunt, ac palati in tecta ſe ſalutis gratia receperunt. quos Guelfi inſequuti ad monaſteria, & cloacas confugere coegerunt, atque in eis locis plurimos aſſequuti contrucidarunt. Inde urbe ualido præſidio confirmata Bononiam redierunt, ac magna lętitiæ ſigna ignibus per noctem excitandis, & ludis per diem uarij generis committendis ediderunt. Decretum eſt etiam, ut quotannis porcus aſſatus plebi comedendus daretur ad renouandam eius porci memoriam, qui à Gibellinis uoratus tam inſignis parandæ victorię Guelfis occaſionem aperuit. quod nunc quoq; in die S. Bartholomęi obſeruatur. Tibaldus, & propinqui eius ex pacto in ciuitatē accepti. Hæc ex Chronicis Bonōniēſium ipſorum expreſsimus. In externis autem ſcriptum eſt, poſt feſtum S. Martini menſe

Nouembri rem geſtam fuiſſe, atque ei gerendæ Ioannem Comitem, Rauennates, & Regienſes cum Parmenſibus affuiſſe; ac non ſine magno Guelforum detrimento Fauentiam receptam fuiſſe. Gulielmus autem marchio unis delendis Turrianis intentus in Hiſpaniam ad Alphōſum regem ſocerum ſuum proceſsit, ac ſpe iniecta, ſe facile totius Lombardiæ imperium pariturum, ſi modico ab illo auxilio eſſet leuatus, quingentos ueteranos milites ſecum reduxit, ac delectibus nouis eis adiectis Laudem ueterem duxit, eaque expugnata Nouariam inuaſit, ac prœlio cum Turrianis commiſſo exercitum eorum diſiecit, & uexillum Laudenſium cepit: inde cum Caſſono poſt expugnatum Vapium occurrente acie in feſto Sancti Dionyſij dimicauit: atque in eo prœlio Caſſonum, dum fortisſimi & ducis, & militis officio fungebatur, peremit: atque exercitum amiſſo duce in fugam conuerſum profligauit: cęſi ſunt ex Turrianis quingenti, capti octingenti: inter quos etiam Scurta Laudenſium prætor. Hac clade accepta Raimundus fortunæ periculum in poſterum facere nolens ab armis diſceſsit, & relicto Vicecomitibus Mediolano Aquileiam ad eccleſiam ſuam ſe rettulit. Rodulfus Cæſar Odonem cancellarium in Etruriam cum præſidio trecentorum equitum miſit, atque eum ſacramenta fidei à ciuitatibus Etruriæ exigere imperauit. cum autem nemo præter Piſanos, & Sanminiatenſes ea ſuſcipere voluiſſet, bellum cum Florentinis, & Lucenſibus ope Piſanorum, & Sanminiatenſium, apud quos ſedem poſuerat, inijt. quod cum propter exiguas opes parum feliciter, atque ex ſententia gereret, haud ita multo poſt, pace compoſita, in Germaniam ſe recepit. eo bello Piſcia à Lucenſibus, cum ad Gibellinos defeciſſet, recuperata, concurſu populari combuſta eſt. Proximo Ioannes Comes exercitum ſuum, ac ſociorum, quorum numerus ter 1282
mille quadringentos equites comprehendit, Fauentiæ conueniri iuſsit, atque in ſpem Foriliuij item proditione recipiendi adductus pridie Kalen. Maias nocte Forumliuium duxit, ac ſummo mane caſtra in ſuburbio, quod dicebatur, Sclauenna, locauit: aduerſus quem Vido cum omnibus copijs ſuis exiit, ac ſtatim pugnam commiſit: in qua primum uario euentu certatum, deinde Ioannes propulſus uix cum X X I. equitibus Fauentiam ſaluus euaſit. occiſi ſunt ad mille octingentos, capti ter mille ſex-

centi. reliqui fuſi fugatique in diuerſas partes, quò quenque rapuit fuga, delati. Præcipui fuere Hugo Fantolinus, Vido Acariſius, Hugo Manzus, & Tibaldus Zambraſius Fauentiæ proditor, qui in foſſa urbis cum equo ſuo eſt ſuffocatus. Atque hoc quidem modo Salimbenus exponit. Ioannes autem Villanus, quem B. Antoninus eſt ſequutus, hoc pacto. Vbi Ioannes ad urbem ſpe ingrediendi à proditoribus falſo obiecta acceſsit, porta, ut compoſitum à Vidone fuerat, patefacta, cum parte copiarum iniuit, ac reliquum, ut ſubſidio ſibi, ſi forte laboraret, accurreret, in campum ad quercum quandam reliquit. Dum autem ille totam urbem libere peruagatur, Vido cum ſuis egreſſus, eos, qui ad quercum erant, inuaſit, ac ſine magno certamine omnes diſiecit ac cepit. Cum autem Ioannes domos pro arbitrio reſiſtente nemine populatus ab omni hoſtili impetu ſecurus degeret, Vido parte ſuorum ad quercum relicta in urbem reuertit. Qua re cognita Ioannes de ſua ſalute ſolicitus urbe exijt, atque ad quercum, credens ſe ibi ſuos ſubſidio diſpoſitos reperturum, contendit, uerùm hoſtes nactus in fugam ſe dedit, ita ut cum XXI. equitibus Fauentiam tantũ peruenerit: reliqui diſsipati, ac cęſi, inter quos Thadæus Montefeltrius Vidonis patruelis, qui cum Eccleſia ſentiebat, emicuit. In Lombardia uerò Laudenſes Turrianorum auxilio, quo adhuc freti reſtiterant, deſtituti ſupplices pacem ab Othone poſtulauere, eamque in palatio Communis iurauere. Gulielmus autem proſpero ſucceſſu rerum inflatus, ut modo Turrianos, ſic nunc Vicecomites prodere, atque ipſum ſibi Mediolani imperium uindicare conatus eſt. Itaque primum obtinuit, ut ipſe ſibi uicarium Ioannem Podium Taurinatem adiungeret, inde cauſſam belli aduerſus Othonem quęrens Sureſinos extollere, & Boſonem Douariam exulem Cremonenſem promouere, atque eum ad occupandum ex agro Cremonenſi Soncinum adiuuare. Quę quorſum ſpectarent, Otho intelligens, atque eis mature occurrendum exiſtimans Vidonem Caſtilioneum, ac quattuor potentiſsimas ciuitatis familias ad ſe traduxit, Mandellos, Puſterlas, Carcanos, & Montias, ac coniurationem cum eis aduerſus Gulielmum iniuit. Gulielmus autem cum carrocijs Mediolanenſium, & Papienſium, cumque Vercellenſibus, Nouarienſibus, Alexandrinis, Comenſibus, & alijs amicis Soncinum menſe Maio proceſsit, vbi Boſo Cremonę iampri-

dem imminens verſabatur, ac ſe totam pacare Lombardiam velle, ſignificauit. Cuius fraude agnita Cremonenſes ſtatim aduerſus eum cum carrocio exierunt, ac ſocios ſui auxilio aduocarunt, qui ſubito eximio ſtudio, ac ſumma alacritate animi accurrerunt. Ex eis Parmenſes carrocio ſuo Cremonam perducto polliciti ſunt, ſe vrbis ipſius fidelem cuſtodiam habituros. Ferrarienſes autem, Mutinenſes, Regienſes, Brixiani, & Placentini, quorum dux erat Ludouicus Comes Sanbonifacij, prætor Parmæ, cum in vnum conueniſſent, ſe paratos eſſe dixerunt, ſummo cum Gulielmo prœlio decertare. Quod vt ille cognouit, pugna detrectata Iulio menſe diſceſſit. Fœderati verò agro Soncinenſium in contumeliam Boſonis vaſtato Cremonam ex compoſito prodierunt, atque ibi comiter excepti inſignem honorem Parmenſibus habuerunt. Etenim circa carrocium eorum nobile in foro ludictum ediderunt, quo inter ſe infeſtis ad prœlij ſimulationem haſtis oſtendendæ virtutis, artiſque bellicæ gratia concurrerunt. Hoc verò præcipue fecêre, ut gratiam à Parmenſibus ipſis inirent, qui vnice à Martino pontifice amabantur, & Gerardum Blancum Card. legatum, ciuem ſuum, apud eum gratioſum habebant. Socijs inde domum profectis Soncinum proditione in poteſtatem redijt Cremonenſium. Per eoſdem dies Siculi coniuratione inita à Carolo defecerunt, ac omnes ſecundo die Reſurrectionis Gallos hora veſperarum adorti contrucidarunt, ac ſubinde ſe Petro regi Arragoniæ tradiderunt. Quæ res poſt Carolum à cogitationibus Italicis auocauit, atque ad Siciliam recuperandam traduxit. Eodem anno crucæ flores, ac frondes arborum corroſerunt, ut mediæ hiemis ſpeciem nudati honore campi referrent, quibus conſumptis germina quoque ſalicum inuaſerunt, vnis nucum frondibus abſtinentes, deinde in terram iam pingues lapſæ perierunt. Quin etiam magna tritici inopia, fabæ, & leguminum copia ſumma fuit. Tonitrua uerò adeo vehementia de cœlo increpuerunt, vt multi homines exanimati prociderint. Sequenti, Ioannes Comes nouis ſupplementis à Martino acceptis ad expugnandam Ceruiam duxit, 1283
eamque intra paucos dies proditione recepit. Inde Forumliuium reuerſus vrbem arcta admodum obſidione circundedit: per quam cum Foroliuienſes certum ſe in periculum ſalutis ad-

ductos uiderent, ſecreto nuncios ad eum de prodenda vrbe miſerunt. Ille rem ad pontificem rettulit, pontifex Vidonem Montefortium legatum miſit. Ita VIII. Kal. Martias Foroliuienſes, & Cęſenates compromiſſo in vtrunq; libere facto in fidem Eccleſię ſaluis rebus, & perſonis recepti ſunt. Qua re cognita Vido ſtatim vrbe ſe extulit, ac Meldula occupata ibi ſe iterum confirmauit. Ioannes autem vrbē pacate ingreſſus Lambertacios expulit, ac certis finibus ſe continere pręcepit, ac mox cum Vido ex Meldula infeſtas excurſiones quotidie faceret, menſe Iulio exercitum eo traduxit, atque ibi inani conatu per menſes quinque aſſedit. Quadam autem die cum ipſe caſtrum obequitaret, eques Florentinus porta effuſus infeſto ſe in eum ſpiculo incitauit. Quod ut Ioannes agnouit, paulisper conſiſtens ſcipione, quem manu gerebat, lanceam eius auertit, atque porrectis brachijs eum amplexus tenuit, atque equo deiectum gladio ipſo confodit. Menſe inde Octobri Bernardus Cardinalis legatus in Romaniam uenit, ac foſſas vrbium Foriliuij, Cęſenę, & Ceruię, atque omnium caſtrorum expleri mandauit, domos inimicorum euertit, atque omnes Gibellinos relegauit, reliquos autem, quò libuit, ire permiſit. Mediolani Otho Ioannem Podium Gulielmi uicarium, quem pręturam exercere permiſerat, Gulielmo ipſo Taurinum ad belli contra ſe ſuſcipiendi conſilia expedienda profecto, in feſto S. Io. Euangeliſtę armata ſuorum manu honore, atq; vrbe deiecit, ac Gulielmo, ne poſthac agrum Mediolanenſem ingrederetur, edixit. Parmenſes pontem lapideum ſuper amnem Parmam fecerunt, ac mœnibus vrbem ab illa parte cinxerunt. Vido Turrianus ex arce Baradelli, vbi iandiu captiuus tenebatur, euaſit. Ludouicus Comes Sanbonifacij Regij mortem oppetijt, ac filios ſuos Opizoni marchioni com-
1284 mendauit. Poſtero, Otho, ut ſe magis aduerſus Gulielmum, muniret, legatos ad Rodulfum Cæſarem miſit, atque eius amicitiam, & auxilium poſtulauit, atque centum militibus, & quinquaginta ſagittarijs ab eo acceptis aduerſus Comenſes, qui Leucum, & Cliuate caſtra ex agro Mediolanenſi inuaſerant, tres uicarios miſit, Matthęum Vicecomitem, qui poſt Magnus eſt appellatus, Vidonem Caſtilioneum, & Thomam Origonum, qui exercitu ad ea loca perducto omnia facile receperunt, & plures ex Comenſibus captos Mediolanum

reduxe-

reduxerunt. inde duobus vicarijs abdicatis ſolum Matthæum retinuit. quod ipſius initium dominationis fuit. Gulielmus autem marchio principatui ſuo exaggerando intentus exercitũ ad Derthonem oppugnãdam adduxit,eamq; III.Kal.Nouẽbris dolo in ditionem redegit.atq; vrbẽ ingreſſus ciues alios morte affecit,alios in carceres tradidit;epiſcopum verò,qui tum vrbem regẽbat,comprehenſum à militibus ad ſingula caſtra adduci iuſſit cogens mandare cuſtodibus,vt poteſtati ſuæ ea permitterẽt. Cum autem cuſtodes caſtra ſe in poteſtate Eccleſiæ retenturos eſſe,neq; cõtrariarũ partium duci dedituros dixiſſent,epiſcopus eſt reductus. Qui verò illum aſſeruabant,nefariũ de ipſo interficiendo in vias conſilium habuerunt. Quo cognito dixit epiſcopus:Ecce ego veſtris in manibus ſum, facite mihi ut bonum, & rectum eſt in oculis veſtris.veruntamen ſi me occideritis,ſanguinem innocẽtem tradetis contra vos, & contra ciuitatem iſtam. & conuerſus ad præfectum eorum, conſanguineum ſuum, addidit,ſcito, te aliquando in ditione mea fuiſſe, & me potuiſſe tibi nocere, ac peperciſſe. Qua voce audita ille ira furens mucrone latus appetijt,ac dixit: Poſt hac in ditione tua non ero; alter verò enſe caput aperuit,& tertius humero percuſſo ipſum ad terram abiecit. atque ita ille haud ita multo poſt expirauit. Gulielmus autem hac re cognita corpus eius collegit,ac clero,religioſiſq; omnibus aduocatis honorifice extulit, ita vt ipſe feretro quoque ſubierit. inde dominatũ vrbis adeptus ibi ſedem conſtituit,atq; vt inde opportuno tempore bellum Othoni,ac Mediolanenſibus faceret,copias cõparare perrexit.Per eoſdẽ dies Mutinæ noua ſeditio ſuſcitata,quæ dira inter ciues illos certamina inflãmauit, ac malis omnibus, quę ſubinde grauiſſima ſubſequuta ſunt,aditum patefecit.Cum quædam in urbe factæ cædes eſſent,Iacobo Anziola,& Matthæo,ac Vidone Corrigijs Parmẽſibus præturam gerentibus, neq; ij neceſſariũ gliſcenti ea de re ſeditioni remedium admouiſſent, diuiſa eſt in partes duas ciuitas,quarũ vnã Saxoli,Sauignani, & Graſſoni,alteram Rangoni, Boſcheti,atq; alii Guelfi expleuerunt.Itaq; irritatis ſępe vtrinq; animis demũ ad arma deſcenderunt,ac prid.Kal.Auguſti in vrbe acri inter ſe prœlio concurrerunt:quo Saxoli à Rãgonis deuicti,atq; vrbe expulſi Saxolũ ſe contulerunt,ibiq; ſe præſidio muniuerunt.Neq; ea dimicatione contẽti,mox XIII.Kal. Octobris

iterum extra urbem non longe à Saxolo ad Montale magna utrinque clade congreſsi ſunt. utroque prœlio quingenti deſiderati, ac multo plures capti, qui in cuſtodias dati ſunt. Quod ubi Parmenſes ueteres, ac fidi ſocij cognouêre, extemplo legatos ad Guelfos, qui vrbem tenebant, eiectis reconciliandos miſêre. quos vt illi viderunt, aſperis verbis vrbe exire, nec verba de pace facere imperarunt. erant enim prætoribus Parmenſibus præter modum infenſi, quos his malis potuiſſe occurrere iudicabant, ſi ipſi vindicandę in tempore facinoroſorum audaciæ, ut debebant, animum adiecisſent. Parmenſes autem iuſtæ quodammodo eorum iracundię indulgentes non modo hanc iniuriam leuiter acceperunt, ſed etiam Bononienſes à bello deterruerunt, quod illi arrepta occaſione Mutinę, ſi Parmenſes adiuuiſſent, inferre decreuerant. Eodem anno III. Kal. Martias horrenda iterum tonitrua de cœlo inſonuerunt, ac copioſi imbres cum grandine inſolito tempore defluxerunt. infeſto inde S. Thomæ Apoſtoli eadem tonitrua cum coruſcationibus repetita, ac Luna in totum eſt obſcurata. quę res pro raritate, & magnitudine ſua omnes homines ſtupore
1285 maximo defixerunt. Inſequenti, Kal. ipſis Ian. Mutinenſes, qui urbem tenebant, cum ijs, quos inde exegerant, ad Gorzanum tertio prœlio conflixerunt, ac maximam eis perniciem attulerunt. Quibus cladibus afflicta ciuitas quadriennio poſt ultro Opizoni marchioni ſe tradidit. Quorum exemplum Regienſes ſequuti paullo poſt idem fecerunt. Nonis autem Carolus rex recuperatione Sicilię ſæpe, ſed fruſtra, tentata uitam amiſit, ac Carolo filio Apulię regnum reliquit. Ex cuius morte Guelfi dolorem ingentem hauſerunt, quòd partes ſuas diu ſumma fide, ac conſtantia ſingulari defenderat. Nonis inde Martijs ueſperi idem, qui priore anno, tonitruum ſtrepitus, & lampadum ſplendor auribus, oculiſque mortalium eſt obiectus. atque ea ingęns item grandinis inuſitatę procella excepit, quę pomiferas arbores, ac pręſertim amygdalos, mala punica, & groſſos omnes extinxit. In die inde Annunciationis Martinus pontifex naturę conceſsit, ac poſt dies quattuor Iacobus Sabellus diaconus Card. S. Marię in Coſmedin locum eius adeptus Honorij IIII. nomen aſciuit. Hic Vidonem Monteſeltrium accepta publica fide ad ſe Meldula remiſſa pro-

fectum, ac ueniā petentem recepit in gratiam cum eo, ut duos filios ſuos obſides daret, ipſe autē Haſtam in Pedemontium ſe cō ferret. Atq; ita demum pontifex totam Romaniolam ad obſequium antiquū redegit, ad eam atq; regendam Gulielmū Durantem de Prouincia miſit. Gulielmus autē marchio, adiuuantibus Turrianis maximū exercitum ad Sepriū contra Othonē, atque eos, qui Mediolanū tenebant, adduxit. Qua re perſpecta Comenſes defectionē ab Othone fecerunt, ac Muſcam Turrianum Napi filium ex Baradello, ubi captiuus ſeruabatur, emiſerunt, atque ei ad expugnandum Seprium affuerunt.

Tandem aliquando ad optatum huius hiſtoriæ exitum Deo largiente peruenimus, quam de regno Italię inſtituimus: cuius ueſtigia cum aut nulla, aut certe perexigua priſcis in Annalibus deprehendiſſemus, ea tanto labore, atque induſtria perſequuti ſumus, vt decus huius regionis vetuſtisſimum prorſus è latebris eruerimus. Huius autem regni iura ſuperioribus tēporibus conſtanti populorū contumacia imminuta vt primus ultro alienaſſe Rodulfus Cæſar dicitur, ſic primus etiā uiam aperuiſſe ipſius regni excidio exiſtimatur. Etenim Guelfas ciuitates ad obſequium redigere priſtinum cupiens, vt in Italiam ad coronam Imperij accipiendam non uenire opportunis uiribus deſtitutus decreuit, quòd diceret, ſe ineuntium Italiam veſtigia cernere, exeuntium non videre, ſequenti anno Princiuallem Fliſcum Genuenſem vicarium Imperij generalem a ſe conſtitutum huius officij gratia deſtinauit. Cum eius aduentus omnium in ſe animos conuertiſſet, ipſe in Etruriam progreſſus Florentiæ trans Arnum ad S. Gregorij ædem conſedit, ac magiſtratus ad ſe ciuitatum publico edicto uocauit. Qui ubi uenerunt, Rodulfi nomine antiquum, ac regibus præberi ſolitum fidelitatis ab eis ſacramentum popoſcit. Quod illæ, uetere iampridem uſurpata libertate prælata, diſertisſime præſtituras eſſe negarunt. Qua re audita ira incenſus extemplo Florentia ſe proripuit, atque Arretium profectus Florentinos, Senenſes, Lucenſes, Piſtorienſes, ceteroſq; populos contumaces pronunciauit, ac ſolemni edicto proſcripſit. Inde cum ſe a Guelfis deſertum, Gibellinis verò ſuſpectum eſſe, quia cum Guelfis aliquando ſenſerat, ac propterea parum rei vlli adminiſtrandę idoneum eſſe uideret, protinus ad Rodulfum in Germa- 1286

niam

uerunt, Florentini verò ſex millia. Qui ſtatim omnino liberi facti magiſtratum, quem Priores artium vocant, addito vexillifero iuſtitiæ creauerunt. In hunc modum & reliquæ ciuitates pleræque ſeſe pecunia interueniente in libertatem contulerunt. Et Ioannes Cuſpinianus: *Rodulfus,* inquit, *à Bononienſibus, Florentinis, Genuenſibus, Lucenſibuſque pro libertate, ſed in grauem Ro. Imperij iacturam grandem congeſſit pecuniam. Id profectò omnes atteſtantur, quòd ab omnibus pecuniam accepit libertate conceſſa, & Imperij fideles pronunciauit. Quam rem Honorius IIII. Pontifex vt infamem, ſibi tamen, & Italiæ non inutilem, non magis probauit, quàm prohibuit.* Item Albertus Crantzius Metropolis libro octauo: *Rodulfus Imperator cancellarium ſuum hominem Genuenſem in Italiam miſit, præſertim in Etruriam, omnes, qui pecuniam attribuerunt, in libertate dimiſſos Imperij fideles pronunciauit. per quam occaſionem Lucenſes XII. millibus aureorum datis libertate donati ſunt, & Florentini ad quietem perducti nouam inchoarunt reip. gerendæ formam, in qua vſque hodie permanſerunt. Hic noſtrorum Impp. primus Italiam pro deſerta videtur habuiſſe, quamuis nonnulli ex ſucceſſoribus ſint illis colluctati, nullus tamen hanc ciuitatibus vendidit libertatem. Fecit, quòd ſolent, qui rebus melioribus deſperatis non quod volunt, ſed quod velle coguntur, faciunt; aliquandò tamen melius erat, ſi nihil ille armorum pro recuperandis Imperij iuribus intentare voluit, cauſſam ipſam integram ſeruare ſucceſſoribus.* item Nauclerus: *Rodulfus comparandæ pecuniæ ſtudioſus cancellarium ſuum è gente Fliſca in Italiam miſit, qui populos in Etruria omnes liberos faceret, & eos potiſſimum, qui ſe pecunia redimere curarent. Perſoluere autem ob eam rem Lucenſes duodecim millia nummum auri, Florentini verò ſex millia, qui ſtatim liberi omnino facti magiſtratum, quem Priores artium vocant, addito vexillifero iuſtitiæ creauere. Non diſplicuit hæc venditio Honorio, licet indigna tanto principe videretur, quod ea ratione eccleſiaſtica ditio ſecurior futura videbatur, cum non amplius Imperatori liceret liberas ciuitates vexare.* Triennio verò poſt Opizo marchio Ateſtinus Mutinam, ac Regium ſibi eodem ipſo permittente Rodulfo ſubiecit. Adolfus autem Cæſar, qui mox Rodulfum eſt ſubſequutus, Matthæum Vicecomitem uicarium Imperij perpetuum in tota ditione Mediolanenſi conſtituit. Ex quibus intelligi aperte poteſt, cum aliæ ciuitates, atque prouinciæ ad iuſtum cuius fuerant, Eccleſiæ imperium redijſſent, aliæ proprios ſibi dominos aſciuiſſent, aliæ libertatem armis par-

tam obtinerent, atque hæc omnia ipſo concedente Cæſare, quem regem Italiæ, ſeu Lombardiæ vocauimus, facta eſſent, regnum Italiæ hoc tempore defeciſſe, quod à Longobardis inſtitutum Franci exceperunt, at demum ad Germanos translatum Italici aſſiduis à Gregorio VII. pont. & Henrico III. Imp. armorum contentionibus fatigarunt, ac demum in hunc ſtatum, quem paullo ante deſcripſimus, adduxerunt. Ac de Regno quidem Italico hæc habuimus, quæ memoriæ mandaremus.

FINIS.

LEGATORIA A. P...GLIO